
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT EMANUELE
12
170
12

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT EMANUELE
55
6A
19
ROMA

NICOLAI MASSAE
EPISTOLARVM
MEDICINALIVM
TOMVS PRIMVS,


IN QVO TRACTANTVR EA, QVAE TVM *ad Theoriam, tum ad Praxin medicam pertinere uidentur, & quaestiones etiam continentur de Animorum immortalitate, de Mundi creatione, deq; Logica facultate.*

HVIC SECVNDAE EDITIONI ACCESSERVNT EPISTOLAE ALIQVOT, SEV CONSVLTATIONES, QVAE antehac diuulgatae non erant; praesertim opusculum de pestilentia urbem VENETAM uexante anno M D LVI.



Cum gratia & priuilegio.





Venetiis, ex officina Stellae Iordani Zilleti,
M D LVIII.

NICOLAVS RANTANA
Brasilichensis ad lectorem.

Abdita sacratæ medicinæ discere quisquis
Optarit præsens utile carpat opus.
Irrita tela Deæ sunt iam, cœliq́;, minæq́;,
Consilio cum sit, qui leuet omne malum.



ILLVSTRISSIMAE, ET SERENISSIMAE, Sacræ, Reginæ Poloniæ, D.D. Bonæ Sfortiæ Aragoniæ Orbis decori, & ornamẽto, Nicolaus Massa salutem plurimam nestoreamq; uitam, & fœlicitatem exoptat.



ONSVEVERVNT Maiores nostri Regina Illustrissima, quod posteriti tradebant, id suorum temporum principis alicuius patrocinio magnoperè cõmendare. Quæ res (mea quidem sententia non nisi digna laude) ad hanc usq; nostram ætatem peruenit. Hanc præsertim ob causam, quòd eorum labores uigiliæq; si aliquo fauore munitæ fuerint sempiterno (ut ita dixerim) tempore uiuere, atq; utilitatem, & cõmodum afferre putarunt. Quamobrem ego quidem cum ob nimias studiosorum quorundam preces, nonnullas epistolas decreuerim in lucem emittere, quas ad amicos absentes diuersis temporibus scripseram, tum ad medicinam spectantes, tum etiam ad philosophiam & dialecticam, mihi uisum est, ne patrono ac tutore carerent, eas tibi Regina illustrissima meritò commendare. Nam cum nostrorum temporum, & maximos, & sacratissimos reges enumero, profectò reperio neminem, cui hunc meum laborem tutius committerem defendendum, quam tibi. Quippe quæ tum sanguine, & prosapia, tum animi, & corporis dotibus longè cæteris excellis. Quis enim Sfortiam familiam nescit. Quis tuum genitorem Ioannem Mariam Sfortiam? Quis proauos Galeatium, & Franciscum illum Martis alumnum, totiusq; Italiæ decus ignorat? Qui fermè omnes omnium generum uirtutes sunt consequuti. Omitto strenua eorum gesta, quæ propè innumerabilia extiterunt. Non est enim hic dicendi locus. Aragoniæ uero regum, & ducum illustrium longam, & notissimam analogiam, & quibus armorum, uirtutis, ingeniiq; uiribus potentissimos quamplures populos superauerint. Deinde quo iure & ordine in regno Neapolitano, & in Ducatu Mediolani regnauerint, & ferè in tota Italia, consulto dimisi. De hoc enim plerique scripserunt, & historiæ undiq; refertæ sunt. Sed quid ego tuorum

proauorum uirtutes,& gesta enumero? non ne tu sola mihi sufficis? nam licet ipsorum nulla in cuiusque uirtute,& summa dignitate extaret memoria,siue celeberrima recordatio(extant enim innumerabilia) profectò in te una fœlicissimè omnes resurgere possent. Tu regina. Tu regis coniunx. Tu regis etiam mater. Procreasti etenim filium ex Sigismundo Iaiello Rege, qui uel sanctissimis moribus, uel sapientia, uel strenuis armorum studiis incomparabilis, & quasi Sol lucens cæteros illustres principes (idq; sine iniuria dictum sit)& gloria, & splendore priuat. Age uero, quod magnitudine animi, & sinceritate, qua nihil melius longè omnes superas. Quid commemorem diuinum tuum propemodum ingenium? Etenim & humanioribus literis, & cœlesti christianæq; philosophiæ apprime erudita, ita sanè uiuis, ut Christi præcepta non nisi maximè intelligere uidearis, & hæc quidem bonis operibus clarissimè ostendis. Fides enim, & caritas, & diuina ipsa spes, in te cumulatè uigent, & summe clarescunt. Quid tuos sanctissimos mores? Quid tuam illam summam prudentiam, & in rebus arduis uigilantiam? Mitto liberalitatem, quæ similes Deo principes reddit. Mitto iustitiam & misericordiam; cum in omnibus rebus, tum maxime in pronunciandis ciuilibus, & (ut aiunt) criminalibus iudiciis. Dii boni quam multa prætereo breuitati studens, quæ ab omnibus prædicantur, præsertim à Reuerendo D. Francisco Lismanino, sacræ theologiæ magistro, ordinis minorum totius Poloniæ ministro, quem honoris gratia hic nominare uolui. iam quid ego commemorem? Etenim si omnia singillatim persequi uelim nimis nostra prorogaretur oratio. Hæc igitur omnia fecerunt ut te Regina illustrissima huiusce mei laboris, & patronā, & tutricem constituerim. Quam non dubito, quin ob tuam summam humanitatem & magnam erga omnes doctrinis deditos beneuolentiam sis defensura. Quod si feceris fore spero gratissimum omnibus. Vale Regina splendidissima, & ut tui moris est bonarum literarum cultores faue. Venetiis, M D L, Idibus Nouembris.

I.

FINIS.

INDEX RERVM QVARVNDAM MEMORABILIVM.

A

Corpo-

P

Q

R

FINIS.

Plurima alia notatu digna inuenies, quæ in hoc indice non sunt annotata. Vale.

AD APOLLONIVM MASSAM EPISTOLA PRIMA,

quæ eſt methodus quædam in curandis ſingularibus morbis, & in ordinando in conſultationibus, intentiones omnes, medicinæ partes complectens.



VAMQVAM te annum iam audientem Aurbachium uirum doctiſsimum ac eum præſtantem medellam ægrotantibus Lypſiæ ſequi ſciam: qui cum uir doctus ſit, & mei amantisſimus, te moribus ciuilibus, & Medicine præceptis omni tempore inſtituet, ut nihil præter tuam diligentiam, ac ſtudium deſiderare posſis: præſertim cum ibi una cum Philoſophicis ac Medicinæ inſtitutis, etiam quæ ad latinæ Linguæ Elegantiam ſpectant accommode' diſcere posſis: Maxime quia tui amantem doctiſsimum Philippum Melancthonem habes: tamen ut etiam meis ſtudiis, & laboribus doctior euadas, quæ de medendi ratione tuis literis petiiſti ad particulare opus ſpectantia, ut tibi morem geram, ſcribam. Porro' diſcenda tibi quaſi quædam artificioſa memoria erunt: Cum compendioſam methodum in primis dignoſcendi ægritudines, cauſas, accidentia contineant, Mox & prædicere de morbi exitu: & recte' auxilia ægris per contraria præſtare, & cauſæ amotionem curare doceant. Etenim uera cura eſt cauſæ ablatio ex Galeni Sententia ſecunda particula Aphoriſmorum cōmento. xxii. Verum enimuero nō tantum ad ægritudines, cauſas, accidentia, prædictionem, & recte' curādi rationem facient, Verum etiam maximo erunt adiumento in ordinandis intentionibus, tum ſpeculatiuis, tum etiam iis quæ ad curandum pertinent in collegiis ſiue colloquiis, quæ inter Me-

dicos haberi solent, in arduis ac difficilibus morbis, cum medicas principales necessarias intentiones omnes ex ordine contineant, ex intentione Doctissimorum Medicinæ Principum, & præsertim Hyppocratis, Galeni, & Auicennæ: Ea igitur te memoriæ commendare sæpissime legendo uelim: ubi a publicis lectionibus solutus mecum (ut scribis,) ratiocinari desideras. Neque arroganter, quæ dicentur dicta existimari a te uelim, uide licet hac una Epistola de omnibus Medicis intentionibus intrepide, apte, distincte, ornate, ac docte iter doctissimos Medicos te posse loqui, si quando ad illustres illos Principes, & Nobiles tibi uocato loquendum sit, præsertim si ea, quæ in quotidianis studiis, ac lectionibus tum Galeni, tum etiam Auicennæ, istis accommodare uolueris. Quos duos eminentissimos auctores, ut nunquam dimittas te obtestatum esse istis uolo. Et, ut id, quod tota mente desiderare scribis, habeas, per uiam, siue Methodum cum breuitate ostensam, qua possis affectus præter naturam cognoscere, ac homines sic affectos ad naturalem habitum reducere, ubi res, fieri possit: quod si minime sanitati restitui possint, saltem, ex his futura prædicere scias, ut cognoscant te nulla ex parte medica arte carere, quæ naturæ non repugnantia facere potest, nunc summam rei propositæ bipartitam sic accipe: nam altera partiu ad morbi cognitionem, & prædictionem spectat, altera uero rationalem curam docet: Primum quidem membrum in diligenti cognitione decem rerum te intelligere oportet. Prima quarum est morbus, & eius essentia: Secunda est causa: Tertia accidentia, siue Symptomata: Quarta temperatura: Quinta Virtus, siue Virtutes: Sexta ætas: Septima sexus: Octaua consuetudo: Nona aer: Decima est anni tempus. Porro cognitio decem dictarũ rerum cognitioné totius corporis partiũ, quam per dissectionem habemus, (anatomiam uocãt,) necessario desiderat. Quam anatomiæ cognitionem cũ te egregie calere sciam, & quotidie in anatomicis te ipsum exercere audiam, non ut eam nunc primum adiscas, sed ut tibi exactissime cognitam sociis auditoribusque præmostres memoraui. cum ex scientia dissectionis, uirtutum, & operationum causas perfectissime habeamus. Nam actiones sanæ proueniunt, si membra incolumia fuerint. Incolumia quidem erunt, si substantiam, temperiem, quantitatem, numerũ, positionem, figuram,

& uicinitatem, secũdum naturalem iusticiam habuerint. Quã autem ratione primum morbum & eius essentiam cognoscere Medicus possit, Vidisti apud Galenum in libello de morborum differentiis, & de locis affectis, ac etiam apud Auicennam prima & secunda primi canonis, necnon in aliis eorum libris. Quod uero necessaria sit essentiæ morbi cognitio, testatur multis in locis Galenus secundo, & quarto methodi contra Empiricos, ait namq; indicationem curatiuam ab essentia ægritudinis sumendam esse, cum ibidem sit cognitio morbi, & curatiuæ intentionis principium. Porro cum quis remedia morbo recte applicare uoluerit, cognitio morbi proculdubio necessaria est. In hanc eandem sententiam scripsit primo regiminis acutorum morborum commento tertio, cum inquit, operæprecium est, in primis ut esse morbi cognoscamus, mox animum ad eius curam conuertamus. Hanc sententiam Doctissimus Auicenna declarauit quarta, primi sui canonis, dicens: non haberi cognitionem medicaminum, nisi ex cognitione speciei, & qualitatis morbi cum medicina contraria adhibenda sit postquam qualitatis morbi cognitio certificata fuerit; & Prima quarti de cura febrium putridarum in genere, cum ait, non posse febrem curari, nisi prius eam cognouerimus. Quare cum morbi cognitionem necessariam esse ratio dictet & sapiẽtes omnes cõfirment, primum operæprecium scire est, in quo trium generum ipse morbus sit, an scilicet in temperatura, an in compositione, an dissolutione continui. Quod si morbus mala temperies fuerit, uidendum nunquid calida, frigida, humida, uel sicca, simplex, aut composita, & utrum cum materia uel sine materia, & an febris, uel alius sit morbus, qui malitiam complexionis dicat, & si febris, nunquid ephemera, uel putrida, uel habitualis, & sic in aliis complexionalibus morbis procedes. At si morbus mala compositio fuerit, uidendum est, nunquid ex plasmatione, siue figura, aut quantitate, aut numero, aut situ fuerit. Similiter si soluta continuitas morbus fuerit, animaduerte, nunquid ex uulnere, luxatione, fractura, conuulsione, apostemate, uel quouis alio modo exulcerationis erit, de quibus omnibus Galenus in libro de constitutione artis plura scripsit, & Auicenna secunda primi. Attende præterea animo, an morbus unus sit, uel plures, & nunquid simplices, uel compositi, & an primarii, uel per con-

sensum, & an in fieri, (ut aiunt,) uel iam facti, ac etiam nunquid uniuersales, uel particulares. Præterea cognitio temporum morbi maxime necessaria est, si quis rectam curam administrare uoluerit de qua Galenus doctissime scripsit in tribus libris de crisibus, & Auicenna secundo canonis, & aliis in locis, eundem quoque processum in omnibus generibus morbi attendere oportet, ut nihil necessariũ ad curam dimittatur. Et ut perfecte omnia cognoscas, secũdo loco causæ inuestigandæ sunt. Quoniam scire est per causam cognoscere, igitur secundo in ordine causarum cognitioni studebis, ad quod confirmandum est Galeni sententia septimo de Symptomatum causis, dicentis non solum satis esse Medico læsas operationes, uerum etiam omnes effectrices causas cognoscere, & tertio Artis paruæ, primum remouendã esse causam, deinde morbũ curandũ, qui ab illa processit causa: quam eandem sententiam prosequutus est tertio methodi, cum admonet studendum esse ablationi causæ, quando nullus morbus possit sanari ignorata causa. Similiter & Auicennæ extant sententiæ canonis primo: cum inquit operæpreciũ esse in medicina scire ægritudinis, & sanitatis causas: similiter & tertio de cura colicæ frigidæ. Causas uero, quas Medici præcognoscere ad morbi cognitionem cõsueuere secundum genus sunt tres, scilicet primitiuæ, seu euidentes, quas procatarcticas græci uocant, & hæ sunt extrinsecæ: deinde antecedentes, tertio coniunctæ quas optime, & diligenter inuestigare oportet. Neque te autem credere uolo hanc trinam causarum positionẽ dictis Galeni oppugnare, secundo de causis morborum, & primo methodi, ac in aliis quamplurimis locis, ponentis duo tantum genera causarum unum scilicet extrinsecum, alterum intrinsecum: quod intrinsecũ si in duas partes diuiseris, ut doctissimus Auicẽna fidelis interpres diuisit, & alii quamplurimi eminentissimi medici, non repugnabis Galeni doctrinæ quemadmodum moderni Galenistæ crediderunt suasi sua quadam crassa minerua. Non enim repugnant ueritati Galeni, quæ rationi consona sunt, si quis recte, quid uoluerit Auicenna per duas internas causas perpenderit, ac etiam si naturæ processus in causando ex omni parte attendere uoluerit, & ut hac in parte ueritatem intelligas, sit uerbi gratia quispiam qui ex motu, & comestione, & potu rerum calidarum, in humorum abundantiam,

& subtili

& subtilitatem inciderit, mox cum tali abundantia & subtilitate factis obstructionibus a' qua uis causa, a' febre corripiatur tertiana, nonne huic febri intrinsecæ causæ duæ sunt, una scilicet abundantia humorum subtilium, altera putrida in corde fumositas a' putridis humoribus, faciens febrem? priorem antecedentem, posteriorem coniunctam doctissime' nominauit Auicenna: &, ne te in istis immorer, pergam ad primum institutū. Causæ illæ primitiuæ, seu euidentes considerandæ sunt, a' quibus aliqua intentio curatiua secundum essentiam, uel magnitudinem morbi, aut ad prognosticum pertinens elici possit. Inter nas etiam causas diligentissime' seruabis, distinguendo antecedentem a' coniuncta, ubi operæprecium fuerit, ac etiam scire oportet, nunquid causa mala complexio materialis, uel immaterialis sit, aut compositio non naturalis, aut unitatis dissolutio, studebis etiam cognitioni aliarum differentiarum, scilicet, quæ causæ instrumentales sint, & quæ fouentes, & hæc omnia per sensata, & notiora nobis, quæ sunt principia artis, & scientiæ, testimonio Aristotelis. inquit namq; Galenus secundo artis paruæ, omnia sensibus diiudicare conducit, & non secundum naturam rerum: alioqui periculum est, ne æger sempiternam inualitudinem possideat, quod & Auicenna testatur secunda primi. Signa uero nobis nota, & sensata sunt illa, quæ aut secundū substantiam inhærent, quæ per tactum, & pulsum, uel per quantitatem & numerum cognoscuntur, Aut per effectus, ut sunt operationes læsæ, & qualitas mutata, Aut per ea quæ causalia dicuntur, qualia sunt excrementa uentris, urinæ, sputus, sudores, & superfluitates aliæ, de quibus omnibus loquitur Galenus secundo artis paruæ, & Auicenna secunda primi. Porro' tertio cognoscere op ortet accidentia, quæ morbum insequuntur ut umbra corpus, ita ut morbo amoto, accidentia quoque delitescant, ut scribitur a' Galeno undecimo methodi, quam necessitatem posuit Auicenna prima primi, cū dixit necessarium esse in medicina cognoscere accidentia, quæ in sanitate, & morbo accidunt. Hæc.n. accidentia, quæ morbum consequūtur, & i. ad morbi amotionem, una cum morbo amoueantur, attamen nonnunquam sua fortitudine, & malignitate, aut morbum deteriorem gignūt, aut uirtutem prosternunt, tametsi nec primarie', nec per se id fiat. Igitur cum sæpe sua acuitate, & malitia sce

uiant, ita ut opus sit relicto morbo accidentibus mederi, contrariis propinatis remediis, cauendum est, ne quis forte Medicus si ea neglexerit ad uitæ maximum discrimen, & perniciem ægrũ ducat, quapropter accidentia non sunt omittenda, ad quam sententiam alludit etiam Galenus duodecimo Methodi dicens, accidentia fortia prosternere uirtutem, & eis succurrere docuit commento octauo primæ particulæ Aphorismorum, iubẽs statim cibum offerre, si uirtus deficiat, & Auicena similibus rationibus motus, dixit, quarta primi: studere conuenit rei magis suspectæ, & est uirtus, Nam si non te opposueris contrarium accidentibus, uirtutem prosternentibus, uerbi gratia, uigiliis extremis, & capitis doloribus in febre periculum est, ne ea febrem augeant uel deteriorem morbum gignant, qualis est Phrenitis ex nimia uigilia, & capitis dolore. Et, quoniam præternaturales affectus minime cognoscere possumus, nisi per naturalem dispositionem in eodem genere (contrario tamen) Ideo quarto loco temperaturam necessario intelligere oportet, ut per eam in eo genere morbum cognoscas, quo perspecto & cum naturali temperiæ comparato maiorem illum, & minorem cognoscere poteris, ut passim habes in Galeni uoluminibus, & præsertim primo artis curatiuæ ad Glauconem in fronte ubi dicit, quantum distare aliquem a naturali statu uidebimus, ad tantam morbi magnitudinem eum deuenisse iudicabimus. Et Auicenna quarta primi cap. primo, idem meminit. Quare ægrotãtis temperiem inuestigabis, ut scias, nunquid æqualem secundum iusticiam cõtraxerit temperiẽ, aut caliditate, frigiditate, humiditate, uel siccitate prædominante. Nam sic, ut pauloante dixi) magnitudinem morbi per distantiam a proprio temperamẽto cognosces. Huic commemorationi, quinto Virtutis cognitionem adiunges, etenim uirtus quoquomodo, & temperamentum conueniunt, q̃q̃ etiam quoquomodo differant, ex sententia Auerrois secundo (?) primo, colliget cap. nono, ut primarium, & instrumentale agẽs, Qualem ergo uirtutem æger habeat, summa cum diligentia inuestigabis. Nam ut dicebat Galenus undecimo Methodi, uirtus est contraria morbo, tanquam fortis bellator: & in alio loco dixit, oportere Medicum dextrum oculum ad uirtutem dirigere, sinistrum ad ægritudinem. Et Auicenna prima, quarti de cura febrium in genere dixit necesse esse in omnibus, uirtutis di-

ſpoſitionem obſeruare. Et ut unico uerbo te de hoc doceã. hæc omnium illuſtrium ſapientũ ſententia eſt,ſcilicet cuſtodire uirtutem,& morbum expellere. Quare attendendum eſt,nunquid uirtus ſit ualida,an imbecillis:& ſi imbecillis, nunquid aggrauata,aut reſoluta, aut à morbi malitia oppreſſa, ut in febribus peſtiferis contingit:ex qua etiam cognitione colliges cibandi, & euacuandi rationes,ſcilicet,an materia peccãs poſſit educi unica uice,aut ſenſim,& pluribus uicibus:quem modum euacuandi magis laudarem, ubi non eſſet materia turgens:ſic etiam cognoſces an poſſit ſubtilem uictum tolerare,& an bis, terue, aut pluries in die cibus ſit offerẽdus,& ſimiliter ſecundũ qualitates. Præterea & cõfortationem membrorum principalium, uirtus ipſa admonet,ut ſi uitalis fuerit labefactata cordi cõferentia ad miniſtranda erunt, ſi animalis,cerebro ſuccurrendum eſt, at ſi naturalis Hepati,& Ventriculo & aliis membris,iocinori deſeruientibus. Sexto in ordine ætatem poſui cõſiderandã. Nam uires,& operationes ualidiores, & imbecilliores ſecũdum ætates ſunt,& morbi etiam ſpecie diuerſi fortitudine, leuitateq; oriuntur, ita ut aliqui morbi in una ſæpe,raro uero in alia ætate contingant,quemadmodum uariolæ in pueris. Quare uidendũ eſt nunquid morbus proportionalis fuerit tẽperaturæ,ætati, tempori & reliquis,quoniam qui proportionem habent, minus periculoſi ſunt nõ proportionalibus, teſtimonio Hippocratis ſecũda particula Aphoriſmorũ,Aphoriſmo.xxxiiii. & Galeni cõmẽto.xiiii. primæ particulæ Aphoriſmorum. At contrario modo ſe habet,ſi nõ proportionatur,cum dixit,ſi in ſene acuta fuerit febris,procul dubio perditionis ſignum erit, quoniam fortis eſt ille ignis,qui nõ extinguitur aqua. Similiter uidebis Auicennam idem ſentire prima quarti,cap. de rigore dicentem febres ſenum eſſe ſepultas; Enimuero per ætates omnes mutantur uirtutes,& digeſtiua primo,ut dixit Galenus commento.xx. ſecũdæ particulæ Aphoriſmorum. Subinde poſt ætatẽ, Septimo loco ſexum enumeraui,quoniam non eundem modũ roboris,& reſiſtentiæ & aliarum uirtutum mulieres,& uiri habent. Quod manifeſtè in feminis apparet,cum ſint frigidiores uiris,& obnoxiæ ægritudinibus quamplurimis uẽtriculi,& matricis, ut ſunt menſuales euacuationes,& prægnationes, qui affectus tametſi naturales ſint,nihilominus impediunt ſæpiſſime medicas ope-

rationes. sunt & affectus non pauci præternaturales in ipsis, ut cursus matricis, præfocationes, descensus, mollificatio, & pluri ma alia quæ inuestigari ab ipsis necessum est. Consuetudinem octauo considerandam esse dixi, quoniam ex sententia Hippocratis secundo de ratione uictus in morbis acutis; Nõ ex omni parte tutũ est ægrũ ab assuetis cibariis, & aliis sibi assuetis statim mutare, sed sensim mutata consuetudine sæpisimè, & prodest, & a futuro malo liberat, præsertim si malus fuerit usus, & ea ratione magis usum cõsiderabis, ut per ipsum, & alia dicta, & diætam iniungere, & reliqua regulare possis secũdũ tolerãtiam particularium in hominibus usuum, quam cõsiderationem uoluit Hippocrates secunda particula Aphorismorum. Aphor. quinquagesimo, cũ dixit, assuetos, labores facilius eos ferre, etiã si fuerint senes, & inualidi, quam robustos, qui non assueuerũt. Illa ergo prudentia uti oportet, ut usus malus omnino tollatur: quoniam etsi in præsentia minime nocere uidetur, attamen in futurum cum diu malus usus permanet officiet. Nonum obseruandum aerem esse dixi, quam obseruationem summe necessariam antiqui omnes posuerunt. Etenim in ipso aere uiuimus, qui & exterius, & interius sine medio contingit nostrũ corpus ut sensu uides: de qua aeris necessitate dixit Galenus cõmento primo, primi prædictionum, & nono Methodi, ac etiam tertio artis paruæ, oportere ex intemperie aeris ad naturale temperamentum per equalem contrarietatem alterando deuenire, etenim aer mutat corpus omnibus modis mutationum, ut dixit Auicenna quarta primi, cap. primo cum dicat aerem esse digniorem omnibus aliis rebus, qui conseruari debet, quoniam ipse plus immutando corpus aliquando potest, quam cæteræ aliæ res, quas non naturales medici uocant. Quare si fuerit contrarius morbo secundum qualitates, non mediocre erit præsidium infirmo. Ex quibus te scire uolo mutationes, & alterationes aeris sæpisimè facere ad diuturnos & perniciosos morbos, si secundum, (ut dixi,) contrariam qualitatem fuerit. hanc sententiam uidebis apud Auicennam prima quarti, cap. primo. Decima, & postrema consideratio est anni temporis cognitio, Videlicet nunquid uer, estas, Autumnus, uel hyems sit. Nam ista tempora, & salubria & insalubria ex sui natura sunt, ac prorogant, & abbreuiant morbos

teste

teste Hippocrate per uniuersam ferè tertiā particulam Aphorismorum, Ver enim, & æstas, si secundum sui naturam processerint sunt nostræ naturæ amici: Autumnus uero & hyems cōtrarii sunt. Quare facillimè ex temporum anni cognitione secundum eorum qualitates, & naturales & accidentales non solum morbos cognoscere, sed etiam rectam medellam illis præstare poteris. Etenim sæpe anni tempus impedit quo minus rectam secundum morbi naturam curā adhibere possimus. Nam dicebat Hippocrates sub cane, & ante canem molestas esse euacuationes, & Galenus primo artis curatiuæ ad glauconē de cura febrium continuarum admonet Medicos obseruare dies caniculares in uenæ sectione, si calidissimi fuerint, quoniam omnes quibus Medici sanguinem abstulerunt nihil de anni tēpore cogitantes, periere: ac etiam non tantum in calida constitutione periculosæ sunt euacuationes, sed etiam in ualde frigida, quoniam anni cōstitutiones, sunt ueluti accidentia quædā insequentia morbos, quibus Medicus impeditur ne eo quia a contrarietate & malitia id operetur, quod morbo oportunū sit. ex dictis quidem non solum morbos cognosces uerum etiam de ipsis an breues, an lōgi, an salubres, uel perniciosi sint, iudicare poteris. Quam prædicēdi rationem nimirū sumere oportet & ab essentia, & magnitudine morbi, & à constantia, uel imbecillitate uirtutis. Quod Galenus expressit secundo artis curatiuæ ad Glauconem, & Auicenna secunda quarti. Nam si uirtus fortis fuerit, & morbus debilis, proculdubio breui tempore sanabitur æger, ut gratia exempli si in Iuuene robusto tertiana exquisita fuerit ille ante septimam accessionem euadet, uel si in Causonide in quarto sudor apparuerit, septima omnino morbus recedet. Quod si senex in tertianā notam inciderit, ita ut accessio, & frigus longioris temporis spacio hominē teneat, ac etiam calor per totam diem, & amplius infestet, timorosus proculdubio uel diuturnus morbus erit, nam ex sententia Principis prima quarti febres senum sepultæ & perniciosæ sunt: similiter si in fortem quis Apoplexiam inciderit, lætalis morbus erit, cum minime curam admittat testimonio Hippocratis secunda particula Aphorismorum.xlii. Quòd si & tempus anni superius dictis addideris maxime in prognosticando conducet, qm̄ ut ait Hippocrates, Ver saluberrimum, & minime mortiferum est,

abreuiansq; omnes morbos; econtra Autumnus morbiferus ac perniciosus prorogans morbos. Conducet etiam nõ parum cognitio materialis causæ testimonio Galeni de differẽtiis febriũ, & Auicennæ prima quarti, de febre quotidiana, cũ in tali febre ob materiei crassitiem incrementum longissimum fit, ita ut antequam morbus ad uigorem deuenerit, sæpe uirtus ita imbecillis reddita est, ut minime possit morbum aut causam morbi uincere, sicq; ægrum periclitari oportet. Neq; hanc temporis morbi partem ad prædicendum & curandum dimittas: cum salutaris ratio & prædictionis, & quantitatis cibariorum & curæ à cognitione temporum, præsertim uigoris ægritudinis sumenda sit, ex sententia Galeni in libello de temporibus morbi, & in libello de Crisibus, & Auicennæ, secũda quarti, & etiam prima quarti, cap. de cognitione temporum morbi, & uigore, ubi dixit in uera declinatione morbi ægrum minime ex ipso morbo mori. Illud tamen obseruare operepræcium est, ut uirtutis constantiam, uel inconstantiam in prædicendo cognoscas, ut in ipsa minime decipiaris, quod sæpissime contingit: de quibus erroribus, tam in uirtute, quam in confidentia & timore, dicebat Auicenna prima quarti, cap. de cognitione status, & sæpe accidit apud mortem dispositio, quæ est quasi æger euaserit, cui tamen non oportet credere, nam tua erit dispositionem pulsus cognoscere, & an augeatur, uel fortis fiat, uel potiũs deficiat, animaduertere. similiter contrarium attendere persuasit in timore secunda quarti cap. ii. cum dixit exclamando. O quanta timorosa signa uidimus in profunditate somni, & casu pulsus, & abscisione sudoris producentia ad bonam tamen crisim. nec præterire uolo q; non in omnibus morbis crises expectandæ sunt, sed in illis, in quibus natura materiam seruat ad unam iudiciariam expulsionem, quales sunt febres continuæ acutæ, & in aliquibus apostematibus, in reliquis uero morbis, qui sensim expellunt materiam, ut puta in intermittentibus febribus, & in laterali morbo, raro expectantur, nisi materia acuta, aut uirtus fortis hanc expulsionem faciat. Criticos autem dies siue iudicationis ex sententia Hippocratis quam exposuit Galenus. iii. de prædictione, cõmento primo, sic enumerabis duas quidem priores septimanas disiunctas, sed tertiam adiũctam, uerbi gratia. Prior septimana totum septimum diem assumit, ita ut octauus sit ini-

tium ſequentis hebdomadæ, ſecundæ uero ſeptimanæ termi-nus erit quartus decimus dies, qui tamē eſt principium tertiæ ſeptimanæ,& ſic tertia coniuncta eſt cum ſecunda, hinc eſt ꝙ dies uigeſimus criticus eſt, cū ſit ultimus ſeptimanæ tertiæ, & eſt certior & ſalubrior uigeſimoprimo teſtimonio experimen-to. Sed ne te longiori oratione immorer, curandi rationem iſtis enumeratis ſcribam. Quam rationem curandi nimirum ab ip-ſa in primis morbi natura elicere oportet, quam curandi ratio-nem corrigere,& regulare oportebit ex illis, quæ à uirtute, æta tæ, anni tempore,& aliis indicationibus ſumūtur, prius tamen te admonere uolo ne unquam morbos à ſemine uel aliquo alio modo connatos, aut aliqua alia cauſa repugnantes ſanare pro-mittas; ſiue continue affligentes fuerint, ut ſatiriaſis, quam Le-pram Auicenna uocat, aut cancer, aut ulcus pulmonis, aut ha-bitualis, tertia illa ſpecies febris, ſiue intermittētes, ut Podagra, & Nephritici affectus cum minime ſanitati reſtitui poſſint, ſed antequam illis quidquā propones, prædicere ægro aut aſtanti-bus naturæ,& artis impotentiam uelis, ſicq; ſub hac præditio-ne auxilia propinare, quæ tametſi ſanare non poſſunt leuiorem tamen & minus moleſtum morbum reddant, ita ut uitam eo-rū proroges. Nam humanū eſt & Chriſti Euangelio conſonum etiam ubi nulla eſt ſpes ſanitatis, aliquid, ut minus ſit morbus moleſtus, agere, potius quā ſine ſpe ægrum relinquere. Hæc de decem conſiderandis & etiam de prædicēdi ratione antequam ad curam deſcendas ſatis. Igitur ſalutaribus morbis, hanc Me-thodum habebis, Primum ut morbo ſtatim ſuccurras priuſquā ſua uehemētia imbecillem uirtutem reddat, & eſt præceptum Galeni prima particula Aphoriſmorum, Aphoriſmate.xxiii. & Auicennæ quarta primi, cap. primo. Succurres uero ſi remedia contraria adhibeanť, ut docuit Hippocrates ſecunda particula Aphoriſmorum Aphoriſmate illo.xxii. Quicunque morbi ex re pletione fiunt,& Galenus in commento, ac tertio, artis paruæ, & Auicenna prima quarti, ubi inquit morbum tollendum ſuo contrario,& ſanitatem ſuo ſimili retinendam. Et ne in contra-riis decipiaris, attende quod contraria ſunt duo primum interi-us, alterum exterius, interius uero eſt uirtus, quæ ſemper eſt oppoſita morbo,& ut ſuperius dixi teſtimonio Galeni pugnat ut fortis bellator, exterius uero contrarium, eſt duplex, alterum

instrumentale,& alterum disponens. Instrumentale est regula sex rerum necessariarum,quas non naturales dicunt,disponens autem est Medicus, qui in primis regulando quæ ægritudini, uel causæ contrariantur,per extrinsecus aut intrinsecus propinata,ut sunt potiones,& manuum operationes, se morbo contrarium offert, quod si contrarium hoc potius auxilia à Medico propinata malis dicere,nō errabis. Qua autem ratione morbi regulentur,& quibus auxiliis, doctè scripsit Galenus.xi.Methodi,cum sex res non naturales enumerauit,& dixit, si earum rerum regimine sanare potuerimus, optimus erit proculdubio modus,& Auicenna quarta primi,cap.primo,etiam dixit, sæpe satis esse uti bonitate regiminis:etenim hæc pars diætandi maxima curæ pars est,quoniam primum curæ instrumētum est, sine quo cætera instrumēta uana sunt. Quare ubi res te ad fortia medicamina minime adduxerit,primum tentare oportet,ut æger regimine,& cibariis, sine medicinis sanitati restituatur, quoniam sic agendo tutius, & fœlicius sanitatem nauabis. Aer primum reguletur,ita ut sit cōtrarius morbo,Mox cibus & potus,in qualitate,quantitate,& tempore moderetur, de qua cibi moderatione plurima habes à Galeno.iii.artis paruæ,& secunda particula Aphorismorum,commento.xix. Et ab Auicenna prima quarti,de cibatione febrientium. Etenim in accessionibus subtrahere cibum oportet,quoniam plurima nocumenta,si detur,sequuntur.impedit namque uirtutem quo minus morbo resistere ualeat,ac etiam nocet stomacho,eo in tēpore,& angustiam facit,corrumpiturq́: præter id quod sequitur de impedimento concotricis uirtutis,ne materialem causam morbi, aut aliam gubernare possit, Vnde fit morbi prorogatio,& Symptomatum augumentum,in temporibus uero uniuersalibus secus est,quoniam largius in principiis cibandus est æger, quàm cū augetur morbus,sed in uigore minimum quid cibi aut nihil dare oportet. & quoniam assueuerunt homines bis in die cibum assumere:ideo ut nox quietior sit,aut nihil,aut parum in cœna sumere melius est, non tantum, cum morbus uiget, uerum etiam in aliis temporibus. Nam uirtus uespertinis horis in coquendo magis occupata est,& etiam accidentia morbi, & sæpe morbi ipsi mag s infestare consueuere, cum recedente sole, & ex diei inclinatione spirituū uirtus imbecillior sit. Dicant mo-

derni

derni Galenistæ quicquid sibi placuerit exponentes locum se/ primi Methodi, quæ interpræatio, cum neq; rationi, neq; fide/ lissimo interpreti Auicennæ conueniat, explodenda est. Neq; audiendi sunt, cum dicant deprauatam esse Auicennæ literam, cum iamdiu doctissimi uiri tum Gentilis, tum Petrus Aponen/ sis, conciliator, & alii eam disertissime, & eleganter declaran/ do affirmarũt. Sed redeo ad primum institutum. Moderaberis igitur cibum, ut puta, dãdo in calidis morbis iusculũ hordeaceũ in cœna, nam ubi uirtus constans fuerit, satis est eam custodire sicuti est, quoniam nihil ita concoctioni contrariatur sicuti quantitas & diuersitas ciborum, cum impediant uirtutem, & pugnent inter se, ut colligitur ex dictis Galeni secundo de cau/ sis morborum cap. iii. ait enim plurimos morbos ortum habe/ re, tum abundantia, tum diuersitate ciborum, & Auicenna. iii. primi, capite de eo q̃ comeditur, & bibitur, ubi postquam ni/ miam quantitatem cibi uituperauit, dixit nihil esse deterius quàm diuersa edulia unica mensa comedere. Similiter modera beris somnũ, & uigiliam, cum in accessione paroxysmi somnus nocuus sit, materiam magis cõcentrando, sicq; rigorem, uel fri/ gus, uel horripilationem prorogat, unde ex præsentia materiæ, & caloris retẽtione uirtus impeditur, quominus materiam ad faciliorẽ exitum subtiliare possit, quando ut plurimum sparsa per uniuersum corpus sit. Prohibemus etiam somnum post ci/ bum. nisi ubi existente uirtute imbecilli quærimus reuocatio/ nem caloris interius, & præsertim ad uentriculũ, ut melior fiat accepti nutrimenti concoctio, hoc in casu post cibum conue/ nit paululum dormire supine tamen. Sed dum nocte dormit, primum colligat se super latus dextrum, ut facilior sit assumpti cibi ad uentriculi fundum descensus, deinde ponat se super sini strum ut ex hepatis maiore amplexu ad stomachum concocti/ ua uirtus ualidior efficiatur. Eadem ratione in regulandis uigi liis procedes: ne scilicet superfluant. Dixit namq; Hippocrates secunda particula Aphorismorum cum somni & uigiliæ modũ excedunt malum esse, quem Aphorismum pulcherrime inter/ prætatus est Galenus. iii. de locis affectis, quapropter cum som ni aut uigiliæ nimium molestant, excitandi sunt ægri, si nimiũ dormiunt, pari passu, cum uigiliæ superfluunt prouocare som/ num oportebit. Studebis etiam in prohibenda repletione offe/

rendo cibos,ut custodiatur non ut augeatur uirtus, ut ait Galenus prima particula Aphorismorum commẽto.ix. Et dixit etiã Hippocrates secunda particula Aphorismorum corpora impura magis lædi,quanto plus ea nutries,& Auicenna prima quarti cap.primo. Nutriens prohibetur, quando uirtus est impedita in præparatione humorum si aut quantitate, aut sua qualitate corpus opprimunt, & quarta primi dixit cibum esse inimicum naturæ,& amicum morbo,quare repletio fugienda est, Præsertim in ægritudinibus materialibus,cum abstinentia cibi totum corpus æqualiter purget,sicꝗ cibi abstinẽtia est quædam euacuationis species,ut dixit Galenus.iiii.particula Aphorismorum,cõmento secundo. Labores etiam & motus debilibus,& febrientibus prohibeãtur, sed loco exercitii fricationes faciendæ sunt,quæ tamen non possint uires dissoluere.necꝗ dimittere oportet ea,quæ amouere possunt animi passiones siue mẽtis perturbationes,quæ ꝓficiuntur uerbis iocundis,& aliis, quibus æger delectetur, primumꝗ sanitatem promittendo, mox hominem laudare,& eius uirtutes extollere cõuenit,ut fisus in Medici beniuolẽtia authoritate,& doctrina,uirtus,quæ contrariatur morbo fortior facta, eum pellere facilius possit. quantũ enim possit confidentia Galenus ipse testatus est, cum dixit illum plurimos sanare,de quo plures confidunt, ac Hippocrates secunda particula Aphorismorum dixit bonũ esse, ut in quouis morbo mens oblectetur,& etiam si se æger ad oblata facilem præstet,etenim per hæc duo & naturalem & animalem uirtutem robur habere cognosces,quod raro sine uitalis uirtutis fortitudine uidere est, nisi materia ueneni speciem contraxerit,ut contingit in Pestilentibus morbis,& Galenus.iii. artis paruæ dixit animi perturbationes si malæ sunt uirtutem exterminant,& corpus ab ea,quæ est secundum naturam,constitutionem,mutant,& Auicenna cap.de eo ꝙ comeditur, & bibitur,sic dixit,accidentia animi si horribilia fuerint, coctionem prohibent:unde fit, ut morbi quamplurimi prorogentur, & augeantur. His Apolloni de regimine sex rerum non naturalium prælibatis regulas, quas te in curandis morbis obseruare oportet,ponam. Quæ se tenent ex parte materiæ peccãtis, si materialis morbus fuerit,& ex parte alterationis si immaterialis fuerit, quæ secundo loco,& cõsiderandæ, & administrandæ

ueniunt. Etenim cum curatio aliquo trium instrumentorum perficiatur, scilicet regimine in ipso uictu, aut medicaminum usu, aut manuum operatione, ubi regimine Medicus sanitatem inducere non poterit, aliis duobus instrumentis eam procurabit, scilicet medicinis siue potionibus, & manuum operatione de quibus Galenus primo regiminis acutorum morborum, & Auicenna quarta primi, scripsit & Hippocrates admonuit secũda particula Aphorismorum, cum dixit Incohantibus morbis siquid tibi mouẽdum uidetur, moue, & in uigore nihil tale ægre iussit, & Galenus in commento dixit nullam euacuationem, si morbus exitialis est, conuenire, qualecunq; fuerit tempus, neq; per humorum aliorum eductionem, neque per sanguinis missionem; sed si morbus saluber fuerit, & extremus, extremũ auxilium est, aperire uenam, & sanguinem mittere, ac nonnunquam potionem purgantem dare, neq; in principiis leuium morborum, conducunt medicinæ soluentes, & fortes, sed illæ quæ leniendo, ut aiunt, materiam minorem reddere possunt, ut sunt in primis clysteria lenientia, aut cassia, aut manna, aut *syrupus* rosatus solutiuus ex multiplici rosarum infusione: similiter ubi sanguinis minoratione opus fuerit, sanguinem educere oportet, uenam aperiendo secundum exigentiam morbi. itaq; regulam primam post regimen sic operando seruabis. Secunda statim regula est alteratio siue peccantis materiæ concoctio, & hoc siue minorata, (ut aiunt,) siue non minorata fuerit materia, quam administrationem, siue coctionem, siue digestionem, siue præparationem dixeris, non refert, hæc sane secunda intentio summæ necessaria est, dicente Hippocrate, concocta medicari, & mouere, non cruda, quam sententiam laudauit Galenus tertio, artis paruæ, cum dicat, hanc concoctionem sæpissime putredinem amouere manente tamen materia, apertis scilicet meatibus ac materia, uel subtiliata, uel refrigerato calore febrili: similiter & Auicenna prima quarti de cura putridarum in genere, & ad istam intentionem enumerat syrupos, & decoctiones & alia ingenia, quæ ad coctionem, uel extinctionem, uel alium modum præparationis, & alterationis facient, ut est in putrida febre syrupus acetosus simplex, & aqua buglossæ, & in obstructionibus aperiendis, syrupi de tribus, & de quinq; radicibus, & bisantinus, & aqua feniculi, Apii, endiuiæ,

uel decoctiones istarum rerum: & alterando uerbi gratia in febre habituali potionibus humectantibus, & in frigidátibus studebimus, ac etiam lotionibus aquarum dulcium post alterationem, uel coctionem materiæ. Tertia erit regula ratio legitima in euacuãdo, ubi ægritudo materialis fuerit, & est ut cures per contrarium, & amotionem causæ, ut docuit Galenus. iii. artis paruæ, & Auicéna. iiii. primi, cap. primo, quam euacuationem per conuenientem regioné facere oportet, cum dixerit Hippocrates, eo' educere oportet, ubi natura pellit per cõuenientem partem, ut puta si in febre uoluntas euomendi fuerit, adiuuabis naturam, ut per uomitũ materia mala extra pellatur. Similiter si apparuerit motus materiæ ad intestina, dabis medicinã, quæ inferius propriam materiam euacuet. Medicinæ uero enumerandæ sunt secundum exigentiam materiæ puræ, uel impuræ, uel alia quauis alteratione, & qualitate affectæ. Sed si fieri potest faciliores eligendæ sunt, ut est Cassia, Manna, Reubarbarum, Agaricus, Electuarium lenitiuum diacatholicon, de dactylis, hiera, & aliæ medicinæ non exterminantes uirtutem, neq; uiolenter soluentes. Et esto memor de Reubarbaro ubi conuenit, quoniam ut inquit Auerrois quinto colliget, est medicina mirabilis in purgando, quæ fere' omnibus aliis præstat, cũ minime uenenositatis, particeps sit, sed potius amuletũ uenenositatis, aliarum medicinarũ est, Similiter Manna, quam ros Syriacum uocát, medicina est, quæ alias Medicinas & corrigere, & beare consueuit, etiam memineris uelim, admiscere medicinis euacuantibus, illa quæ membra principalia roborare possunt, ut cor, iecur, cerebrũ, ac p̃cipue uentriculũ. Illa uero sunt, ea quæ suo odore, & fragrantia grata sunt, uerbi gratia, succus rosarum purus, syrupus rosaceus ex multiplici rosarum infusione, quem solutiuum uocát, sandali & similia, nam ista suo odore, & substantia, & stomacho, & cordi conferũt. Quarto post materiæ euacuationé roborantia membra principalia administrabis, ut roboratis membris uiribusq; auctis residuum materiei in morbo materiali, uel qualitatis, in non materiali natura corrigere possit, ne forte' ex relictis affectuum causis, morbus rediret, quoniam dicebat Hippocrates, secũda particula Aphorismorum, cõmento. xiii. Quæ in morbis relinquũtur recidiuã facere solét, quam recidiuam sæuam esse dixit Auicenna prima

quarti,

quarti, cap. ultimo. hanc sententiam affirmat Galenus secunda particula Aphorismorũ commento. xxxi. & Auicenna secunda quarti de iudiciis recidiuationis morbi. Quintum, quod te omnino cum iam dictis inuestigare oportet, est, ut commode' accidentibus, succurrere studeas remediis oportunis & promptis. & cũ sæpissime' animi perturbationes, præter corporis symptomata, cum fortia sunt, & diuturna, uirtutem prosternãt, & perniciem pareãt, ideo studebis amborum amotioni, quibus, ut superius dixi de curandis morbis, contrariis auxiliis succurrimus, ut puta si calidam habuerint causam frigidis indigent remediis. Animi uero perturbationes curare docuit Galenus in libello, quem de curãdis morbis animi scripsit, faceciis, iocis, ludis, harmonia, gaudio, & similibus. Vltima in curando regula, quam semper te animaduertere uelim, est, ne cum corporis plenitudine morbum particularem, aut accidẽs aliquod, medicaminibus tractes, nisi prius plenitudinẽ amoueas, siue illa sanguinis, siue aliorum humorum fuerit: etenim timorosum est particularia remedia morbo particulari, uel accidentibus cum corporis plenitudine administrare, sed ubi corpus mnndaueris, intrepide', & audacter singularia, & priuata admouebis auxilia. Hæc sunt, quæ tibi de modo procedendi in cognitione, & cura morborum, & etiã in collegiis, siue colloquiis, ac disputationibus qua'm breuissime' potui, ut tibi morem gererem pro temporis angustia scribere potui. Reliqua uero, quæ ad hanc curandi methodum desunt, ea ab omnibus libris Galeni habere poteris, & præsertim a' duobus, scilicet a' methodo curandi, unde omnes uniuersales intẽtiones elicies, & ab arte curatiua ad Glauconẽ. At si omnia & clariora, & distincta habere desideras, Auicennã te legere iubeo, suadeo & hortor, etenim ipse doctissimus omnia Antiquorum medicinæ sapientum. & congessit, & digessit: ita ut, quemadmodum uides, in promptu posuerit uniuscuiusq; morbi essentiam, causas, accidentia, signa, & remedia, ut non temere prima primi dixerit, nihil amplius esse, quod suis scriptis addere quis possit. Vale & da operam bonarum literarum studiis, salutabisq; meis uerbis eximium Hendericum Haurbachium, ac Doctissimum Philippum Melancthonem. Venetiis. M D XXXXI. Kalendis Decembris.

AD EXCELLENTISSIMVM DOMINVM, Paulum Magnolum e' burno Brixie nsem Epistola.II. De hora sumendi Medicinas purgatorias, & tempore comedendi ab exhibitione.



EGI Literas tuas Paule doctisſime, idemq; mihi amicisſime, quæ me non mediocriter delectarunt, quarum, ut de aliis illarum partibus taceam legi quidem partem, & illam sæpius repetii: qua rogas, ut sententiam meam de hora sumendi medicinas purgatorias, & tempore comedendi post eas scribere uelim. Ego uero qui semper doctos diligere, & amicis pro mea uirili inseruire soleo, ac debeo, dabo operam ut tibi cumulate' satisfaciam: tametsi rem arduam, & non ex omni parte ab antiquis elaboratam petis. Etenim si quid Hippocrates uel Galenus Auicéna, & alii eminentisſimi medici hac de re scripserunt, illud quidem paucis & mutilatis uerbis expedierunt: ita ut res ipsa ad declarationé, & doctisſimo & exercitatisſimo egeat medico, qui sciat ex antiquorum scriptis, & non expresſis sententias elicere, & conclusiones formare, ut mox in hac materia me, ut tibi reiq; satisfaciá, quantũ possem facere uidebis: cum (ut dixi) plurimum antiquorum amicorũ & præsertim doctorum uoluntas apud me posſit. Quare declarationé rei ex meo sensu & antiquorũ comprobatione exordiri incipiam, in quo id mihi præfari libuerit, me dicta auctorũ rationibus aperiturum, ubi satis idoneis testibus causa caruerit. Sed, ut etiá præter ea quæ mihi toto animo desiderare significas, de reliquis omnibus claram habeas sententiam meam, quæ consideranda hac in re & præcedũt & subsequuntur ad abundantiorem doctrinam scribam. & hoc ex ordine procedendo: ita ut si fieri posſit nulla in parte postea dubitare contingat. Primum igitur quod ante purgationé animaduertere cõducit est subiectum quod euacuandum uenit an scilicet iuuenile, an uero senile sit, fortæ, an debilæ, calidæ, an frigidæ uel alterius téperaturæ, sanũ an ægrum uel neutrum, (ut dicunt medici,) fortis an imbecillis uentriculi & aliorum membrorũ, & etiam in quo anni tempore: similiter nunquid minoratiue' & sensim, an exquisite' & eradicatiue', (ut aiunt,) purgare uelimus, & reliqua quæ possent in diuersam euacuandi tra-

here,ut est consuetudo ad purgandum, & causa aliqua urgens: qualis est constitutio pestilentialis,casus.percusſiones,luxationes,fracturæ,uulnera,ac postremo medicinarum forma,& fortitudo: q̃ omnia semota omni morbosa, in reliquis partibus, dispositione non solum euacuationis sed regiminis etiam in reliquis diuersitatem expostulant,De quibus in diuersis libris uidetur mentionem fecisse Hippocrates, ut patet legentibus in primis libellum de prisca medicina, de natura humana, de humoribus,& reliquos. quam quidem præcognitionem uoluisse etiam Galeni uerba in libello de curandi ratione per sanguinis misſionem circa principiũ uidetur,& Auicennæ quarta primi, cap.iii. Porrò hæc præcognitio ad propositã quæstionem in dandis medicinis euacuantibus facilè uiam præbet ne medicus in rebus antea & post administrandis errare posſit:quales sunt cibi,& potus,motus,& quies,sõnus,& uigilia,& aliæ res neceſſariæ,& præsertim uentriculi præparatio. Nam hæc omnia in purgantis medicinæ exhibitione obseruare operæprecium est sed id quod quæris præcipuè animaduertendũ erit:& tempus post medicinam comedẽdi,sed gratia clarioris doctrinæ ponamus Iuuenem in primis plethoricũ ex nimia comestione rerũ diuersarum propè ætatis suæ consistentiam: temperaturæ per calidũ,& siccum à iustitiali temperamento declinantis sanum, sed asſuetũ in ætate pati febrẽ tertianam ex ebulitione sanguinis coleram multiplicantis, quæ postea factis obstructionibus putrescit,qui nõ asſueuit purgationem sumere nisi cũ ægrotat. hic tempore ueris cõsulit medicũ quoniam uult præseruari ne æstatem in consuetam incidat tertianam. Dico igitur medicũ habita noticia prædictarũ rerũ,ut plethorã tollat studere oportere. quoniam autẽ matura medicare,& mouere nõ cruda docuit Hippocratis prima particula Aphorismorũ,uerbo.xxii. & Galenus in commento illud affirmat,sed clarius primo de crisibus,capi.ix.& in aliis uoluminibus, ut octauo de medicinis secundũ locos, quam sententiam sæpisſime repetit Auicenna,& precipuè fen quarta primi capi.v.& prima tertii cap.vii.præcedẽte tñ̃ præparatione,puta si bile & pituita admixtis corpus abũdauerit,secundũ naturam humorum superfluentiũ,medicinam purgantem dare oportet, quæ posſit utranq; materiam ad putredinem paratam mixtam educere, qualis est casſia fistularis

quam siliquam ægyptiacam etiam uocant, uel si cõpositæ medicinæ magis placent,ut est syrupus rosaceus ex multiplici rosarum infusione, quem syrupum rosaceum solutiuum uocant, uel trochisci siue pastilli de uiolis. quod si fortiorem medicinã desideramus:optimus est agaricus,qui utranque materiam expurgare potest, sunt etiam electuaria quæ materiam crassam euacuare possunt,ut est electuarium de dactalis,de sebestem & alia,quæ,& si tibi nota esse credã,tamẽ,ut rem ipsam quasi manibus tractemus,& quoniam locus hic postulat & ut omnia nobis etiam nota & clara & præ oculis sint: ponamus exempli causa medicũ decreuisse exhibere cassiam fistulam pro medicina expurgante, Dubium est primo,qua hora sumẽda est medicina,mox etiam dubitatur post assumptam cassiam quãto tempore expectare conducat antequam cibum accipiat. scimus nempe cassiam inter medicinas euacuantes leuissimam esse:ita ut medici etiam eam medicinam cibalem dictitent,& hoc quoniam sæpe uincitur a uirtute,& calore uentriculi,ita ut aliquãdo in nutrimentum transeat, nisi aliquo ingenio, uel ordinis uel admixtionis obstet medicus. Hanc uero inprimis cassiam si dare uideatur, hora matutina dare conducit. Similiter aliæ etiam fortiores medicinæ euacuantes matutinis horis dandæ sunt: nisi aliqua singularis causa in hac hora dare impediat: de qua statim te certiorem faciam. quod autem hora matutina sit congrua magis, constat ex declaratione uerborum Hippocratis quarta particula Aphorismorum,sermone quinto, & sexto eiusdem sermone.xxxxyii.in quibus dixit quod melius purgabimus cum oportuerit purgare,ĩ mediis temporibus,quàm calidioribus uel frigidioribus,ut puta ĩ uere,& autũno id quod ratione & experimento patet:nam tempore maximi æstus quale est,tempus dierum canicularium & similiter tempore hyemali in diebus frigidioribus,uirtus imbecillior est,primo quoniam tempore æstiuo uirtus ex calore dispersa & discipata est, ut dixit Galenus primo Aphorismorum cõmento.xv. & ideo cum non mediocriter imminuta sit,non potest medicinam ad euacuationem dirigere, secundo, quoniam humores,qui non ita propinqui uiis ductuum sunt,eum sint per extremas partes corporis sparsi a calore extrinseco attracti ægrè euacuari possunt. Tempore etiam maximi frigoris uirtus imbecillior est

nam

nam quod dixit Hippocrates hyeme & uere uentres calidiores esse, illud intelligendum est de parte hyemis quæ ueri propinqua est, nam ubi & glaties & niues sunt, ac etiam boreales uenti flant: uniuersum corpus refrigeratur, ac calor naturalis obtunditur & sic non probe operatur, deinde humores crassiores sunt & minus fluxibile, & ex consequenti non ita apti ad euacuationem id quod etiam ex processu commenti. xv. Galeni primi Aphorismorum clarissime deduci potest, cum etiam eo tempore alui sint astrictæ, ut patet Aphorismo. xvii. tertiæ particulæ id quæ frigore constringente meatus, & uirtute custode corporis offensas frigoris excludente accidit. Quod uero noceant medicine calidioribus & frigidioribus experientia ipsa etiam comprobat, quare relinquitur ut dicamus, comparando partes diei ad anni tēpora, conuenietiores horas esse matutinas, & uespertinas, sicut apparet ex antiquorum authoritatibus & rationibus, illas confirmantibus: eo quod non conuenit secure euacuare in frigidioribus, & calidioribus diebus, sed in mediis scilicet in uere & autumno, cum sint tempora media in quibus & uirtutes omnes fortiores sunt & humores quoque paratiores, qui non ita sunt ad extremas partes corporis sparsi, atque etiam quo ad substantiam aptiores ad motum euacuationis tametsi adhuc oportunius sit tempus ueris euacuationi tempore autumni, cum præter id quod aer magis in uere temperatus sit, sol etiam ad nos aduentatur, qui non oscure operationibus animalium fauet. Has rationes uidebis affirmasse Galenum in commento illius Aphorismi sub cane, & ante canem, & Auicennam quarta primi, capite quinto, ubi dixit tempus minime idoneum ad sumendas medicinas expurgantes esse dies maximi & caloris & frigoris. His igitur iactis fundamentis, liceat mihi apud te sic ad particulares horas diei, rationes applicare, ita ut sic ratiocinando conclusionem postea ex dictis deducam. Illa est magis congrua hora diei sumendi medicinam expurgantem quæ est temperatior: sicut etiam tempus anni quod est uer, uel autumnus, sed illa est hora matutina Oriente sole quæ assimilatur ueri, uel uespertina Occidente sole, quæ assimilatur Autumno, nam iste due partes diei sunt temperatiores reliquis duabus partibus, atque etiam uirtutes sunt fortiores, quamquam Nocturnis illis horis ex lat

bore & ingiliis imbecilliores adhuc sint uirtutes quam matutinis, igitur medicine sunt dande horis matutinis & uespertinis, nisi aliquod fuerit impedimentum: matutine tamen meliores sunt, & tametsi hore matutinæ in hyeme non sint ita temperate, si ad tempus (nihilominus) ortus luciferi inspicias, sunt quidem minus frigide, adde etiam, ut dixi ex solis aduentu ad nos, illas horas meliores & aptiores reliquis esse cum iam sit celebrata prima illa concoctio ingesti cibi, quæ in uentriculo fit, & uirtus expultrix ad excrementorum expulsionem magis ista quam aliis horis insurgit. Neque autem quemquam mente turbari & supercilium eleuare uelim, quod dixerim uespertinas horas etiam conuenientes esse, cum hac in hora minime uel raro dentur medicine a medicis. Ego enim sæpissime horis uespertinis medicinas potabiles ante cœnam dedi, do, & dabo præsertim ubi necessitas postulat & fert ratio: puto etiam te legisse Auicennam & diuinum Mesuem, pilulas & syrupos post cœnam dantes atque adeo in quibusdam ægritudinibus dare docentes. Sed quoniam iam usus pilularum præualuit hoc tanquam firmum & constans tibi dimittã, si prius hoc etiam addidero, ex uerbis Ioannis Damasceni Aphorismo. xxii. & . lxvi . ubi clare uidetur doctissimus Damascenus admonere medicos ut dent in passionibus capitis & instrumentorum sensuum pilulas horis uespertinis post cœnam, quanquam difficultas etiam sit nunquid antiqui medici medicinas potabiles exhibuerint uespertinis horis & etiam post cœnam. Verum quicquid dixerint, uel non dixerint, fecerint, uel nõ fecerint prisci, nihil dubitationis hoc pene me habere uelim credas, scilicet medicinas expurgantes posse exhiberi qualibet hora diei, atque etiam tempore anni necessitate sic postulante. Sed ubi datur mora, neque ullum est aliter requirens ex parte ægritudinis, uel accidentium, conuenientior hora est, hora matutina ante ortum solis. Nam illa hora & stomachus est a labore, cum iam compleuerit digestionem præteriti cibi atque etiam uirtus ex somno instaurata & nondum extra sparsa sed intus unita aptior & melius medicinam ad actum operationis deducere possit. & ne nos decipiant diei partitiones secundum diuersas consuetudines, diem sic hoc loco diuidere oportet. Prima pars diei quæ matutina

dicitur incipit in ortu luciferi, siue auroræ, & durat sex horis, post quam sequitur secunda diei pars quæ est post iam dictas sex horas durans per sex alias horas uel usque ad meridianas horas. Tertia pars quæ post meridiana est dicitur uespertina, & ipsa etiam est sex horas cõtinens. Quarta & ultima est pars nocturna quæ etiam habet sex horas quæ terminant ipsam noctem, post quam est luciferi ortus quæ pars est frigidior reliquis, & tam et si de diebus brunalibus ab ortu solis ad occasum, & etiam de longissimis diebus sit aliqua controuersia, ne sim tibi molestus plures scribendo difficultates eam in presentia dimitto, diuidens uiginti quatuor horarum (ut dixi) sed quamquam dixerim medicinam posse exhiberi qualibet hora ubi uel morbi uel accidentium ratio cogit aptiores tamen esse dixi ille meminisse oportet, quæ ueri assimilantur, uel Autumno. Quod uero matutinæ, uel uespertinæ præstent antedictis: causę he sunt, quoniam sicut tempora anni nobis salubria sunt duabus his de causis præcipuis, uidelicet ex moderata aeris temperie & ex aduentu solis ad nos, ita etiam iste partes diei magis proficue sunt, Nam matutinis horis præter id quod dixi de instaurata uirtute, ex iam uentriculi perfecta coctione, sol etiam illa hora ad nos aduentans incipit frigiditatem aeris temperare. Similiter & hora uespertina habet satis temperatum cœlum, tametsi sol recedere incipiat, ut ex ista causa non ita idonea sit. sicut matutina, Vides igitur quomodo dies qui est spacium uigintiquatuor horarum habet proportionem cum toto anno, ita ut corpus nostrum & ualidius & imbecillius sit secundum diuersas partes diei, quod fit ex diuerso motu solis & etiam ex diuerso regimine quo homines utuntur, tum in cibo & potu tum in aliis rebus necessariis, & præsertim in quibusdam consuetis negotiis & abusibus. Sed de hora sumendi medicinā hæ tibi rationes possent satis esse. uerū ut elaboratior hæc pars sit, ex antiquis quædam non ingrata addam. Etenim Auicenna prima tertii, capite. xxix. & quinto canonis de pilulis Albaromaki, iubet dare pilulas & potiones post assumptum cibum, uel a cœnā ac etiam post eorum assumptionē dormire præcepit in aliquibus affectibus, ut fœliciorem, ex eis, operationem habeant assumentes; ut in dolore capitis duabus horis post cœnam; plus mi-

nus ue secundum patientis indigentiam & uentriculi in præparando uirtutem. etenim diuersæ medicinæ sæpenumero secundum compositionem & præparationem diuersam substantiam acquirũt scilicet mollem & duram, & secundum diuersam morbi rationem etiam post cœnam dantur, nam: aliquando (ut dixi) a cibo sumuntur, ut diutius in stomacho morẽtur, & etiã iubet medici desuper dormire, ne per uigiliam & motum eius destruatur uirtus a uẽtriculi calore si nõ unitus fuerit. Porro ubi calor & uirtus fortis non fuerit, frequenter fit ut dissipetur medicina & minime ad actum operationis deueniat, præterea præterquam quod per maiorem moram in uentriculo medicinæ a longinquioribus corporis partibus attrahere consueuerunt, materiã facientem uel dolorem uel alium affectum præternaturam, sua tam quantitate quam qualitate potest euaporando; cerebrum & alia membra recreare: aut aliquam qualitatem contrariam affectui præternaturã imprimere, siue illa fuerit manifesta, ut est caliditas, frigiditas, & reliquæ, siue occulta (ut aiunt & a forma specifica seu complexionali; quã ob causam antiqui nõ tantum medicinas duras, quales sunt pilulæ, & alii pastilli dederũt: uerum etiam medicinas potabiles horis uespertinis post cœnam: iubentes post eorum exhibitionẽ (si cõpositione, uel uirtute fuerint fortes) dormire. dixi enim compositione fortes quoniã etsi medicinæ quo ad sui substantiam & uirtutem non sint fortes, attamen ex modo suæ compositionis fortes dicũtur, ut sunt pilulæ assahieret: quas Auicenna prima tertii scripsit. Iste enim etsi ex ingrediẽtibus leues sint, nihilo minus ex modo compositionis fortes fiunt cum sint substãtiæ duræ & siccæ. quare ut eius uirtus ad opus deuenire ualeat calore forti indiget id quod in somno pulcherrime fit, cũ calor illis horis ad interna membra reuocetur. & similiter in potabilibus etiam medicinis consideres uelim, comodius in aliquibus affectibus, ex dictis rationibus operari: si post cibum sumantur: ut puta quando maiore euaporatione egemus; uel aliquo alio. enimuero cum diutius in uentriculo manent, facilius quoque & in maiori copia uapores ad caput ascendunt; quid. multa? sæpissime cum minori molestia uentres ciunt si potest cibum aliquæ medicinæ sumantur præsertim si assumens dormierit post hanc minorem molestiam uidebis, si ille qui sumpsit interstina

ſtima debilia habet,una cũ aliis uirtutibus naturalibus. nam per ſomnũ unito calore facilius medicina ad actũ ducitur,& cũ mi-nori moleſtia operatur. Neq; autem obſtat Hippocratis ſen tentia quarta particula Aphoriſmorum ſermone.xiii. ad ſom-num minus &cæ. quoniam hic loquimur de breui ſomno & in principio, ſed dicta Hippocratis intelliguntur de longo & in proceſſu euacuationis. ſed ex antedictis uidere eſt antiquos quoſdam,idq; non ſine ratione medicinas purgatorias horis ue ſpertinis dediſſe & poſt cibum; etiam iubentes dormire, ut comodius operentur.quomodo uero motus & uigiliæ ſint me-dicinis impedimento,Paulo ante ſignificaui, eo quod tam mo-tus immodicus quam uigiliæ,internum calorem ad partes ex-ternas mouet. & ea ratione uentriculus nõ ualet medicinas ad actum dirigere. quare in febribus atque etiam ubi uirtus non ualida eſt,conducit poſt exhibitionem medicinæ modicũ dor-mire etiam ſi leuis ipſa fuerit,qualis eſt caſsia fiſtularis,& man-na,& ea ratione iuſſit Auicenna de cura cauſonis poſt aſſum-ptam tamarindorum potionem dormire,id quod ſi i debilibus, (ut dixi)hoc faciũt multo magis ubi ſua ſubſtantia & uirtute, & compoſitione fortes fuerint, ad quorum comprobationem eſtat Hippocratis ſentẽtia in libello de morbis qui extra,quem libellum Polybi eſſe credidit Galenus, cuius uerba hæc ſunt. Medicamenta quæ ad morbos & uulnera porrigũtur poſt cœ-nam uel poſt cibum dato;& ne ſim longior ad illum quem ſupe-rius caſum propoſueram reuertar,dicamq; quod cum caſsia ſit medicina debilis,quæ facile à calore uinci poteſt & i nutrimẽ tum conuerti ſecundum ſui naturam, (quod nõ ex omni parte probum erit,)plurimũ nocumenti inferre poterit: ut pulcher-rime docuit Galenus in eo libello in quo quando& quibus me dicamentis purgare oporteat; ideo hoc in caſu poſt exhibitam caſsiam duabus horis uel minus cibum dare conducit,ne à for-ti calore in malum nutrimentum conuertatur,& ne cibus cum ipſa omnino commiſceatur,iam enim potuit caſsia ad fundum ſtomachi per horam deueniſſe preſertim cum cœtera ſuperius examinata conſentiunt. etenim aſſumens iuuenis eſt,& fortis cum iam dicta biliosa tẽperatura,quæ nõ ſine noxa inanitionẽ uentriculi tolerare poteſt, ac etiam in eo anni tempore in quo

ſtomachi uirtus ualida eſt. Suntq; materiæ euacuādæ propin quæ uiis ductuum,ut per ſeceſſum ſine mora & ſéſim purgari posſint;medicina quoq; debilis eſt, & ille qui ſumpſit minime medicinis aſſuetus. Sed ubi ſtomachi uirtus nō ita ualida eſſet: plus temporis poſt eius exhibitionem expectandum foret, ut uirtus non impedita a' cibo eam ad actum operationis melius educere poſſet, At ſi mediocris medicina fuiſſet, tunc uero & plus temporis ad exhibendum cibum expectare conuenit,puta quinque uel ſex horas,in quo tempore credere posſimus medicinam ſuam perfeciſſe operationem,quod tempus in omnibus non eſt obſeruādum:ſed ſit cōiecturabile quodā ſpacium inter medicinam & cibum quoniam temporis terminatā quātitatē minime asſignari poteſt,cum quædam corpora citius a' medicina & quædam tardius afficiātur;id quod etiam in exhibitis medicinis uidemus,& in temporibus, ut teſtatur Auicēna prima quarti,capite primo,Sed & recentiores medici dictis conſentire uidentur,Scilicet ut poſt aſſumptam medicinam mediocrē, cibus quinque uel ſex horis differatur,plus minusu'e ſecūdum uirtutem patientis,& operationis modum, qui medici etſi iſtā regulam obſeruent, non omni ex parte tamen recte' quidam eorum,& ſecundum antiquorum præcepta faciunt.etenim in hac medicinæ parte ſicut in aliis multis errant, quoniam non ſemper quinque aut ſex horis poſt aſſumptam medicinam, cibum dare conuenit,ut ipſi faciunt, Sed in multis perfectā euacuationem expectare oportet :ſumpto ſigno a' ſiti & tolerantia patientis,ut colligitur ab Hippocrate quarta particula Aphoriſmorū,Sermone.xix.& a' Galeno in eodem commēto,ac etiā ex ſæpe citatis locis quarte primi Auicennæ, ita ut aliquando incongruum non fuerit ſi decem etiam uel plures horæ trāſierint modo toleret aſſumēs, quod (ut dixi) ex ſiti & reliquis habebitur,quibus apparētibus, cibum dare neceſſarium eſt in quo ex dictis firma quantitatis temporis regula dari nō poteſt: ſed illam ſumimus rationibus dictis,& iudicio cōiecturali.quare qui hoc modo cibant poſt exhibitionem medicinæ, ea quæ & Hippocrates & Galenus ſecūdo de ratione uictus in morbis acutis ac etiam Auicenna quarta primi,capite quarto dixerunt ſequuntur. Porro' medicinæ operationem, & expectare &

non expectare operæpretium erit, secundum diuersas tamen intentiones. nam expectamus ubi exquisitam, & eradicatiuam euacuationem (ut aiunt) desideramus, neque debilis est medicina, neque fortis ut elleborus, sed mediocris, quæ nec sua substantia; nec sua qualitate uentriculo nocere possit, ut pluribus in locis Hippocrates & Galenus scriptum reliquerunt, & præsertim loco Paulo ante citato, uerbo. xii. & sexto de morbis uulgaribus circa finem. quam sententiam Auicenna quarta primi, capite quinto sequitur, cum dicit illum qui medicinam sumpserit nec comedat, nec bibat, nec etiam dormiat oportet, nisi eius operationem imminuere uoluerit, quo in casu cibum citius dare conuenit, ut est ptisana, aut cist hordei, uel ius pulli id quod recenciores facere consueuere, sed ubi non exquisitam, sed minoratiuam euacuationem desideramus minime expectare operationem oportet. sic uides cibum diuersas habere rationes. quæ non solum se tenet ex parte assumentis, uerum etiam ex parte fortitudinis, uel mediocritatis, aut debilitatis medicinæ, tam ex parte uirtutis operantis ex sui substantia, quam compositione. Sed in illis qui euacuandi ueniunt in constitutione pestilentiali, aut in percussionibus, uulneribus, & aliis huiusmodi causis, medicinæ leues dandæ sunt, in quibus cibi exhibeantur non completa exquisita euacuatione; neque enim credo te ambigere, an i pestilentiali constitutione euacuare conueniat cum sciam te uidisse Galenum in libello de differētiis febriū & Auicennā quarta primi ad præcauendam futuram luem, euacuationem præcipisse, similiter & in percussionibus, & aliis ab extrinsecis causis euenientibus tum quarto methodi Galenus, & Auicenna de soda ex percussione ad præcauendum futurum apostema, & dolorem, medicinas expurgantes dare iubebant, Sed ut facilius, quæ longa oratione sparsa sunt, colligi possint, in tabella seu figura omnia prædicta, quæ primarie ad præscriptam doctrinam faciunt ponam. etenim illa faciet tum ut eorum clarior habeatur doctrina, tum etiam ut ea melius memoriæ mandari possint.

Causæ uariantes constitutionem horæ uel temporis exhibendi medicinam, uel cibum sunt.

Corpus assumens	Medicina
Forte	Fortis
Debile	Debilis
Iuuenile	Mediocris
Senile	Potabilis uel mollis
Sanum	Dura deuorabilis uel dentibus mandenda
Aegrum	Euacuans sensim & minoratiuæ
Huius uel illius temperaturæ	Euacuans exquisite & eradicatiuæ
Fortis uel ibecillis uentriculi & aliorũ mẽbrorũ	
Tempus anni	
Et a qua parte corporis purgare oportet	

Si assumens & medicina fortis sit, Exhibeatur mane, & comedat post perfectam operationem, quod si timeat ne substãtia sua uel qualitate nocumentum in uentriculo relinquat, Detur mox cibus, qualis est ptisana idest succus decocti hordei & expressi, aut ius pulli ut recentiores faciunt, & ut comodius operetur dormiat si opus fuerit.

Si assumens sit fortis & medicina debilis Exhibeatur mane moxque comedat puta una aut duabus horis post.

Si assumens sit fortis & medicina mediocris Exhibeatur mane sumatque cibum postquam medicina operata fuerit. enumerantur autẽ inter sumentes fortes iuuenes, & qui optimam habẽt temperaturam, & fortitudinem uentriculi, & aliorum membrorum.

Si assumens sit debilis & medicina fortis Penitus abstinendum est ab huiusmodi genere medicinarum, in omni hora.

Si

Si aſſumens ſit debilis & medicina debilis

Exhibeatur mane nō ſine cautione: & differat̃ uel properet̃ cibus ad uirtutis tenorem ex iudicio prudentis medici, ut medicina ad opus deduci poſſit, & ut uirtus conſeruetur.

Si aſſumens ſit debilis & medicina mediocris

Exhibeatur mane cū maiori adhuc cautione & differat, uel ꝓperet cibū iudicio ſapiētis medici, ut medicina operet̃ & uirtus cuſtodiat̃. enumerātur autem inter debiles ſenes, & imbecillem habentes tēperaturam, & melācholici, & cōualeſcentes a longo morbo, & etiā qui habent uentriculum, & cetera membra imbecillia, & qui non aſſueti ſunt.

Si aſſumens ſit fortis & ſanus

Dimittat medicinas, niſi, ſi ad ꝓcauendū futurū morbum accipere uoluerit, tunc autem ſit leuis uel mediocris, Tempus ſumendi tam medicina quam cibum ſit ut ſupra.

Si aſſumens ſit corpus neutrū, quod neutrū erit uel decidētiæ uel cōualeſcentiæ

Si ſit neutrū decidētiæ exhibeat̃ medicina mane q̄ ſit debilis uel mediocris, ad ꝓcauēdū futurū morbū & det̃ cibus(ī debili medicina) ꝑ horā aut ꝑ duas poſt, cōualeſcētes medicinā nō exhibeāt, niſi quas cibale uocant medici.

Si aſſumens ſit æger.

Detur medicina ſecundum morbi exigentiam, fortis, Mediocris, uel debilis, & hora qua expedit, uerbi gratia mane, ſi nō eſt quod repugnet, ut acceſſio uel febris principium, uigor & ſimilia, uel aliorū accidentium, ſicq̧ detur quacūque hora diei, nā ī acutis morbis expedit ī eadē hora medicinā exhiber̃, ſimiliter & cibus det̃, ſicuti & uirtus & morbus poſtulāt.

Si aſſumens ſit fortis, & ſanus ī tēporibus uel maxime calidis uel frigidis

Medicina non eſt exhibenda.

Si assumens sit fortis & sanus in uere & autumno

Ad præcauēdū futurū morbum, debiles medici ne exhibeātur, comedat in leuibus ante eius operationē, & in mediocribus, pfecta operatione. sed i cōstitutione pestilētiali quocūq; tempore ad præcauendam malam febrem leuibus medicinis purgare conducit.

Si assumēs percussus fuerit uł ceciderit

Exhibeatur medicina leuis ad præcauendum futurum apostema uel dolorem.

Si assumens sit fortis & medicina mollis uel potabilis

Exhibeatur mane comedatq; pfecta operatione nisi fuerit ipedimentū ex parte accessiōis morbi uel accidētiū, aut ex parte alicuius particularis morbi membri, puta capitis, Pectoris, & huiusmodi, quo in casu detur horis, uesperi scilicet ante & post cœnam, dormiatq; si sic rei necessitas exigat.

Si assumens sit debilis, & medicina mollis uel potabilis

In primis nō nisi leuis exhibeaf mane, nisi sit aliqđ ipediēs, qđ si fuerit def hora magis pficua siue ante siue post cibū, & uespi ante cœnā & post, & hoc secūdū sapiētis medici iudiciū

Si assumens sit fortis & æger & medicina leuis & minoratiua

Exhibeaf mane nisi aliquid ex parte morbi uel accidentiū impediat, & cibetur una aut duabus horis post medicinæ assumptionem.

Si assumens sit fortis & æger

Def digesta materia medicina exqsite purgās, mane, nisi sit impedimentum, ratione morbi uel accidentium, quo in casu detur aliis horis cōgruis, & comedat perfecta purgatione

Si assumens sit fortis uel debilis & medicina dura ut sunt pilulæ & aliæ cō similes compositiones

Exhibeanf secūdū morborū naturā aut, mēbrorū i qbus morbus est uel materiā quā purgaf cōuenit, puta si i stomacho & uiis uicinis, uel pectore & pulmone, & hoc mane, uel uespi, ante cibū, comedatq; secūdum uirtutis tenorē, cicius uel tardius. quod si mēbrorū lōginquiū causa, exhibeanf post cibū tā matutinū quam uespertinum, & si opus fuerit dormiat post, præsertim forti existenti medicina.

QVEDAM Etiam postremo animaduertenda dicam cum ad prædictorum clariorē doctrinam non parum conducant, & ne singula ad tædium usque enumerem, paucis his rē expediā, quippe cū i primis nō pauci sint qui iediā uētriculi minime sustinere possint, quibus si medicina nō operata fuerit cibū exhibere oportet, ne in animi deliquium & similia incidāt. hi uero sunt biliosi & qui assueti sunt multū & frequēter comedere. est etiam utilis aliquando, diei horarū animaduersio in quibus est humorum naturalis uis. etenim ubi humores rebelles euacuationi sūt, ut humor melācholicus, si sua hora moueat foelicius, & cū minore molestia educetur, Neq; ommittēda sunt quæ de medicinis, debilibus, mediis; & fortibus, breuitati studens nimime ex omni parte exposueram, cum etiam ad propositum negotium uideantur, nam medicinas debiles purgātes uocāt medici illas, quæ sunt primi uel secundi gradus, ut sunt uiolæ tamarindi, cassia fistularis, manna siue ros siriacus & similes, Mediocres uero sunt, quæ secūdū gradū nō transeunt, ut est sena, rhabarbarum, agaricus, & similes, Fortes uero sunt quæ post secundum, etiam ad tertium ascendunt, ut scamoneum colocyntis ueratrum, & similes. Neq; accedendum est in exhibitione medicinarum, ad ea quæ omnino quartum gradum cōpletum habent. cum potius inter uenena lætalia quam medicinas enumerētur. Et quoniam raro una medicina simplex purgatiua omnes uirtutes pcise, habere potest, ita ut nihil ei desit aut supersit, ideo necessarium sæpissime est aliam adiungere eiusdem uel alterius gradus, uel ad augendum eius robur, uel ad emendationē alicuius mali, quod in ipsa est, uel ad aliarum causarum compositionis intētionem, ut notissimum est & expertis medicis qualem ego te iudico doctissime magnole & mihi amantissime, ita ut non solum p admixtionē medicinarum id quod diximus in medicinis faciūt, uerū etiam, de gradu, ad gradum sæpissime pmutant. unde & sumendi medicinarum tempus, & cibandi etiam mutāt, & eligunt. nanq; præfixū tempus sumendi tā medicinas, quàm cibum assignari nō potest, ut ex superius scriptis colligi potest. quamobrem etiam plurima parte negotii ex iactis fundamentis, demonstrata antiqui illustres iudicio rationali experti medici, moderanda relinquerunt, Vale Venetiis Kalendis Augusti. M. D. XLIIII.

AD MAGNIFICVM ET CLARISSIMVM Senatorem Dominum Sebaſtianum Foſcarenum Philoſophum eminentisſimum. Epiſtola III. De tuenda ualetudine ac de proroganda ſenectute.



LATO Qui ſine cõtrouerſia etiam de rebus naturæ accuratisſime diſputauit, Clarisſime & doctisſime ſenator Venetæ reipublicæ decus: hominẽ miraculum quodam diuinum ſecundo de legibus exiſtimauit: & ego maximum miraculum hominem ſapientem ſemper perſuaſum habui, qui non ſibi ipſi tantum ad bene beateꝗ uiuendum intentus eſt, ſed patrie, & (ut ita dixerim) mõdo utilitatem, & fructum affert, uir enim ſapiens inſtar cœleſtis corporis ſupra fortunã eternus impertubatus, indefatigatuſꝗ exiſtit, atꝗ cum Deo (ſi doctisſimo cõmentatori Auerroi in præfatione de phiſica auſcultatione: credimus) coniunctus fœlicitatem contendit: hoc maximum naturæ miraculum ad hanc noſtri temporis diem in te natura ipſa declarauit. Vt igitur quod nobis rerum genitrix miraculum & diuinum munus aliquando donauit: diu uobiſcum ſplendere & prodeſſe ualeat: hæc tibi de ſanitate tuenda, ac de tardanda ſenectute, uitaꝗ proroganda, ſcribere decreui: non quia putem hæc te ignorare, cũ nihil amplius ſit circa rerum cognitionem quod in te deſiderari posſit, ut decet. Sed cum te particularibus negletis asſiduum reipublicæ adminiſtrationi in ata in patria pietate ſtudere uideam: ea de cauſa putaui te admonendum eſſe, ut ſi quando a' publicis negotiis uacas (quod raro fit) ualetudini tuæ conſulas, ne hoc naturæ miraculum mundus amittat. Agrediar igitur opus ipſum, & primum cum ſapientes omnes medicinam in theoricam & praxim diuiſerint, & Auicenna facile' medicorum princeps ambas partes ſpeculatiuas poſuerit: ita ut cum quis eas habuerit utramꝗ ſcientiam: & ſpeculatiuam & practicam ſimul conſecutus ſit affirmet: etiamſi nunquam penitus operatus fuerit. ea propter ambabus partibus permixtim inſtitutum hoc perficiam. etenim Galeno teſte primo de medicamentis ſecundum loca, data ſunt nobis a' natura, ſcilicet ratio & experientia quibus actiones uitæ iudicamus.

camus.hec duo regere corpus ſanum & ne in morbum ex incognitis cauſis incidat docent.Incidet ſane in morborum temperaturæ genus ſi in corruptionem inclinetur,quequidem corruptio ſecundum naturam, ut dixit Galenus in primo de tuenda ſanitate duplicimodo fit, & eas nemo effugere poteſt.Harum ſi quidem altera eſt humidi radicalis exiccatio quá ſenectus inſequitur:altera uero eſt continua noſtri corpori diſſolutio, à calore innato agente ob quam animal eget cibatione:ut ſcilicet, diſſolutas partes iuſtauret.Cibus namq; & potus ſicci & humidi ſubſtantiam inſtaurant calorem uero moderatum inſpiratio ſeruat. Hæc autem operationes nobis natura inſita ſunt, cum neq; edere, neq; bibere, neq; inſpirare addiſcimus. Nec uelim ego aliquẽ credere me,clariſsime ſenator,hominem à morte liberari regimine tuende ualetudinis poſſe, aut ab exteris omnino nocuis defendere, ut ſcilicet ad extremum ſenectutis & uitæ peruenire ualeat, ſed duo emolumenta hominibus præſtat:prius quidem humiditatum inflamationem prohibet,poſterior ne radichale humidum cito abſumatur. fit etenim humorum inflammatio:& marceſcunt, ſi à calore non naturali arripiantur tam extrinſecus, quàm intrinſecus, non tamen quemadmodum in febribus aſſolet, enimuero inflammatur homo à labore & aliis exterioribus cauſis, atq; ab ira & cæteris intrinſecis calefacientibus: præterea exiccantur per ærati/uum decurſum,ſicq; duplici hac uia ad interitum tendimus. quarene priuſquam natura propria opera humidum radicale abſumat, aut extraneum reddat, medicinalis ſcientia eſt illa, quæ hominem regulando per mediis regiminis,ut infra dicetur finem intentum,qui ſanitas eſt, promittit. Et ut ea ipſa commodè cuſtodiri poſsit, prius operæpretium eſt cauſas tum ſanitatis, tum etiam eas, quæ à ſanitate corpus detrahere ſolent, ſcribere:ut illis amotis ſanitas ſeruetur, ſenectus tardetur,& uita prorogetur. quæ omnia per capita diſtinctè ſubſcribam.

Caput primum docet cognoscere causas, quæ corpus a' sanitate ammouere solent.



VNT Optime' ualetudinis tot numero, quot morbi causæ dicũtur. At causæ morborum genere tres sunt. igitur totidem morborum causas enumerare oportet. hác sententiam scripsit Galenus primo de morbis, & Auicenna secunda primi capi. secundo primum siquidem genus malæ temperaturæ est, secundũ autẽ indebita compositio, tertium uero unitatis dissolutio. Erit itaq; optime ualetudinis custodia, si optimæ temperaturæ, & compositionis, & unitatis causas conseruabimus: nam siquis dicta custodierit, hominem ad extremum naturæ terminum, procul dubio conducet. porro (ut dixit Plato in Philebo) uitam & sanitatem in quadam calidi, frigidi, humidi & sicci proportione consistere, sicuti morbi in eorum improportione fiunt a' quibus intempestiua mors properat quam sententiam accepit ab antiquissimo & diuino Hippocrate in libello de hominis natura. hanc eandem proportionem in compositione & unitate obseruare oportet, ut docte scripsit Auerroes in libello de longitudine, & breuitate uitæ. Harum omnes ĩproportiones causas in indebitam sex rerum necessariarũ administrationem esse grauissimi medici omnes statuerunt, quibus cum etiam alias causas addũt, quæ facile' cum istis coincidunt, ut est casus, percussio, & similes, quæ præter naturam sunt, & a nobis euitari possunt, sicuti sex res aliæ necessariæ. Sed quoniam regimen tuendæ sanitatis non unum duntaxat, sed multiplex est, sicuti & ætates, & temperaméta, & regiones, & cõsuetudines, ac anni tempora cum diuersa sunt, ut testatur Galenus de tuéda ualetudine. Non omnes sane' enumerabo, sed quas post uigoris ætatẽ usq; ad ultimam senectutem conducent annotabo. Nec ex omni parte adolescentium & reliquarum ætatem regimen prætermittam, cum sæpæ per illud clariori doctrina, necessaria' in reliquis demõstrabo. quæ uero ad indiuidui proprietates spectant in quibus discursus minime potest, experimentis credere operæpretium est. Quæ omnia (etsi ad perfectionem, longa examinatione egeant) dabo tamen opera ut quam maxime potero

breui id faciam,& ita clare ut nec uerbum quidem interpretatione indigeat. Deum tamen primum, ut admonuit Plato quarto de legibus, oro: qui exaudiens propitius & benignus mihi adsit, ac mentem meam dirigat, ut passim precepta tradere (nō dixero q̄ naturales causas corrigere ualēt, quoniā hoc minime a medico fieri potest) sed quæ per accidēs ad dissolutionem suffocationem & marcorem faciunt: scripsit namq; Auerrois in libello de causis longitudinis & breuitatis uitæ illa corpora longiorem uitam habere quæ plus plusq; principiorum uitæ habent: hæc uitæ principia duo in præsentia erunt scilicet innata caliditas & humidū radicale. Et hoc est (ut dixit Aristoteles in eodem libello) quoniā calido uiuimus & humido nutrimur. Tota igitur ratio huius negotii erit tueri hec duo tū ab extrinsecis, tū ab itrinsecis rebus exiccātibus atq; calorē dissoluētibus suffocantibusq; ea uero quæ ista operantur sunt res nobis necessariæ, non naturales dictæ. Et quanquam plurimi antiquorum primo exercitandi modum docuerint, ego tamen ab aere initium auspicabor.

Caput secundum docet aerem corrigere.

MAximum præceptum in conseruatione sanitatis, ut aer corrigatur sapiētes omnes posuerunt. Etenim mutat aer continuo corpus nostrum plurimis mutationibus per tempora quatuor anni & contingentia eorū accidētia ut sunt pluuiæ, uel si penitus non pluat, caliditas æstuosa, frigora congelantia, uel mortifera, euaporationes malæ, uel corruptiones pestilentes: est etiā quidā modus alterationis per quē fiunt morbi multiplices & mali, quorum causæ sæpe ignorantur: astronomi tamen eas reddere contēdunt. At quoniam magna ex parte mendaces sunt minime illis tute credere possumus: sed medicis procul dubio credimus, quoniam non nisi per exteriores sensus & rationem omnia deducunt, teste Galeno passim per omnes methodi libros. Animalia enim quæ spirant ut homo, indigent cordis continuæ refrigeratione quæ fit inspiratio nem aeris extrinseci quam, ut docte dixit Haliabbas quinto theorices, capite secundo, nemo effugere potest, uelit nolit, in eo degere oportet. Sit itaq; aer i primis clarus, apertus, iucūdus, temperatus. Nam

hic omnibus ætatibus,complexionibus,sexibus,& temporibus conducit,ut docuit Hippocrates in libello de natura humana. Temperatus uero aer cognoscitur,si mox post solis occasum refrigeretur,& etiam sole ad surgente quàm primum calefiat,& iucunda sit eius refragrãtia. Ecõtra aer excedens tam secundũ primas quàm secundum secundas qualitates abhorrendus est, ut est nimis calidus,frigidus,siccus,humidus, subtilis, crassus, & similes,præsertim si commixti fuerint cum eo uapores à paludibus & locis putridis eleuati,ut sunt latrinæ,cloacæ,cymiteria mortuorum, item arbores fœtide, ut buxi, & nuces & similes. Etenim,inquit Paulus Aegineta, in quacunq; ætate & tempore aer malus morbiferus est,quare indiget correctione,diuersa tamen secundum eius à temperamento elongatione & malitia, ac etiam si secundum anni tempora & reliquas diuersitates. Nam uere si processerit aer cursu naturali,minime arte eũ alterare oportet. At si declinauerit ad aliquam excedentem qualitatem uel primam uel secundam,aut(ut aiũt)occultam,occurratur ei cum suo contrario,uel amuleto, uerbi gratia,in calida exuperãtia cũ irrigatiõe domus & cubiculi & sparsiõe ex aqua sola,uel rosis,uiolis,pomis, citriis, & similibus. Ista quoq; bulliãt,ut ex eius euaporatione domus aer rectificet. Spargat etiã aqua rosacea, & eam odorent solam aut cõmixtam cum aliquo alio bene redolente, hac etiam cum similibus lauent manus & faciem. Similiter si in aliis qualitatibus excedet,aer suis contrariis corrigendus erit,ut humidus siccis & similiter in aliis. Aestate uero cum caliditas & siccitas temperamentum superent, domus aspergat iam dicta decoctione uel alia consimili. Suntq; folia & flores frigidi bene redolentes qui per domom spargantur,ut sunt rosæ,uiolæ,nympheæ,uel bulliãt flores dicti & herbæ bene redolentes,& frigidæ cum sandalorum portione & domus & cubiculum aspergantur. Refrigerant etiam aerem uẽti septentrionales:quare aperiantur fenestræ respicientes ad illas partes,nihilominus aduertendo ne forte uenti eleuentur à locis paludosis,uel transeant per loca ubi uapores putridi eleuantur. sint quoq; fructus bene redolentes præsentes,ut poma, pira,persica,cydonia,citria,limones & reliqui. Neq; tutò in maxima æstatis caliditate homines uentis meridionalibus se exponunt,etenim laxant corpus,& imbecilles neruos reddunt, con-

turbant humores,sensus omnes obtudunt, & cerebrum super-fluitatibus implent,pigritiam nutriunt, digestiones & appeté di uim debilitant, & deniq; uniuerso corpori nocent. Sed quoniam autumnus raro uel nunquam uno & eodem modo se habet cum aliquando in suis partibus pluuiosus,calidus & aliquãdo uentosus borealis,frigidus sit ideo eius aeris corrigendi unica regula nõ sit,sed secũdũ eius diuersitatẽ diuersimode moderetur;ut si calidus cũ iã dictis frigidis,& si frigidus uel humidus cum calefacientibus & exiccantibus:ita ut ad quandam temperiem redigatur,uerbi gratia,addendo in iam dictis folis & floribus,atq; aquarum & decoctionum sparsionibus flores & herbas calidiores, ut sunt flores citri,folia rorismarini,saluiæ,maioranæ & similes,& etiam frondes lauri,cupressi,& suffumigatur domus cum iam dictis decoctis uel cum suffitis in quibus quoq; portio garyophyllorum, cinamomi, macis, macalef, quod est semen satis odoratum & suaue,in regione Damasci nascens. bulliatq; storax calamita & belzuim quẽ myrrham potius esse credo, quàm illam, qua utimur, & quoq; magis ipsi descriptioni myrrhæ cõueniat. Ad hæc etiam conducũt aquæ & unguenta quibus nobiles in suis luxuriis utũtur,ut est aqua ex floribus citri cum portione musci & ambræ permixta quibuscum & manus & facies lauentur. Vnũ tamen scire operæpretium est, scilicet,ignẽ omnem malam aeris qualitatem aduentitiã & putrescibilem destruere.Similiter & aceti euaporatio, quoniam sua frigiditate & siccitate uapores mali aeris corrigit atq; putredinem in eis prohibet. At in hyeme cum aer à temperamento per frigidum primo declinet, igne corrigẽdus erit. quòd si pluuiosus fuerit,aut ad aliquam aliam qualitatem mutatus,moderetur suis contrariis,ut sunt iam dictæ decoctiones herbarum calidarũ & aliarum rerum subtiliãtium & bene redolẽtium,ut sunt folia lauri rorismarini, saluiæ,mẽtæ,pulegii, hyssopi,& similium, fiat etiam suffitum ponendo super carbones ignitos ladanum,styracem,belzuim,& similia:uel ponãtur mixta ex dictis aut usualia pro diuitum odoramẽta,ut est gallia muscata & alipta muscata,pastilli de ligno aloes,uel bulliant garyophylli,cinamomum,macis,lignum aloes,& fiat euaporatorium præsertim in cubiculo,uel fiat ex simplicibus odoratis dictis subacta pasta in mortario cum uino odorifero,& super car

bones ignitos ponatur insuper ex usu est hoc tempore quoq;, corpus a frigore custodire uestimentis: quæ sint ex cõsutis pellibus, & præcincta, ut calor circa corpus custodiri possit, ne frigus eum extinguat, sed quicquid sit de aliis, Ignis omnem frigidam, humidam malã qualitatem aeris destruit. quo'd si ex odoratis lignis erit, qualia sunt laurus, iuniperus cupressus, pinus, & similia, longe melius aerem per ignem corrigere potes. & ut omnia quæ aerem mutare ad malam aliquam qualitatem possint, tollantur, mundentur latrinæ & cloacæ uicinæ & riui præsertim Venetiis, ne domos & uias sua mala euaporatione offendant, sicq; omni diligentia in quocunq; anni tempore studendum est aeris emendationi, ut quantum fieri potest, temperiei propinquus sit. aer nempe in suis qualitatibus moderatus & ab extraneis deputatus humores omnes & spiritus clarificat, digestionem, ac omnes naturales uirtutes & operationes corroborat, uires naturales tam exteriores qua'm interiores adauget, sanitatem conseruat, uitam prorogat, & senectutem tardat. q; si forte aer mutatus sit putrescẽs in se uel per aliud, ita ut acquirat qualitatem quam pestiferam uocãt, ita ut in omnibus ægritudines malas & perniciosas gignat. quod cognoscitur, quia multitudo hominum siue discrimine una & eadem ægritudine & ut plurimũ pereat, salutiferũ in hoc est rimediũ ab eiusmodi loco procul effugere. at si aliqua necessitas i eo loco degere cogat ignis perpetuus domi sit, atq; continua aceti aqua permixti aspersio, & reliqua, de quibus copiosius in eo quem de febre pestilentiali scripsi.

Caput tertium docet modum exercitationis & quietis.

Exercitatio & motus plurimum corpora conseruare, otium uero ea corrumpere aiebat Plato in Theæteto Quam sentẽtiam non tantum ad corporis ualetudinem: uerum etiam & ad animi doctrinas tum acquirendas tum seruandas applicauit. Sapienter etiam & sane, in hanc sententiam scripsit Hippocrates in libello de ratione uictus qui iussit metiri labores ad ætates, habitudines corporis temperiem anni tempore, mutatione temporum, loca in quibus degunt, & ad cibariorum etiã quantitatem; nam contrarium dixit cibum & labores interse

esse.qui tamen utricꝙ sanitati cōducunt cum moderati labores superflua amoueant, sicꝙ ualetudinem optimam præstent. Quare ex usu est exercitatio,quæ minime hominem defatiget ne mēbra languida reddat. Porro nihil est sanitati quod magis conferat exercitatione,quæ tēperata si sit calorē natiuū in omnibus membris excitat,& īde optima cibariorū & reliquorum humorum præparatio,coctio,distributio,& in mēbris assimilatio,ac etiam excrementorum expulsio sequatur. Nam etsi tā in cibo,quàm in potu omnis regula seruetur nihilominus excrementa necessario fiunt, quæ modesta exercitatio consumit, & per meatus conuenientes expellere adiuuat, sicꝙ corpus ab excrementis superfluis mundum reddit. Et quoniam exercitationes diuersæ sunt,cum quædā sint fortes & laboriosæ,& quædam moderatæ & debiles, primæ interdicantur quoniam primum uirtutes omnes exterminant,ac cibariorū coctionem & alias naturales operatione impediūt.Sint igitur exercitationes moderatæ cū calorem innatum & uires corroborent.Et hac ratione omnes operationes tam naturales,q̄ uitā uitales &etiam animales ualidissime reddūtur.& inter cætera exercitia moderata nō tantū corpus uerūetiā & animum hilarem reddūt. Hæ sunt uenationes,piscationes & aliæ quæ gaudium inducunt cū temperato motu uel deambulatione.Multi quidē(ut dixit Galenus) à malis ægritudinibus leuibus exercitationibus liberātur.& quāquam in robustis & iuuenibus (ut ipse dicebat) in libello de exercitatione paruæ pilæ, maiores exercitationes laudentur,ego eas quæ senibus ex usu sunt commemorabo, quæ etiā iuuenibus cōducūt. Salutaris igitur exercitatio erit,si quotidie mane antequam lectulum egrediatur partes omnes corporis suo in dusio uel linteo aliquo leuiter fricētur præsertim pectus,& sub alis ac uentrē & inguina,mox caligas & reliqua corporis indumenta & ornamēta suis met manibus induantur. sic enim corpus modeste exercetur, calor & spiritus excitatur. Hæc dum exequuntur, tussire sputum & alia excrementa excitare utile est,subinde capillos & barbam pectine speculo mediante extricando ac leuiter cutim scalpendo cum aliqua mora intendendum erit. Nam in eiusmodi mora fricando meatus capitis cutis aperiūtur,& superfluitates exterius excitantur,unde uirtutes omnes interiores,scilicet imaginatiua, cogi-

tatiua, & memoratiua ualidiores redduntur, ac etiam prom ptitudo animi & alacritas insequitur. Dixi mediante speculo capillos pectere quoniam speculi inspectio uisum roborat, & animales omnes uirtutes excitat. Tum inde manus & faciem aqua lauabis, hyeme calida, qua cum etiam aliquid bene redolentis commisces, ut est aqua stillatitia saluiæ, rorismarini, & similium; cæteris temporibus aqua tepida, sit permixta tamen stillatitiis aquis temperatis, & minus calidis, ut est aqua florum citriorum quam namfam uocant, uel rosarum & similium, sitq; sapo compositus ex macaleph, irryde, garyophyllis & similibus: post lauationem tergat manus & faciem fricet, oculos linteo nitido & bene redolente. His peratis ac toga indutus domum egrediens. & pedibus leuiter deambulet ad prætorium accedat, uel ad alium quemuis locum, quo'd si contingat in senatu uel in priuato magistratu orationem habere in primis summissa uoce incipiendo gradatimq; ascendendo, ita ut commode & sine uirtutis nocumento oratio perficiatur. Quo'd si longa habenda sit, temperetur sermo in medio, deinde iterum sensim uox eleuetur. Etenim orationis exercitatio si moderata fuerit, calorem naturalem excitat, coloremq; corporis bonum efficit, pectus mundificat, ac uias & uenas pulmonis dilatando magis respirationi & inspirationi apertum reddit, præsertim si inter dicendum anhelitus aliquantum retineatur. Nam spiritus retentio calorem & spiritum uitalem colligendo recreat, & uirtutes omnes roborat, econtra nocet multum, si diu & alta uoce exclametur, cum inde fiat non modica aeris interioris expressio, & spirituum resolutio, cerebri etiam commotio, unde sequitur materiæ catarrhalis descensus. Quod attestatur raucedo in fortiter uociferantibus. Et ad summum scire oportet, quod sicuti moderata uox plurimum confert, ita immoderata, impetuosa alta, & longa ualde nocua est. Perfecta itaq; oratione, descendat, sensimq; ambulet, postea quiescat, & in loco in quo minime uenti, uel aer frigidus ingredi possit, se recipiat. Quo'd si etiam ignis accendatur, non sine beneficio erit. At si sudauerit detractis uestimentis corpus uniuersum tergatur pannis lineis calidis, mox iduat indusio & reliquis uestibus. Quo'd

si

si fessus & languidus fuerit, lectulum ingrediatur, ac quiescat, donec uires reassumentur. etenim per quietem euocato calore uires recreantur. Illud tamé attendendum est consuetudinem alteram naturam esse, ut scripsit Aristoteles in libello de memoria & reminiscentia, & Auerrois in primũ de Physica auscul. Quare tam in exercitatione quã in aliis mensuram à consuetudine aliqua ex pte accipere oportet, & (ut dicebat Hippocrates prima particula Aphorismorum,) consuetudini, tẽpori, ætati, aliquid dare oportet: & q assueti sunt laboribus, eos facilius ferrunt etiam si senes & imbecilles fuerint, in secunda scripsit particula Aphorismorum post labores, ut puta, si de mane fuerint post quietem ad prandium se conferant: si uero uesperi cauendum erit, ne ad eos accedat siue fuerit ad dicendum, siue ad aliquod aliud nisi prius cibus per aliquas horas in stomacho fuerit, uidelicet per quatuor horas saltem, sed detestabile semper quodcunq genus exercitationis est, si notabile tempus ab assumpto cibo non fuerit, & qui nõ cauent, sæpe in malas ægritudines & febres incidunt, & hoc ex penetratione materierum crudarum ad uenas & reliquos meatus corporis. Sunt & alia genera exercitationum leuium, ut est manus commotio, brachiorum extensio, quæ fit contorquendo, fricãdo, & eas inter se percutiendo ac etiam stringendo. At brachia extendimus, si ea ad caput attollimus, uel arcum extendamus, uel similia exerceamus. Sed saluberrima inter cætera est deambulationis exercitatio; præsertim post longam quietem, & cum plurimæ materiæ crudæ in uentriculo fuerint: nam ubi calor non potest ea absumere, consuluit Auicenna uti exercitatione ad excitandum calorem innatum, qui est naturæ instrumentum, quod si aliquando animi causa Rhus aut loca campestria petere cõtigerit, cursus moderatus, & saltatio leuis, optima exercitatio est: quæ magis iuuenibus & robustis couducet. Sed equitatio & uehi curriculo & ludere lancea atq parua pila, sunt ille exercitationes nobiles quas Galenus inter cætera laudauit, non tamen senibus cõueniunt, postremo ex usu est caput & barbam ante prandiũ lixiuio i quo bene redolentiam bullierint, semel saltẽ in Hebdomada, lauare similiter & pedes: sed siue ista, siue illa fuerit exercitatio, moderatam tamen esse oportet: nam immoderatus labor, (ut dixi) corpus exiccat; quare sit ille qui ad sudorẽ corpus

parare posſit, non tamen ſudet, & ut ſumm atim dicam, nunquã exercitatio bene ualentibus intermittenda eſt, ut ætas robur, & reliqua poſtulant: nam ſunt etiam exercitationes quædam leues quæ delicatis, debilibus, & ſenibus ex uſu ſunt, aut eſt ludere latrunculis & teſſeris uel aleis, & ſimilia, uehi cymba Venetiis, & alibi lectica. Dicebat nanq; Auicenna ꝙ interdictio exercitationis omnes uirtutes imbecilles reddit. nã quies immoderata plurimas ſuperfluitates gignit, à quibus materiales morbi non pauci fiunt: etenim corpore penitus quieſcente, & materiis crudis auctis obſtructiones ſequũtur: ac ſubinde diſtributionis nutrimenti impedimẽta. Ecõtra exercitationes repletionem prohibent, calorem naturalem augent, meatus adapertos detinent, corporis agilitatem præbent quotidianas ſuperfluitates ad euacuationem parant, uniuerſum corpus neruos & articulos & deniq; omnes uirtutes roborant. Quòd ſi forte fortuna ex aliquo labore laſſitudo & languor acciderit, quieſcere mox (ex Hippocratis ſententia in Aphoriſmis, & Galeni in arte medicinali) medicamentum eſt.

Caput quartum amplexus uenereos examinat.

QVoniam uenerei complexus non ſine motu & exercitatione fiunt, ea de cauſa poſt exercitationis documenta de uenereis ſermo erit. Et tametſi plurimi ſint qui inter animi paſſiones hanc partem locandam eſſe cenſent, ego tamen in præſentia poſt dicta de exercitatione eam ſcribam: porro ut dixit Galenus in libello de locis affectis: ſemen cum ſuperfluit, eſt ex illis quæ ægent euacuatione, ſicut cætera excrementa, puta urina & alui excrementa, & reliqua: nam ſi retentum fuerit, ita ut uicietur, naturam ueneni acquirit: ſicq; malos & timoroſos affectus gignit: fiunt etiam ægritudines malæ, ſiquis nimio amplexu uenereo uſus fuerit: quippe cum & corpus exſiccet, & ſenectutem acceleret. Præſcripſit nempe Plato in quinto de Repub. tempus uſus uenerei, ad procreationẽ uiris ad quinquageſimũquintũ uſq; annum. Hunc ſanè terminũ ultimi uigoris temporis uitæ credidit eſſe. At res nõ ita in quacũq; regione ſe habet, cũ ſint & qui ſexageſimum annũ tranſierint, & robuſtiſſimi ad omnes operationes, quicquid tamen de hoc ſit, nemo ad

uenereum amplexum accedat nisi desiderio naturali simuletur, & uir sit roboris alicuius: etenim nocet magnifice imbecillibus, conualescentibus, tabidis & senibus, tempus anni ad hoc uer est accommodum hora uero est postq̃ dormierit, & coctione ciborum in uentriculo facta: neq; blanditiis excitetur, & sit cũ muliere nitida, elegante, & grata, & in tali complexu ita se habeat, ut si fieri potest, nulla sequatur resolutio, aut membrorũ lassitudo. Et post seminis missionem, sit ea mora, ut eleuationem aliquam sentiat, & melius respiret, & dormiat. Id scito carnosis, & assuetis minus nocuum esse: porro siquis uenereis modeste & secundum naturæ indigentiã utatur, corpus leue reddit, letitiã, & hilaritatem in anima gignit: ac passiones animũ perturbantes remouet. Ecõtra si immoderatus fuerit, & in tempore non congruo, ut puta tempore inediæ, uel super repletionem, uel post ualidissimum laborem & similia, præsertim si aer pestilentialis fuerit, sic nanq; humidum radicale cõsumit & ad ægritudines malas parat, & senectuté accelerat: in robustis etiã sæpe uẽtriculum debilitat, cerebro & omnibus uirtutibus animalibus tum interioribus tum exterioribus grauiter nocet, & ad hecticam, & marasmum deducit: & ea ratione dixit Galenus in libello artis medicinalis uenerea secundum Epicurum minime prodesse aliquid posse. Quare in quacunq; ætate & tempore ab immoderata uenere abstinendum est, tanquam a uenefico angue, sed præsertim in senectute.

Caput quintum somnum & uigiliam moderat.

EGent animalia cuncta, humiditatis radicalis, quæ per labores, & uigilias assumũtur, regeneratione, & spiritus resoluti instauratione, quod commode natura moderato somno perficit, & complet, etenim somnus concoctionem adiuuat, laborem, & lassitudinem tollit, calorem intraneum reuocãdo, naturalia, & cætera mẽbra calefacit: sicq; omnibus uirtutibus adauget, roborat, & præsertim animales interiores ueluti per cõtrarium, etenim cum uigilia labori assimiletur, & somnus quieti, q; labor absumit, quies instaurat, ea etiam ratione post iam dictos duos modos exercitationis de somno & uigilia consequenter dicamus, ut sermo iste aliqua ex parte rationali continua-

tione nõ careat. Igitur ſõnus ſit nocturnus & moderatus ab aſſumpta cœna per duas horas, ita ut cibus iam ad fundum uetriculi deſcenderit, & iam finierit uigilandi potentiã. dixi moderatum ſomnum quoniã cũ ſuperfluus & prolixus ſit, (ſi credimus doctiſſi. Rha. in quarto ad Almanſorem) refrigerat, & exiccat, pituitoſumq́ humorem generat, quo multiplicato reddit corpus pigrum, ſegnem, & torpidum. Attamẽ nõ ſit ſomnus minus ſex horarum ſpatio, etiam in robuſtis, & iuuenibus: ſenibus tamen longiores ſomni conducunt, utpote qui egent maiori radicalis humiditatis inſtauratione & materierum crudarum in uentriculo concoctione. Quapropter longiori tempore dormire conducit, ut puta ad octo & decem ad ſummum horarum ſpatium, neq́ horis meridianis ab aſſumpto prandio ſi fieri poteſt, dormiẽdum eſt, cum ex eo plurima fiat ad caput euaporatio ac materierum catarrhalium in ea coaceruatio. Quæ deſcendentes ad inferiora membra plurimos malos affectus præter naturam cauſant, ut ſi ad pectus, tuſſes, & aſthma, & ſi ad uentriculum cõcoctionem impediunt, appetenti uirtutem obtundunt, ac obſtructiones ueneficas cauſant, attamen ſomnus aliquando concedendus eſt aſſuetis in die dormire, & etiam quibus nocte ex aliqua cauſa non dormierint, & illis quoq́ qui imbecillem uentriculum habent, ita ut cibum ægre concoquere ualeant. Quicquid tamẽ ſit, diurnus ſomnus ſemper malus eſt, ſi eum ad nocturnũ comparare uoluerimus, præſertim ĩ calidiſſimis & æſtiuis diebus, & ſic, ut dixi, neceſſitas aliqua in die ad dormiendũ cogat, id fiat ſedendo, nocte uero in lectulo pannis coopertus ſuper latus non ſupinus, & cum aliqua capitis eleuatione nõ extenſis membris, ſed cum aliquali contractione. nam membrorum quies, ut dicebat Galenus de motu maſculorum, in quadam moderata membrorum contractione conſiſtit. Sic etiam commodius dormire ſolemus, ac ueriora & iucunda ſomnia uidere, & dicebat Plato in ſuo de Rep. libello. Igitur ſtudendum eſt ut omnino moderate dormiamus, etenim uigiliæ ſenibus nocent, & eo magis ſi nimiæ fuerint cum ſuperflua uigilia corpus exiccet, & formam corrumpat, & ad febres ſuſcipiendas corpora paret, econtra moderata uigilia (ut dixit) Ariſtoteles in libello de ſomno & uigilia, cum ſit illa quæ primo intenditur in animante, plurimum uiuẽtibus confert, ſomnus uero eſt,

ro est,ut melius uigilemus,& tametsi in somno meliores coctio nes fiant,in uigilia tamen cætere omnes operationes & uitales & animales ualidiores apparent,nam (ut dicebat ipse Arist. in eodē libello)in uigilia sensus omnes soluuntur, & anima impe/ rat sensibus,& uirtutibus exterioribus & interioribus,ita ut ho mines ad proprias operationes exeant, tam pro uirtutis cōser/ uatione,ut est, cibum assumere,superflua excrementa pellere, (in quibus cū brutis conuenimus,) quam pro intellectione, ut sunt sensus,imaginatio,cogitatio,& intellectus, per quem deo similes aliquo modo sumus. Siquidem uigiles sensata apprehen/ dimus,& in imaginatiuam ponimus,circa quæ intellectus mo/ luis discurrit & postremo intelligit, sicq; intelligendo beamur. Vigiliæ igitur sint moderate, quoniam cum excedunt(præter ea quæ superius dicta sunt) uires corporis & sensus omnes de struunt, & in senibus tristitiam inducunt, & cerebro nocent. Quare si superfuerint studendum est ut somnus arte introdu/ catur,porro uigiliæ senibus natura accidunt, ætatiua siccitate (tametsi ex accidēte humidi sint.) Fiūt etiam in senibus ex eua poratione salsæ pituitæ:ad cerebrum,qua abūdant. Nempe siue ab ista, siue ab alia fuerit causa cum somnus per quandam pri mo humidā euaporationem fiat, secundario uero per refrigera tionem,humectatiuum regimen quod non nimis refrigerare ualeat ad eius excitationē cōducet. Et sūt i primis cibi,& potus temperati,quibuscū,admisceatur lactuca, quam laudauit Gale nus ad somnū conciliandū,in secundo de alimentis. At qm̄ frigi da nō ex omni parte senibus ex usu sunt,ideo cinamomi portio nē addere optimū erit, qm̄ p̄terquā quod,frigiditatē lactucæ tē perat & somnū etiam cōciliat, idē cinamomū sumendū erit cū (papauere si opus fuerit)ipsum post cænā sumere. Sed qñ lactu ca eo modo cōdita somnū minime cōciliare posset:sunt & aliæ res,quæ ad excitandū somnū faciūt, ut melissa post cibum co/ mesta & uinū etiam bibitū præsertim senibus cōducit, aut offa panis in uino madefacta, qm̄ senes indigāt humētatione instau rante. Sunt & odores ad somnū facientes, ut uiolarū, rosarum, Nympheæ,Papaueris,Mandragore,Sandali, Anethi,Coriādri, Myrthi,Cinamomi,Ladani,Mirrhe, & similiū,quæ simul com mixte tutius odorātur qm̄ quæ calidæ sunt corrigunt nocumē tum quod a frigidis euenire posset. Etiam res prædictæ possent

bulliri in aqua fōtium cum decima parte uini aromatici ac eua porationem dictæ decoctionis odorare, & erit grata, & ad excitandum somnū senibus pficua. Isto uel alio igenio omnino somnus procurandus est, etenim in senibus maius nocumētum ex superflua & immoderata uigilia sequitur, quā ex somno. Præterea studendū est, ut commode & utiliter dormire possimus, quod fiet, si super latus dextrum prima fuerit accubatio, ut sic p duas horas manens cibus facilius ad fundum uentriculi descendat, subinde super sinistrū longiori spacio quiescere ex usu est, qm̄ ex amplexu iocinoris sup uentriculū uigorato calore naturali ipsius cibi, concoctio & citior, & melior fiet. Quòd si uētriculus ualde imbecillus fuerit ex caloris remissione, quod cognoscitur si sensata frigiditas in ea regione, & acidus sapor ex eructatione in ore percipiatur, uel etiā si sputū insipidū frequens a cibo fuerit. Laudabilius postremo est super uentrē somnū incipere, tempus uero cōferendi se dormitū sit a cœna duabus horis, & quantum fieri potest somnus supinus super dorsum fugiendus est, qm̄ præparat corpus ad prauas ægritudines præsertim distillationes & tusses, quibus senes obnoxii sunt.

Caput sextum cibaria congrua & potus sumere docet.


HActenus aeris exercitationis, & quietis, uenereorū, ac somni, & uigiliæ usus pertractaui, utpote ea quæ corpus inaniunt, & superflua assumūt, atq; etiam appetitum ad cibum excitant si modestè administrentur, iure igitur optimo de illis quæ comeduntur & bibuntur nūc dicere loqui institui. Etenim (ut dixit Galenus primo de alimētis) sine moderato alimēto homines siue sani fuerit, siue ægri minime cōmodè uiuere possunt. Quare operæpretiū est, ut cibaria eligātur, quæ primum humidum radicale laudabili succo instaurare possent, quæ minime crassa & excremētosa sint: quoniam calor imbecillis, qualis est senum calor, nō potest alimēti crassam substātiam immutare. Sint quoq; ex illis qui facile in uētriculo concoquuntur, & breui tempore è stomacho descendant. Quare in primis panis sit ex optimo tritico non antiquo, sed à rebus extraneis mundo, & in summa sine aliquo extraneo accident in substantia odore, sapore & aliis, sitq; bñ fermētatus, salitus, & moderatè decoctus,

qui etiam post coctionem per diem quieuerit. Nam si recens comedatur, inflat, calefacit, sitim & obstructiones generat, & ad caput euaporat. Porrò panes recens & ex nouo tritico omnibus ætatibus conueniens est, & præsertim senibus cum optimum & plurimum succum generet, impinguet, & uelociter, nutriat. E contra panis ex antiquo tritico, plurium dierum uel qui fuerit bis coctus, tardè nutriat, exsiccat, astrigit, & naturæ ifestus est, ita ut si ex supflua comestione panis illaudabilis aliqua noxat fuerit, illa quidé maxima est, cũ tarde digeraƭ, & obstructiones mesaraicarum uenarum & iocinoris faciat, & quã quam panis similaceus in deliciis laudetur, attamen ille qui nõ ab omni furfure mundatus est, facilius coquitur, & eius excrementa citius per aluum expurgantur. Reliqua uero genera panis, ut ex hordeo, millio & aliis granis interdicantur. Etenim sunt mali succi & plurimarum superfluitatum atq; tardæ concoctionis. Plurimosq; morbos hæreditare faciũt. Carnes quoque sint illæ quæ optimum & plurimum alimentum generent atq; facilè concoquantur, neq; in ipsis létor uel humiditas mala & concocta difficilis abundet. Sint tamen pingues & sapidæ, ut sunt uitulinæ, hœdinæ, castratorum arietum bimorũ, leporis iuuenis, gallinarum, caponũ, phasianorum, perdicum, coturnicum, columbarum, turdorum, merularum, & aliarum carnium tam quadrupedum, quàm uolatilium, de quibus seriatim mox eorum plurima nomina & qualitates inferius annotabo. Sunt etiam ex usu oua recentia quæ sine controuersia caloris cibis præsunt in regimine resumptiuo, quoniam tantum nutrimenti gignunt, quantum tota eius substãtia est ita, ut nihil excrementitii ex eius comestione relinquatur. Pisces quidem etiam in aliquibus temporibus atq; quibusdam condimentis conditis conueniunt: de quibus omnibus infra dicetur. Sed quoniam plurima cibaria si ordine quodam cõesta fuerint, plurimum prodesse possunt: econtra sine ordine, plurimum nocét ideo ante eorum enumerationem non inutile erit ordinem cibandi audire, qui in hunc modum ordinetur. Primum præcedant ea quæ facilius coquuntur, utputa inter carnes si plures una mensa comedentur. Hæ præcedant quæ coctu faciliora sunt, ut hædina inter quadrupedes & uitulina ante bubulam uel aliam crassiorem, & elixa ante assatam. In uolatilibus etiã

pulli parui ante maiores pullos comedendi sunt, & oua sorbilia cæteris pcedant. Similiter & reliqua q̃ leuis substãtiæ sunt, bonumq; alimentum generant, ut lac & similia. cauendum tamen est a' ferculis sorbilibus quæ cito a stomacho descendunt, & ipsum nimis humidũ relinquũt, ne ante crassiora cibaria sumantur, quoniam reddunt uentriculum inhabilem ad retinendum ita ut reliqui cibi ante complectam cõcoctionem ad intestinæ descendant, ex quo fiunt mesaraicarum uenarum obstructiones alumnæ plurimorum malorum affectuum. Sæpe quoq; offi cit, si res quæ facilis sit concoctionis post crassiores assummat cũ antequã priores digerentur posteriores prius cõcocte sunt, sicq; supnatãt prioribus idigestis, & illa uel putrida reddũt, uel putredini parant. Et ista rõne fructus ante crassiora alimenta comedendi sunt, ni forte post alia cibaria ad reprimendum uapores ne ad caput ascendant, accipiantur. Quo in casu quantitas non multa sit, ut puta a' prandio uel a' cœna sumendo frusta q̃dã piri, uel cydonii assi cũ saccharo, uel similia. ut diacydonite tẽpus quoq; assumendi cibum in præscripto regimine plurimũ conducit, dixit nanq; Auicenna capite de eo quod comeditur, & bibitur, Qui sanitatem custodire intendit, minime aliquid comedat, nisi naturalis fuerit appetentia, & dixit naturalem ad differẽtiã appetitus corrupti: naturalis uero appetentia est cũ uentriculus a' priore cibo ieiunus fuerit. Quod minime in senibus fit decem uel duodecim horarum spatio: quod etiam fit in illis qui non sunt assueti fortibus exercitationibus, at sunt imbecilles & nobiles delicati. & decima tertia tertii ipse Auicenna iubet morari uiginti quatuor horis. Et est illud quod ipse in capite de iis quæ comeduntur & bibuntur dixit, uidelicet. siquis grauatus plurimo cibo fuerit, ter duobus diebus comedat, hoc est una die semel, altera bis cibũ accipiat. Verũ tamen in omnibus condonandum aliquid consuetudini, ætati, & anni tempori: quoniam dimittere consuetudinem sine discrimine non possumus, ut testatur Hippocrates secundo de ratione uictus in acutis. & etiam libello de natura humana. Hoc idem in ætatibus obseruandum erit. Nam pueri & senes decrepiti crebra cibi subministratione egent nõ tamen eadem ratione. Porro' plurimum & frequentem cibum pueris damus, cũ plurimũ habeant calorem natiuum, & uis augumentatiua, quæ in eis

maxi

maxime uiget, plurimo humido, tum loco resoluti, tum etiam ad augenda membra eget. Senibus uero in minori quantitate, & frequenter, cũ imbecillem calorem habeât, qui minime plurimam quantitatem concoquere ualet. Sunt ista ratione senũ cibaria frequenter exhibita exiguæ quãtitatis, multum & optimum succum generantia quæ regula obseruanda, est fere omni tempore, sed præsertim æstate. Illud quoq; obseruare oportet, ex sentẽtia Galeni, tertio de uirtutibus naturalibus, uidelicet, quod tolerare famem, uentriculũ malis, & putridis humoribus implet. Et illud fit, quoniam cum uentriculus cibis uacuus est, uirtus attractiua attrahit uicinas superfluitates, postquam aliud alimentum non habet. Et hoc cum accidit, nocet præserti senibus, quos (etsi dixerit Hippocrates) facillime ferre ieiunium, non propterea ait, eos a cibis penitus esse abstinendos, sed credit cũ minori noxa famem sustinere, quàm iuuenes (ut dictum est) qui plurimũ habent natiui caloris. Obseruanda tamẽ anni tempora, & æstate cibaria in minori quantitate, & frequentius dare. Cum etiam aliqua ex parte in qualitatibus calidis remissi sint, & in substantia ad digerendum faciliores, ut sunt parui pulli gallinacei, & columborum, ac etiam carnes hœdine, & similes. Atq; in feruentissimis diebus sint conditæ, seu aspersæ cum succo uuæ acerbæ, aqua rosacea, & similibus. Hora uero conuenientissima sumendi cibum est, mane duabus horis post ortum solis, & antequam aer incalescat, & uesperi, postquam remissa fuerit aeris caliditas. Horis uero meridianis abstinendum est. Præterea, in æstate fructus aliqui refrigerantes, modeste tamẽ (comedi possunt, ut sũt pruna) pira muschata, poma dulcia, cerasia acetosa, & mitia, quæ amarascas, & amarenas uocant. Ficusquoq;, & uua matura. At in hyeme, quod tempus contrariatur æstati, uberior quantitas, & crassiori substantia cibi, conuenit, ut sunt carnes uitulinæ, castrati bimi, necnõ bouinæ iuuenes, aliquando comedi possunt. Sunt quoq; hoc in tempore laudatissimi capones, gallinæ, fasiani, perdices, cocturnices, colũbi, turdi, merulæ, & similes, qui possunt condi cum aliquibus aromatibus, ut gratiores gustui, & facilioris digestionis sint. Aromata uero sint, ut cinamomum, nux muschata, macis, garyophylla, & huius generis, uel sint semina fœniculi, anisi, atq; talia, de quibus omnibus



cibariis in processu fuse uerba faciam. Dicit itaq; Hippocrates, quo'd in uere & hyeme uentres calidiores sunt, & ea ratione meliores iis temporibus fieri coctiones, sed in mediis, scilicet, in autumno medium modum in edibilibus obseruare oportet. Etenim quoniam i autumno imbecille corpus factum est, ex resolutione præcedentis caliditatis æstatis, cibus sit in minori quantitate & facilioris concoctionis. In uere autem aliquantisper pleniores sint, quoniã uirtutes iam inualescere incipiũt, illud tamen obseruandum, est quo'd nil deterius in conseruanda ualetudine in quacũq; ætate esse potest, quã'm diuersa edulia una mensa comedere. Etenim ex hoc plura incommoda se qui consueuere. Primum namq; cum ex diuersitate ciborum, plus quã'm conueniat comedimus, deinde cum quæ assumpta sunt, diuersa sint, diuersitas quædam in coctionem fieri necesse est. Et ea ratiõe indigestum digesto admiscetur. Sicq; uitiatur, & corrumpitur succus qui in sanguinem cõuerti debet. Postremo, quoniam in diuersitate sumptorum cibariorum uentriculus magis in concoquendo laborat, idcirco Auicẽna antiquos laudabat, q̃ unico genere eduliorũ saturabanť, atq; exercitatione utebantur. Sic itaque cibi simpliciores in conseruanda sanitate sunt illi qui magis conducunt, ut puta, mane in prandio ferculum sit ex ouo in iure confuso, uel ex farre. Caro sit elixa uel etiam assa sed iuuenis. Attamen laudabilius nutrimentum, & facilioris cõcoctionis est ex carnibus elixis. Vesperi cœnet, & in minori quantitate comedat, uerbi gratia, panem coctum in iure, aut aliud ferculum, leue una' cum carnibus leuioribus. Et hoc secundum temporis opportunitatem, ut in æstate comedat pullos gallinaceos, pernices iuuenes, uel carnes hœdinæ, & similes, & in aliis temporibus eodem modo augendo, & minuendo secundum temporum opportunitatẽ. In cœna semper minorem quantitatem accipiendo, præsertim si mane optime pransus sit, quoniam horis uespertinis ex negotiis diurnis calor non ita ualidus est sicut mane neq; uesperis matutinus cibus ex omni parte concoctus est. Quare cauendum censeo, ne multa quantitas cibi addatur uesperi stomacho, laboranti priori concoctione. Sit igitur quantitas, quæ neq; nocturnam quietem impediat, & spirituum recreationi expediat. Et quoniam uinum inter ea, quæ

bibuntur, plurimum homines delectat, atq; humidum radicale instaurat, & cor etiam lætificat, ideo medici id plurimum laudauere. Quare non minori diligentia qua'm de cibis eius regulæ attendere oportet. Sit itaq; in primis potus in senibus uinum optimum, ad illam quantitatem & uirtutem quæ assumenda, & etiam pro temporis ratione, ut in hyeme potētiora uina. Et cum in omnibus consuetudini aliquid dandum sit. Qui igit' de more uina potētia, & plurimū biberit, largius illis tā in quantitate, qua'm in qualitate utatur. Et quanquam Plato in secundo de legibus, senibus plurimum uinum ad bibendum cōcesserit, non tamen omnibus ætatibus uinum utile esse dixit. Ait enim principio lege sanciemus ut pueri usq; ad uigesimum secundum annum uinū minime bibere audeant. Et enim eos monebimus, non oportere ignem, igni in corpus, atq; animam subiicere, antequam ad uirilem ætatem deuenerint, atq; eius ætatis labores incipiant. Iuuentus quoq; furiosum uinum haustum fugiat, mox modeste' usq; ad .xxx. ætatis annum illud bibere incipiat, abstineatq; omnino & a' repletione uini, & etiā ab ebrietate, & cum ad .xl. peruenerint, tunc in conuiuiis discumbens cum alios, tum Dionysium ad sacra senum, & ludos inuocent, qui hominibus uinum aduersus senectutis diritiam largitus est. Hæc Plato. Qui paulo post his addidit animos senū bibentium sicut i igne ferrum, ita uino feruētes molliores iunioresq; fieri, ita ut remedium & medicina sit, ut scilicet animus quidem pudorem, corpus autem sanitatē, & uirēs adipiscatur. Hæc omnia de moderato uini potu apud Platonem intelligere operæpretium est, cum etiam plurima mala, atq; incommoda ex immoderato uini potu in eodem secundo de legibus scripserit. Enimuero si nimius fuerit uini potus, sensus, intellectum & memoriam extinguit, ac ad puerorum inscitiam homines redigit, cum minime suiipsius immoderate' compotator compos sit. Sicq; non solum senex, bis puer erit, sed quoq; temulentus, ex nimia uini compotatione. Sunt alia præter dicta nocumenta ex immoderata uini compotatione, quoniam præterquam quo'd cerebro officiat, neruis quoq; malam temperiem immittit, & apoplexiam, & neruorum resolutionem, & hac ratione in quocunq; tempore, & mense moderate', & secundum tolerantiam uinum potens bibendum est. Attamen si mane

post sorbile ouum, offa in uino aromatico qualē est maluaticū sumatur, prodest stomacho, atq; appetitum excitat, & digestiuam auget. Igitur in mensa uinum sit mediocre, non nouum, neq; antiquum, sed medium inter duo, quoniam nouum nocet iocinori, & itestinis; uetus uero, medicina magis quàm alimentum esse, omnes antiqui credidere, tametsi etiā nutriat. Sit itaq; uinum clarum ad rubedinem uergens, non crassæ substantiæ, & mediū inter dulce, & acidum, non sit aquosum, sed cum aliquali dulcedine stipticum, & potens, bonum habens odorem, atq; gratum saporem. Nam nimis dulce inflammat, obstructiones facit, & caput replet. Acerbū, uero uētriculo, & neruis officit, & cruditates generat, præserti i senibus. Similiter & acetosum malum est, quoniam præterquam quòd stomacho sua fregiditate noceat, materias quoq; crudas sua incisione ad neruos dirigit, & in eorum substantiam penetrare facit. At quoniam sæpe ex aliqua maiori, causa uina potentia in æstate etiam bibere necessarium est, ut uerbi gratia, quoniam uentriculus cruditate, uel aliquo affectu simili laborat, hoc in casu diluatur aqua decocta cum seminibus coriandri, uel cinamomi portionē, uel cum aliquo, quod eius malitiam refrigerando contemperare possit. Nam ex uini potentis potu, cholera effrenescit, & ea ratione in æstate cum aquæ fontanæ portione permixtū tutius bibitur. In hyeme uero (pro ut ratio temporis expostulat) ex moderato uini potu, plurima bona subseq solent, abūdantia scilicet spirituum, robur corporis, somni bonitas, optima cibi in uentriculo præparatio, atq; eius nutrimenti distributio, abstinendum tamen à nimio uini potu, præsertim cum uentriculus ieiunus est, atq; etiam à cibo. Porrò prior qui cibum præcedit, cum sit facilis in penetrando, mouet uentriculum, ut cibus post comesus ad intestina ante tempus descendat. Posterior uero, hoc idem operatur sua quantitate, cum ducat cibum ante coctionem ad intestina. Ex quo sequuntur morbi ab obstructione & putredine. Sit igitur potus inter comedendum parum, & frequens, ut commoda inde, fiat cibi ad nutriendum præparatio, & sit (ut ita dixerim) leuis lambendo degustatio. Neq; prorsus à cibo ab aliquo uini haustu abstinendum erit, cum quandoq; liceat assueto, uel ad robur uētriculi, aliquid uini post cibum sumere. Quod si albū

fuerit

fuerit minus capiti molestiā infert. Et quoniā sunt quidā qui sic assueti aut aliq̄ alia causa aquā libēter bibēt, à quo quidē aquæ potu abstinēdū erit, præsertim senes & imbecilles fuerint cum uentriculum, intestina, neruos, & cætera membra frigida debilitet, atq; humores sua penetratione, & humiditate ad mēbra lōginqua deducat aquæ uero humiditas corrigatur. coctione. Et quoniam aliquando solet interdiu & noctu sæpe sitis mendosa accidere, hanc corriges in primis tolerando, & dormiēdo. Quò'd si uehemens sitis te sollicitet, quod sæpenumero æstiuo tempore solet fieri, colluere os aqua frigida uel aliqua alia re humectante & refrigerante præsentaneum remedium est. At si sitis uera fuerit, quæ fit ex defectu humidi, bibere aliquid quod uentriculum humectare possit secundum temporis opportunitatem optimum erit, ut in æstate aquam fontis cū syrupo rosaceo, in hyeme cum uino. Potus tamen sit moderatus uerum in quocunq; tempore & hora necessitas bibendi fuerit. tam aqua quam uinum uel alia res pro potu sumpta sit clara, leuis, grata gustui, & omne malo odore carens. Hactenus communes regulas rerum quæ comeduntur & bibūtur uolui leuiter tetigisse. Nunc particulatim, de unaquaq; re agendum à carnibus primum incipiens.

Carnes omnes in genere calidæ & humidæ sunt. Et hac ratione plurimum sanguinem generāt, & optimè nutriunt. Sunt tamen & inter eas quædam, quæ & uirtutibus & operationibus aliis excellūt: nam quadrupedum carnes plus aliis nutriūt, cum sint humidiores & Galenus, & reliqui antiqui medici eminentissimi porcinas carnes laudarunt, ea ratione quò'd habeāt in qualitatibus cum humano temperamento affinitatem. Est enim caro porcina calida & humida, plurimum nutriens. Sed quoniam eius humiditas plurima est, ideo plurimum pituitosi humores ex eius substantia generātur, quæ humiditas facile corrigitur uel aliquo alio aromate sicco, ut est piper, garyophyllum, fœniculum, anisum, cyminum, saturegia, origanus, & similes. Sed in communi usu est, ut caro porcina sale præparetur, & præsertim coxæ, & spatulæ. Hæ partes sic salitæ gratæ sunt gustui atq; laudabilis nutrimenti. At si nimis salitæ fuerint, secus est, quoniam sunt mali nutrimenti, inflammantis, & exiccantis, neq; comedendæ sunt. Comedantur igitur il

læ quæ modeste sale cōditæ sunt ī prima mēsa decoctæ sup craticulā aut in aqua elixatæ,& aceto aspersæ ad appetitum excitandum. Præparantur præterea hæ carnes plurimis aliis modis. Nam ex quibusdam partibus macris & etiam pinguedine admixtis minutimq́; incisis sale,pipere,garyophyllis, & macere addito,ac in intestina positis farcimina diuersa nomine, figura,& sapore conficiunt,ut est quam lucanicam dicunt & reliqua.Hæc omnia tum propter salem tum etiam propter aromata calfaciunt & exiccant. Et quanquam grata sint gustui non tamen plurimum nutriūt, neq; senibus ex usu sunt,ni forte ad exiccandam aliquam materiam pituitosam in uentriculo existentē sumatur. Comeduntur ut dixi in prima mensa ad palati uoluptatem non solum hæc sed alia eius generis. Nam cōponunt plurima,ut ex porcino iocinore elixato & minutim cōtrito ouis,caseo,passulis,cinamomo,& aliis aromatis additis simul commixtis in omento porci positis pastillos componunt, quos Venetiis mortadellas Latini tomacula uocant. Et grata sunt gustui & optime nutriunt, & ut me hac in parte expediam gulosi & qui uentri student, ex porcina carne & aliis admixtis quamplurima genera edulium præparant, optima tamen præparatio est cum sale & fœniculo.Sed unum non prætereo,uidelicet quod iuniores porci ex sententia Galeni minus nutriūt, cum ex nimia eius humiditate nutrimentū quāprimum absumatur,& inter porcinas,syluestres laudabiliores dicuntur cum minus humidæ sint, & campestres domesticis. Antiquæ uero & annosæ duriores ad coquēdum in stomacho & pauci nutrimenti existunt.Præterea porcinæ carnes non in omni tempore conducunt,sed à principio hyemis usq; ad uernum tempus. At cum plurima pituitosa materia ex ea gignatur, non sit eius comestio frequens, præsertim senibus,utpote qui imbecilliorem calorem naturalem habent.

Et si(ut dixi) omnes carnes calidæ & humidæ sunt,bubulæ tamē,porcorum carnibus sicciores,minoris nutrimenti,& facilioris concoctionis sunt. Quare carnes bouinæ,quæ ad comedendum ex usu ueniunt,sint iuuenes,pingues,quoniam annosæ,& extenuatorum boum,& etiam uaccinæ sunt malæ:nā plurimum humoris melancholici gignunt,ex quo reddit corpus obnoxiū melācholicis affectibus laudabiliores partes sunt

illæ quæ ossibus adhærent, atque laudabilius nutrimentum generant. Hæ minime nerueæ sint: præterea dextera pars quam sinistra præstātior est: similiter masculus femella & nigrorum carnes præstantiores existunt, Bouinæ ex communi usu elixæ comeduntur, & est optimi & laudabilis nutrimenti (ut dixi) præsertim si iuuenes & pingues sint, attamen quædam si assatæ comedantur plurimum sapiunt, ut sunt partes circa dorsi spondilia existentes, & duo magni musculi interiores circa spinam dorsi ad os sacrum procedentes, quos lombos uocant, qui meliores sunt & in maiori hyemis tempore. At interiora membra ut est cor, iecur, splen, itestina, caput pedes, & reliqua sunt pauci nutrimenti, difficilis concoctionis, & mali succi. Et hac ratione nec senibus nec aliis conueniūt. Similiter cæteræ partes salitæ non omnino conducunt, cum sint sicciores, ac melancholicum sanguinem generantes. Sed meliores partes quæ sale componūt sunt, ut lingua & mamillæ quæ gratissimè sunt gustui, præparantur uero mamillæ uacinæ siue sale cōdiūtur, in hunc modum: postquam a corpore sunt abscisse, incidūtur hinc inde, præsertim secundum incessum uenarum ut si quid lactis in eis est egrediatur: subinde sale optime in puluerem redacto undique super imposito fricare oportet. Quæ sic sale præparate tribus diebus fac ut pendeant: & inter duas tabulas onere super addito, ita ut omnis humiditas exprimatur, maneant per nouem dies: postea suspendæ eas per mensem ad ignis uaporarium. Comedantur elixæ in prima mensa, & est cibus gustui quam gratissimus.

Vitulorum lactentium carnes longè præstantiores sunt bouinis, nam gratæ gustui, optimi succi, plurimi nutrimēti, & facilis concoctionis existunt. Porrò temperatissimum nutrimētum ex eis generatur. Hæ & substantiæ & temperamenti bonitate in quocunque anni tempore sine discrimine comeduntur; elixæ, & assæ aut aliter coctæ & præparatæ, ut puta ī sartagine cum pinguedine & aromatibus. Et est modus medius coquendi inter elixationem & assationem: & ut mollior & sapidior efficiatur intercoquendum sæpe aspergatur aqua rosacea cum iure carnis & uino maluatico permixta, uel cum succo uuæ immaturæ, aut arantiarum & similium.

Sunt quoque optimæ carnes ad concoquēdum ueruecis siue

castrati arietis, præsertim bimi. Etenim gratæ gustui & laudabilis nutrimenti sunt. Attamen ex eis nimis pingues uentriculum & intestina laxare sua humiditate superflua consueuere, Extenuate uero minus ad nutriēdū idoneæ dicunt. Agnorum carnes maxime humidæ sunt, nutriunt quidem, sed plurimū superfluitatis gignunt, & concoctioni inobedientes existunt, ita ut sæpissime ante concoctionem in uentriculo corrumpantur: ex qua corruptione sequuntur eructationes fœtide male. Similiter & ouila caro mali est nutrimenti, & difficilis concoctionis, quare non in senibus tantum, sed in cæteris etiam ætatibus eā nō laudo. Lactentis hœdi carnes, cæteris aliis præstātiores sunt: siquidem in omni ætate sed præsertim in senectute plurimum & optimum nutrimentum generāt. Neq; notabilis est in eis humiditas superfluēs. hæ sunt facilis concoctionis, & gustui gratæ. Comedūtur elixæ, & assæ i uere, & æstate, atq; in aliis temporibus, si inueniantur. Hyrcorum uero & caprarum, ut scripsit Galenus secundo de alimentis, detestabiles sunt. Syluestriū animalium carnes domesticis sicciores sunt. Et hac ratione minus nutriunt: præsertim eorum, quæ in montibus degunt, & defatigantur. Sed quæ in humidioribus locis pascuntur humidiores etiam existunt, atq; melius nutriunt. Incipiam itaq; à quibusdam quæ magis in usu sunt. Et primo cuniculus, qui etiam paruus lepus dicitur, optimi nutrimēti est, & qui domi nutriuntur meliores sunt, & gustui gratiores, assantur uel in sartagine cum pinguedine & reliquis præparantur.

Leporinæ carnes iuuenes, & pingues, & uenatione captæ, mediæ sunt inter bouinam & uitulinam. Et ea ratione mediocre alimentum generant, & ex eis meliores sunt partes posteriores lūbi: sed & clunes eorum, tamē frequens usus sanguinem melancholicum generat. Coquuntur diuersimodè secundum palati luxuriæ diuersitatem, sed ut plurimū cum pipere & aliis aromatis condiuntur: qui modus non ex omni parte laudabilis est. Melius tamen fuerit, post assationem, iure, & aqua rosacea, cinamomo, & garyophyllo, madefactas comedere. Sic enim laudabilius nutrimentum ex eis generatur.

Reliquæ uero animalium syluestrium carnes, ut ceruinæ, capreoli, & caprarum, quas damas uocant nō laudantur. Generant siquidem siccum, ac crassum succum, in quo plurimæ ex

crementitiæ partes sunt. Attamen si aliquando edantur, sint iuuenes & pingues, ac etiam conditæ cum illis quæ eas humectare possunt, ut est pinguedo una cum aromatibus non plurimæ caliditatis, & bene redolentibus, qualis est aqua rosacea, cũ cinamomo, & similes. Sed inter syluestrium carnes, ericii plurimam laudarem, & enim uentriculum roborant, facile concoquuntur, & optimum sanguinem gignunt, & siquid mali in sanguine erit, illud mundificat, prodestq; melãcholicis. Et modus, coctionis est assatio aspersa aqua rosacea & aromatibus.

Volatilium fere omnes carnes leuiores, ficciores, & facilioris concoctionis sunt, quã m gressibilium, minus tamen nutriunt. Verumtamen domesticæ humidiores sunt, & ea ratione melius nutriunt. Quare gallinæ, capi, laudatissimi sunt: generant enim optimũ sanguinẽ & plurimi nutrimẽti. Comedũtur elixæ, & assæ. Attamen minus nutrient, si assæ edantur, atq; difficiles ad concoctionem magis sunt. Ius ipsarum stomachum recreat, & plurimum nutrit. Quod si in æstate grana uuæ immaturæ in eo decocta fuerint, bilem extinguit. Gallorum uero carnes & decrepitarum gallinarum ficciores sunt, calidæ & nitrosæ, & ea ratione potius medicinalis cibus est doloribus intrinsecis, & cruditatibus uentriculi. At pulli gallinacei facillime concoquuntur. Plurimum & optimum nutrimentum generant, si pingues sint, neq; ex eis notabile excrementũ remanet, omni tempore & omnibus ætatibus conducunt, & eorum usus uentriculum, & appetitum roborat, atq; humores æquat præsertim æstate. Præparantur lixatione, atq; etiam assatione, & in sartagine diuersimode, ut puta in æstate cum granis uuæ acerbæ, & arãciarum succo. Et hoc pacto biliosi humoris acredinẽ extiguit, in aliis corporibus addantur cinamomum & alia aromata, sint pulli (si masculi sunt) pĩgues, ex illis qui nõ dũ cantare cœperunt, fœminæ autem grandiores, & qui domi nutriuntur, longe meliores existunt.

Pullorum columbarum carnes meliores sunt, eorum qui uolare incipiunt ac escam per se querere. Nam in eis est caliditas, & humiditas plurima. Et ideo plurimum sanguinem generat, qui plurimum etiam instaurat, & uires adauget. Et ea ratione est cibus senibus dignus. Nã membra resoluta roborat, & tremorem uniuersi corporis sanat. Relaxata crura & mini-

me incedere potétia,atq; sensu & motu fere priuata reparat. Et deniq; inanita corpora optimo nutriméto replet. Hæc omnia di iuuenibus dixi. Quoniam carnes columbarum antiquarum & ficciores & frigidiores ac dure cõcoctionis existunt. Et eius nutrimentum non est ita bonum. Præparantur iuuenes aliquando lixatione, sed ut plurimum assi uel in sartagine cocti comeduntur.

Turturarum caro si eminentissimis ac sapientissimis medicis credimus sapientum senum cibus est, nam præter quamquod optimum & laudabilé humoré generat eius usus sensus omnes roborat atq; etiam cogitatiuam acuit & memoriam cõseruat, sint tamen hæ turturum carnes iuuenes & pingues, etenim ueteres cum ficciores sint non ita senibus conducunt, præparentur sicuti pulli gallinacei secundum temporis exigétiam & modum cum aromatibus & aliis.

Inter domesticas quæ eduntur carnes anseres & anates plurimum sunt in usu, quoniam inter se parum distant, & substantia, & complexione, & uirtute. Ideo simul de his sermo erit. Etenim sunt humidæ ualde temperatæ calidæ, duræ cõcoctionis, mali succi, plurimarũ superfluitatum atq; etiam humores corruptioni paratos generãt, quos medici materiam putridarum febrium esse dicunt. Eligantur quæ mediam inter iuuentutem, & senectutem ætatem habent, domestice tamen aquaticis, & paludiosis meliores sunt. Sed mea sententia eas dimittere melius est. Præparantur diuersimode ad comedendum, uidelicet assatione cum sale & feniculo, aniso, ac etiam aliquibus aliis aromatibus, ut est cinamomum, macis, & similia. Sũt etiã qui eas præparant elixatione, prius scilicet in frusta incisas & una cum aromatibus in aqua cum aceto & sale condiunt, donec perfecte in sartagine decoctæ sint, comeduntq; si præparatas in prima, mensa hyeme tantum.

Carnes syluestres uolatiliũ omnes domesticis ficciores sũt inter quas sane quædam sunt temperatiores atq; minus humidæ, & ea ratione laudabiliorem succum pro alimento gignunt, sunt etiam quædã minus probe præsertim quæ cõcoctu difficiles & malum succum generãt. Sed quæ imprimis optime habentur sunt phasiani, etenim plurimum enutriunt, neq; ex eis humiditas superflua generatur, laudabiliores item sunt iuue/

nes cum plurimum & laudabiliorem succum in senibus generent. Et etiam eorum qui uitam ociosam ducunt. Eiusmodi nutrimentum uentriculum roborat, impinguat, uirtutes omnes auget, & moderatur. Comeduntur ut plurimum assæ & aliquãdo elixæ, aspersæ aromatibus tẽperatis. Post phasianorum carnes in sapore ac bonitate est perdicum iuuenum caro: nutrimentum cuius senibus & conualescentibus plurimum conducit. Has sequũtur perdicum carnes cum laudabilem sanguinẽ gignant celeriterq; a' uentriculo coquantur. Et etiã ex eis pauca excremẽta remaneãt. Coturnices q̃ & q̃leæ a' latinis dicuntur Porro' eiusdẽ temperamẽti, sed paulo siccioris existũt, probe' nutriunt & iuuenes & pingues meliores habentur. Præparant has omnes (sicuti, etiam de fasianis dixi) post has ĩ frequẽti usu sunt frangolini columbarum syluestrium species, qui si iuuenes & pingues fuerint optimum sanguinem generant.

Auiculæ quoq; paruæ nemorales in arboribus rubetis & sentibus morantes plurimæ comeduntur, quales sunt turdi, merulæ, ficedulæ, phylomelæ, quæ & lusciniæ dicuntur, carduelles, & alaudæ, quæ in duplici differentia sunt, uidelicet galeritæ & non galeritæ, quæ uulgo lodula dicitur. Sunt etiã cauda tremula quæ frequentisfime' ad nos hyemis tempore accedunt, attamen non sunt ille quas medici lapidem in uesica & renibus frangere dicunt, etenim ille raro ad nos euolant, inueniuntur tamen aliquando nimirum hyemis tempore, ubi boreales uẽti uigẽt, & sunt paruo corpore colore cineritio aliis rubro ac nigro hinc inde colore existẽtibus. Quare uideãt qui has aues ad frãgẽdũ lapidẽ uenãtur, ne similitudie decepti ĩ cassũ laborẽt, sed satis est admonuisse. Sũt & q̃ plurimæ aliæ Aues quæ capiunt uisco, & aliis igeniis, & sũt optimæ ad comedẽdũ p̃serti si cõdite fuerint cum aromatibus, & pinguedine in sartagine, ut etiam de maioribus dictũ fuit, quoniam sic præparatæ laudabilem nutrimentum generant. Verumtamen inter nemorales aliquæ etiam existunt quæ non laudantur, ut sunt sturni, & qualeæ uulgo dicte', passeres & similes. etenim uel nimis siccæ & parum nutriẽtes aut nimis humidæ & succum ad putredinem paratum generantes sunt. Sunt præterea & maiores quædam quæ non ex omni parte approbantur ut grues, mergi, & relique omnes in paludibus & aquis degentes. Et

quæ rapaces sunt, deteriores aliis dicuntur, etenim duræ ac difficiles ad digerendum cum paucum & siccum alimentum generent, & ea ratione senibus & conualescentibus minime conueniunt. Illud tamen in quocunque generæ carnium animaduertendum quod carnes quæ aliquantisper aeri expositæ fuerint gratiores, & sapidiores ad comedendum esse solent, atque etiam facilius coquuntur. Itemque illæ quæ crescunt humidius alimentum gignunt, prætera inter partes animaliũ quædam meliores, & quædam minus bonæ uidẽtur, nam extremitates omnes, ut caput, collum pedes, cauda, si ad reliquas partes compares inlaudabiles existunt. Porro duræ digestionis, & pauci, & crassi nutrimẽti sũt. At inter uolatiliũ partes meliores sunt ac sapidiores, quæ circa alas pectus, & collum, & dorsum existũt. Ex intraneis uero hepata laudantur, & præsertim anserum, & gallinarum, nam inter cætera meliorem succum generant. Verum gallorum testiculi in senibus & in conualescentibus ob laudabilem qualitatem, multitudinem, & bonitatem nutrimẽti, ab omnibus summis laudibus extolluntur.

Similiter & quadrupedum animalium quædam partes meliores, & quædam deteriores ad nutriendum sunt. Vt exempli causa laudabilior, & gustui magis grata est ea caro, quæ ossi propinqua est. Similiter quæ dexteri lateris magis quàm sinistri, & anterioris, quã posterioris partis. Et quæ propinquior cordi, quàm quæ lõgiquior, utpote ea quæ à cordis calore melius regulata habiliorem ad nutriẽdũ fit, præterea carnes quæ dorso uicinæ sunt, præsertim intrinsice lombales cum sint cõ coctu faciliores, ac etiam sapide meliores existunt. Post istas sequũtur in bonitate coxarum partes. Reliquæ uero quæ in uẽtris partibus sunt non ita approbantur. Etenim ex admixtione plurium partium neruosarum neque facilè coctu sunt, neque laudabilẽ succum generant. Intestina postremo, ut cor pulmones, iecur, splen, renes, & reliqua intranea membra, deteriorem succum generant, Attamen, suile hepar, & hœdinum, ac etiam lactantium animalium melius habetur, & ista ratione inter delitias cum aromatibus, comeditur elixatum, una cũ iure & passulis, aut frissum cũ aliqua pinguedine. Est etiam in usu apud quasdam ciuitates intestina elixata, cum aromatibus aspersa, comedere, quod non plurimum à medicis laudatur. Prætera

faciũt ex pedibus, & capitibus elixatis, addito aceto, & aromatibus (ut puta zinzibere, mace, cinamomo & gariophalo) gelatinam. Qui cibus cum grauis sit, & mali nutrimẽti, nullo modo senibus conducit. Postremo illud sciendum est, quod sanguis animalium, qualiscunque fuerit, minime ad nutriendum idoneus, & utilis est, & deterior est ille qui ex senioribus, & terrestrioribus animalibus hauritur, utputa, bubulus. Sed inter uolatilium, sanguis anatis minus malus est, & inter quadrupedum, suilis, & hædinus. Neque omittendum est cerebrum nam si comedatur, uentriculo noceat, & malum succũ gignat. attamen gal linarum cerebrũ, antiquis, medicina celeberrima, ad roborandũ cerebrum fuit. Quare comedere ea ad cerebri imbecillitatem iubent, & leporinos ad roborandos neruos laudant. Sed ne longa oratione tedio sim, dicta de carnibus ad comedendum satis sint, & ad alia comestibilia descendam.

Et quoniam homines non solum carnes edere consueuere, uerumetiam & lac, & reliqua non pauca ex lacte facta, ideo de lacte, & lacticinis, senibus conducẽtibus, sermo erit. Porro lac inter cætera nutrientia maxime præstat, ita ut in reassumendos consumptis, & humidum radicale instaurando, nihil nec cõmodius, nec aptius esse potest, (si uentriculus illud tolerare, ac regulare posit.) Neque desunt opiniones, de diuersitate substãtiæ ipsius, tam secundum animalium genera, quam ætatem distantiam, & partu, & pascua, & anni tempora. Quæ difficultates, ex processu manifestabunt. Primum quod scire operæpretium est, & inter grauissimos medicos disputatum, est eius tẽperamentum. Attamen cum e sanguine generetur, & orta attestantur principiis (ex Aristotelis sententia) illud temperamẽtum, uicinum esse credere oportet. Quod eius leuis substantia, & suauis in ipso dulcedo magis declarat. Ex omnibus autem tẽperatius, ac ad nutriendum habilius, imprimis mulierũ laudant, quam iuuenem temperamento propinquam non a partu plurimum distantem, & optima edulia comedentem esse uoluunt, sed ex brutis imprimis, lac caprarum laudãt, mox ouiũ, postremo uaccæ, & illud melius est quod emulgit mane, & sic calidum bibitur. Animal tamen a quo emulgitur sit iuuene, sanum, pingue, quod a partu non multum fuerit, & pascens lau-

dabilia pascua,& quamquam plurimi medicorum incomsum-
ptis a calore habituato in membris radicalibus,asininum lac
laudauere,cum magis refrigeret & minus aptū sit ut in uentri
culo congeletur. Attamen senibus & decrepitis non ex omni
parte conducit. Quicquid sit, lac sumendum est mane ante
alios cibos. Cum non sit tutum, cum aliis cibariis lac commi-
scere,neq; ex eo freques usus securus existat,eteni usus freques
ipsius obstructiones in meseraicis facit,lapillosq; in renibus gi
gnit.Quare non nisi cum cautella exhibeatur,& ne imprimis
in uentriculo casceetur aut corrumpetur,& etiam citius descē
dere ualeat, salis portionem aut mellis cum eo admistam me-
dici comedere iubent.Nos uero, loco mellis saccarum sæpissi-
me ponimus, at ubi ex usu lactis Ventris fluxus preter naturā
acciderit optimum esset frustrum calibis igniti,aut lapides plu
ries in eo extinguere, ut eius partes humidæ serosæ, ac etiam
butirosæ aliquantum exiccentur. Tempus uero comodissimū
sumendi lac,& ea quæ ex lacte fiunt est uer,cum eo in tempore
pascua optima sint,cum etiam animalia optime ualeant,ita ut
etiam optimum generēt,lac. Quod si recēs & coagulatū sit,ci
bus grauis est,ac difficilis ad digerendum, & tametsi gratus gu
stui sit,non multum prodest,similiter & caseus cibus grauissi-
mus est, qui tantum robustis, & laborantibus conuenit cum
ad coquendum difficillimus sit,& salitus melius est ad digeren
dum,quam non salitus.Præterea lac accetosum non ita uentri
culo infestum existit sicuti cætera laticinia,quare senibus ma-
gis conducit,præsertim si cum eo portio saccari comisceatur.
Post lac accetosum in bonitate, est cremor lactis,quem caput
lactis apud nos uulgo uocant,neq; ex eo plurimum cōmedatur
cum uētriculum relasset,caput repleat,atq; neruos remolliat,
attamen eius moderatus usus cum saccaro, & aqua rosacea in
prima mensa plurimum nutrit.Eiusdem fere uirtutis est buti
rum,cum & ipse sit quidam cremor lactis. Postremo laudatur,
ea pars lactis quæ post casei coagulationem in serosa illa par-
te per aliquam leuem ebulitionem colligunt, uulgo lac bis co-
ctum uel recocta dicunt. Quæ etiam in prima mensa cum sac
caro comeditur,nō tamē ut lac & cremor lactis nutrit,est enim
difficilis concoctionis. Cætera uero genera caseorum dura
sunt ad digerendū & uentriculum grauant,malū generant suc

cum,atq; etiam plurimas obstructiones efficiunt, præsertim si uetustate exsiccata fuerint, nam præter dicta uentrem astringunt, renibus nocent, & ad lapillorum generationem parant. Quare si ex eis comedantur sit ille, qui inter recens & antiquũ est, atque aliquantulum salitus, neq; plurimum uiscositatis aut lentoris habens.

Oua inter cætera nutrientia laudatissima sunt, etenim nutriunt secũdum omnes eorũ partes præsertim uitella ipsorum, ita ut ex is nulla fere pars excrementitia sit. Porro temperata sunt, & facilis coctionis, quæ tametsi eius partes ut lutea, & albumen diuersæ substantia, colore, & temperamento sint, ex eorum admixtione tamen temperatissimum fit alimentum. Neq; credendum est (ut plurimi sapientes affirmant) albumen primo calidius esse luteo, cum ex eo pulli membra generentur, & ex lutea nutriantur, non enim quia albumen calidius sit pulli membra ex eo fiunt, sed quoniam semen galli albumini admixtum est, quod semen ita illud albumem calfacit, ut membra pulli ex ipsa substantia alba generari possint, tamen tota substantia oui (ut dixi) satis temperamento propinqua est, & melior modus & usus eorum est, coctio ad sorbendum apta, quæ ut sapidiora sint, & citius e uentriculo descendant modicũ quid salis adendum est, & sumantur ante alia edulia. Decoquuntur etiam in aqua, seu in iure carnis, integra, sine corticibus, quæ sapida, & optima sunt, præsertim si cum saccaro, & cinamomo cõdiantur. sunt & qui in sartagine primo mõ pauxilla oua primũ pertractata in aqua simplici iuncto pauxillo saccaro, uel aqua rosacea percoquunt, quæ ego non uitupero. Fit etiam ex eis laudatissimum ferculum, si cõfusa in iure carnium comedãtur, cum quibus conducit modicum aceti, uel succi uuæ acerbæ ponere. Ego tamen in senibus & conualescentibus uini aromatici, aut maluatici optimi partionem aliquam cum saccaro, & cinamomo libentissime porrigo. sed frixa, elixa, & indurata, & præsertim cum oleo, uel butiro cocta mala sunt, etenim difficilis coctionis existũt, malũ succũ generãt, uentriculo nocẽt, & tarde ab eo descẽdũt. Quicquid de eorum præparatione sit, semper portionem salis addere oportet, cum sic facilius & digerantur, & a stomacho etiam descendant. Et quoniam præter gallinarum oua, sunt quoq; alia quæ comeduntur, ut anatum,

anſarum,& reliquarum auium,tam domeſticarum, quã ſylue/ ſtrium.Ideo ex eis meliora ſunt gallinacea, recentia, poſt quæ illa ſunt,quæ ab illis auibus naſcuntur, quæ affinitatem cum gallinis habent,ut ſunt faſciani,& ſimiles,oua ſane' præſtantiſ/ ſimus cibus ſenibus,& conualeſcentibus pro radicali humidi inſtauratione eſt.Quare ſummopere oua laudo.

Sunt etiam præter dicta,alia animalia,qbus homines ueſci conſueuerũt, quorum quædam ob eorum bonitatem,& nu/ triendi modum,plurimum laudauerũt,de quorum ſubſtantia' apud medicos non deſunt quæſtiones, præſertim, cum non ſint omnino ab antiquis inter tam quadrupedia, quam uolatilia enumerata, neq; etiam inter piſcium genera,ſed me/ diam quandam naturam,inter utrũq; habent, & ſunt iſta,ui/ delicet teſtudines,cocleæ,ranæ,& eius generis,quæ quoniam neutram habent naturam inter carnes,& piſces, ideo antequã de piſcibus ſermo fiat,de illis aliquid dicere ſtatui,etenim cum genus teſtudinũ duplex ſit, terreſtrem ſcilicet,& marinum,& terreſtre quidé quodam nemorale,& quodam aquaticũ,impri mis laudabilior cibus eſt ex terreſtribus nemorales, mox poſt iſtas sũt aquatice in bonitate:& inter aquaticas,paluſtres quæ in paludis degunt deteriores ſunt,uniuerſum eorum tempera/ mentum,ad frigidum,& humidũ declinat,eius ſubſtantia nu/ trit,quoniam plurimum létoris cum humiditate habet,& hac ratione dantur tabidis,pro nutriméto,ſi a' calore in membris habituato comſumpti ſint. Nam ſua humiditate calore obtun dit,& ſuo lentore acredini reſiſtit,neq; ſenibus utilis cibus eſt, attamen ſi dentur, ſint conditæ cum cinamomo, mace,& re/ liquis,quæ eius calorem augeant,& diſtributionem faciat.Ma rinæ uero teſtudines mali ſucci ſunt, ac difficiles ad digeren/ dum,& ideo dimittendæ cocleæ,ſiue limaciæ,&ipſæ ſua humi ditate,& lentore nutriũt,& operantur reſiſtendo acredini ca/ loris in membris habituati. Comedũtur elixæ,cum ſaccaro,& cinamomo aſperſe,(raro tamé) quoniã difficilis coctionis sũt. Ranæ (etſi a' multis edantur) malum,& inlaudabile generant nutrimentum,nam ex putredine gignuntur, atq; in putridis aquis morantur,dolores,& alias malas inteſtinorum egritudi/ nes faciunt,quare eius comeſtio in quacunq; ætate & tem/ pore interdicenda eſt.

Piſces

Pisces nequaquam senibus primo, & simpliciter pro instauratione laudantur: etenim frigidum, & humidum alimentum ex eis generatur, cum & illi tales sint, attamen inter eos quidam nō ita humidi sūt, præsertim maritimi, ac petrosi (si ad fluuiatiles comparare uolueris,) uerum īter maritimos, sunt quidā laudabiliores, quales sunt squamosi, & circa petras morātes: paludosi uero, mali sine controuersia sunt, & ceno uescentes, Hoc idem discrimen, in illis qui in aquis dulcibus degunt annotare conducit, etenim mali sunt, qui in stagnis, & non currentibus aquis uiuunt, & nutriuntur: meliores uero, qui in fluminibus, & aquis claris natant: & quoniam sæpe quidam maritimi, in aquis dulcibus degunt, & pascuntur, & ecōtra, uidelicet fluuiales in aquis maritimis ut sunt sturiones, trotæ, anguillæ, semper male sunt, tamen deteriores existunt maritimi (si in aquis dulcibus cōmorētur) ut cephali, & pascere, quas fluuiales sunt, si aquis dulcibus deuenerint, ut cōtingit tinchis, & aliis, quoniam salsedo aquæ marinæ, cum calidam, & siccā uim habeāt, frigiditatem, & humiditatem eorum superfluam, aliqua ex parte remittit, ideo sturiones, & trotæ, si aquis maritimis capiantur, laudabilius alimentum generant deteriores omnibus sunt ii qui male olent, malamq; substantiam carnis habent, quales sunt ragie, canes, & similes, etenim ex eorum comextione, sæpe morbi perniciosi fiunt, & cum nulli prosint, & semper male sint. Ideo nullo modo eos comedere laudo. Et tametsi, pisces quidam gustui grati sint, attamen, ex eorum comextione, parū alimentum generatur, & illud quidem, quod calorem conualescentium, & senum potius obtundat, quam adaugeat, & ea ratione, pisces si comedantur, eo condimento condiantur, quod & eius humiditatem exiccare ualeat, atq; frigiditati resistat, neq; alio modo, eos senes tute comedere possunt, etiam, si ex melioribus in suo genere essent. Et melior modus præparationis, & coctionis, si recentes sunt, imprimis, est assatio super craticulā, (in illis qui assationem sustinēt) deinde elixatio, ita ut simul bulliant, in aqua, uino, & sale, & post coctionem, addātur aromata, ut est piper, zinziber, cinamomum, maces, gariophali, & similes: friscio uero, deterior modus coctionis est, cum sic duriores ad concoctionem fiant, præsertim habentibus uētriculum imbecillem, ut sunt senes. Neque prætenbo, quod post

E

eorum coctionem, cum adhuc calidi sunt, si cooperiātur, acquirunt putrescibillem, & malam quādam qualitatem. Quicquid tamen sit, saliti minus noxii sunt recentibus, cum e' sale, eorum substantia calidior, & siccior reddatur, uerum qui diu saliti manent, uel nimis saliti sunt, parum nutriunt, ac etiam tale nutrimentum, senibus minime conducere uidetur. Decoquantur saliti in aqua, uel in uino dulci, & postquam ex læbete in patina soli sunt, acetum in quo passulæ bulierint, & aliquid cinamomi, desuper adhibe, & ponitur acetum, ut salis caliditas remitatur, passulæ uero siccitati resistunt. Et ne in istis, quæ iterū repetenda erunt, nimis immorer, ad particularem modum præparationis, orationem conuertam. Primumq; de maritimis, inter, quos sturio primam gloriam in conuiuiis obtinuit. Est itaq; sturio sapidus, & inter pisces (in quibus aliquid optimi nutrimenti est) optime' nutriēs, & propterea ubiq; terrarum, (ubi sturiones capiūtur) in maxima sunt ueneratione, præsertim apud principes, & indulgentes palato. Nascuntur in mari: nihilominus quoniam dulcibus delectātur aquis, sæpissime' in fluminibus, & hostis illorum, commorant. Præparatur sturio, elixatione in aqua, & sale, & post coctionem addunt aromata, ut piper, zinziber, garyophilus, nux muscata, in hyeme: in æstate uero, addūt cinamomum, macem, & similia: sunt tamē qui prius in uino decoquunt, dein addunt aromata, qui modus in hyeme, & uere arridet. Nam sic, melius a' uentriculo cōcoquitur, atq; etiam, eius uiscositas corrigitur, & nutrimentū ex eo genitum, facilius ad membra destribuitur. Porro' nisi eius nimiam humiditatem tollas, humores pituitosos frigidos & lentos generat. Assum quoq; super craticulam, sæpissime' comedunt, cum sale uidelicet, & fœniculo, qui coctionis modus, (ut dixi) magis laudatur, etenim per assationem, plurima humiditas (coctioni uentriculi inobediens) cōsumitur, quod si in oleo aliquando frixus, & succo aranciarum, siue mali medici aspersus, uel succo uuæ acerbæ, & cinamomi comedatur, non erit cibus palato ingratus, tam & si, raro' frixus in conuiuiis detur. Porro' comodocunque recens coquatur, in æstate minus officit, nam ex eo frigidum alimētum gignitur. Quare senibus minime' ex usu est, cum egeāt humidi radicalis optima instauratione. Sunt & pisces, quos porceletas uulgo uo-

cant qui cum, & figura, & aliis omnibus, sturioni similes existant, præterquam in magnitudine, paruos sturiones eos esse credere operæprecium est. Hos præparăt ad comedendum, elixatione (ut de sturione dictum fuit,) cum sale, & aromatibus, lapidi etenim sunt. Sunt & uarioli (qui a Latinis spigolæ dicŭtur) inter optimos pisces, laudati. Hos, multis modis, ad edẽdum præparant, sæpe tamen in aqua, uel uino, cum sale, & aromatibus (ut de sturiõe dixi) sed lõge melius, eos piscatores præparant. Nam primo, in porciuncula olei, in lebete feruentis, cum sale, pisces reuoluendo, & miscendo calfaciunt, subinde aquam desuper infundũt, in ea tamen quantitate, ut minime supernatet piscibus, sicq; permittunt ut buliant, & cum ferè decocti sunt, addũt aceti portionem, cũ aromatibus, uidelicet zinzibere, pipere, cinamomo, croco, & aliis, sicq; efficitur ferculum gratissimum, quod senibus nõ omnino nocuum est, iuuenibus optimum, cum non ita excrementosum sit alimentum, sicut sturiones. Aurata quidẽ, laudatissimus piscis est, qui (ut plurimum) assus super craticulam, sale aspersus comeditur. Et etiam, post assationem, cum salsamento, siue muria, ex aceto, sale, roremarino, atq; aliis aromatibus, desuper posito. Decoquitur etiam aurata, sicut de spicula dictum est, uidelicet elixatione, cum aromatibus (ut piscatores coquere consueuere) sed nõ omnes, elixare conuenit, sed tantum maiores, & ueteres. Sunt item, qui frissas in oleo, succo uuæ immaturæ aspersas, comedũt, calidioribus diebus. Est etiam coruus, piscis optimus, qui ut aurata, & spicula, præparari solet. Eadem præparatione. Dẽtales, quos (alio nomine) sinoduntes uocant, præparant sicut cæteri maritimi nobiles pisces, nam lapidi sunt, & coquuntur in aqua, aut in uino, cum sale, & aromatibus, qui quoniam in Veneta palude non capiuntur, sed potius in dalmaciæ, mari, ac ex dalmacia Venetias in hyeme asportantur decocti, una cum iure congelato (gelatinam uocăt) fragolinos, quos arbores uulgares nominant. Comedunt æstate homines assos, & elixos sæpe cum speciebus, & assos quidem cum moria ex aceto, sale, & aliis, (ut dixi) quam græci oxigarum uocant. qui & frissi sapidi sunt, æstate præsertim, cum succo uuæ acerbæ, in quo semina fœniculi, & salis portio bulierint, non tamen sunt senibus cibus. Menæ seu Menulæ, quæ apud nos in uere, & prima æsta-

tis parte capiuntur, assæ super craticulam comeduntur sine aliquo alio condimento. Sæpe etiam cum iam dicto sallaméto (quod oxigarum uocāt,) & quoq; in oleo frixæ. Ad eundé modum giruli pisces quidé menullis simillimi, sed paruiores comedunt. Sed iter maritimos qui circa petras morantur, scarpene, qui & scorpiones dicuntur laudatissimi existunt, etenim minus humidi sunt, quoniam circa petras uescuntur sicciori nutrimento, & ea ratione laudabiliorem sanguinem generant, si ad reliquos spectes, coquuntur per elixationem in uino sæpe, & etiam in aqua cum sale, & cinamomo. Triglæ quoq;, & barbi, qui sunt pisces eiusdem generis in substantia, forma, quantitate, & colore, atque in aliis. Comedūtur recentes assi super craticulam, aut frixi, in oleo cum succo uuæ immaturæ, qui si maiores sunt, possunt etiam elixatione præparari. Sunt etiam iter paruos pisces sardæ, & sardi pisciculi, & marsiones, & acuelle, & acuoni, qui sæpe super craticulā p assationem coquūtur, & non raro in patella per frixionem cū oleo. Scumbri pisces, qui uere, & æstate capiuntur, nobiles, optimi, & gustui grati sunt, comeduntur super craticulam decocti, uel frixi in oleo. Et ad eundem modū coquuntur suri, qui & ipsi gratissimi sunt. Estq; angusigulla piscis, quem frixum comedunt, qui nō est ita gratus gustui. Gobii piscis Venetiis uulgatissimi, optimi sunt hyeme, & præparantur elixatione cum aromatibus, ut de spigola dictum est, ac etiam frixione cum oleo, & succo uuæ immaturæ, uel cum succo pomi medici, siue arancii. Sed hic animaduertendum est, quod Gobii quali apud nos existunt non sunt illi, quos ueteres laudarunt, quoniam illi circa petras degunt, & nutriuntur, nostrates uero in paludibus crescunt, & nutriūtur. Quare diuersi sunt specie inter se. Præter dictos sūt & alii pisces, qui in paludibus morātur, ut cæphali, qui etsi gratissimi sint palato, attamen malum sanguinem gignunt, ac etiā tarde à stomacho digeruntur, sed cæphali qui in mari capiuntur non ita praui sunt, omnes tamen prauos humores, obstructiones, & malas febres gignūt, Galenus cum origano eos comedere docuit, moderni tamen cum sale, & cinamomo super craticulam assos, quomodocunq; præparentur, semper sunt mali & uentriculo nocent. Sūt etiam oculatæ, quæ & menulasi uocant, qui & ipsi inter pisces optimi dicuntur. Comeduntur

tur, tam elixi, quam super craticulam assi, cum aromatibus. Est etiam tomus, siue thimus, magnæ, & insignæ quantitatis piscis, qui diuersa nomina sortitus est, secundum diuersas eius ætates, nam Palamidam, & parmulam quidam (eũ adhuc paruus, & ante annum imprima ætate) uocant, tomũ si magnus, & plurium annorum fuerit. Tomus super craticulam cum sale & fœniculi semina, coquere consueuerunt. Et est cibus grauis, & difficilis concoctionis, noscius uentriculo, & capiti, neq; in eo aliquid existit, quod uel sanitati, uel istaurationi fauere possit. Sunt præterea quidam pisces, quos salpas uocant, hi malum nutrimentum generant, quod etiam facilime in uentriculo corrumpitur, & eius substantia gustui non multum grata est. Sunt & rumbi pisces lauti inter nobiles, qui coquuntur elixatione con aqua, & etiam cum uino, & sale: additis aromatibus in fine coctionis. Sunt etiam qui hunc in frixorium cũ oleo decoctum laudant. Sunt & passaræ pisces qui optimi sunt in uere, & primũ æstatis decoctæ ut rumbus. Soliæ quoq;, eo modo ad comedendum præparantur, præsertim in frixorio, cũ oleo, aspersæ postea succo aranciarum, uel uuæ immaturæ. Similiter & citula (quam piscem sancti petri uocant,) & elixatio tione, & frixione præparatur. Et tametsi grongi, & murene, raro apud nos sint, quoniam tamen apud siculos, & in illa mari parte frequentissimi sunt, ii plurimum laudantur, præsertim si elixatione cum aromatibus præparentur. At anguillæ non laudãtur, quæ apud nos in tam frequenti usu existunt: cum gratissimæ sint gustui, & malũ nutrimẽtum gignant, & difficilime à uentriculo concoquantur, nocet uisceribus omnibus, præsertim capiti. Præparantur assatione in ueru, super asperso ante assationem plurimo sale. Sunt & qui eas elixas cum aromatibus comedũt, sed plus nocent, uerum quæ salitæ sunt, minus officiũt, præsertim si unà cum sale, & fœniculi seminibus, uel aromatibus quibusdam, ut sunt piper, garyophali, cinamomum, & similia comeduntur. Præter iã dictos pisces sunt etiã quidam qui uescuntur piscibus quamplurimis, malæ substantiæ, & malum nutrimentũ generantibus, quos minime in regimine tuendæ sanitatis approbauerim, & sunt canes, raia, columbus, squatina, sepiæ, polipus, & loligo (qui uulgo caramale dicitur) hi omnes pisces mali sunt, cum etiam capiti, & uentri

culi, & infestissimi sint, plures alios potuissem enumerare maritimos pisces, quibus homines uesci consueuerunt, sed ii enumerati satis pro exemplo sint, & ad aliquos in aquis dulcibus morantibus orationem conuerto. Sunt itaque plurimi sicuti, & maritimi, attamen minus laudati. Verum inter hos, quidam meliores, & optimi sunt, & apud omnes laudati. Eos igitur subinde enumerabo, & primo, trota, & carpio, ut sapidiores, & meliores laudantur, cum sint gustui grati, attamen sunt difficilis ad digerendum. Decoquuntur in uino, cum garyophilis, mace, cinamomo, & similibus. Et quoniam non desunt qui de principatu horum duorum piscium contendant, cum quidam dicant carpiones nobiliores esse, & quia nutriantur circa auream arenam, & quia diutius a putredine conseruari possunt. Capiuntur autem carpiones in lacu Benaco tantum, uel si in alio loco, id raro uidere est. Quicquid sit, ambo optimi sunt recētes, & coquuntur elixatione cum aromatibus, & etiā frixione cū oleo. Et intantum hominibus gratus cibus fuit, ut ad longissima loca, & regiones asportentur, uidelicet saliti, & in oleo frixi. Sardæ quoque laudatissime in eodē lacu capiuntur, quæ recentes super craticulam assæ comeduntur, & frixe etiam. Sunt præterea, & themuli post hos laudatissimi, qui apud taruisium capiuntur, & etiam apud bononiam, & coquuntur elixatione, cum aromatibus, & frissione. Et barbi similiter, præparantur, assatione, frixione, & elixatione, cum aromatibus. Sunt & lucii uulgatissimi apud nos, qui quoniam lentore humiditatis priuantur, inter minus nocentes enumerantur in regimine senum, & præparantur sæpissime elixatione cum uino, uel aqua, & aromatibus, (ut dixi.) Et nonnūquam assantur in ueru; hoc pacto, uidelicet post quam aliquātulum calfacti sunt in ueru ad ignem, ita ut cutis squamosa a carne separari facile possit, amouenda est, deinde cum farina & saccaro, & cinamomo, commixtis, super aspergendo, crustam quandam faciunt, atque sic procedunt usque ad perfectam piscis assationem, & sunt optimi, & sapidi. Cæteri alii qui apud nos in frequenti usu sunt, ut rainæ, tinchæ, seardæ, omnes (mea quidem sententia,) cū mali sint nutrimenti interdicantur, sed lampredæ cum fere nullum in se lentorem habeāt possunt aliquando comedi. Neque diuersitatem ex loci muta-

tione in piscibus prætermittéda est, cum sint quidam, qui etsi ortu maritimi sint, attamen dulcibus aquis delectantur atque in ipsis degunt, & nutriũtur. Et econtra, sunt alii, qui in dulcibus oriuntur, & tamen maritimis delectãtur, atque in ipsis nutriũtur, ut varioli, lupi, anguillæ, cæphali, passaræ, tinchæ, & alii (ut pauloante dixi) qui solent mutare loca, ex qua loci mutatione, & meliores, qui ex dulcibus ad maritima transeunt, & deteriores efficiũtur, qui ex maritimis ad dulces. Nam varioli, siue spinulæ, lupi, anguillæ, tinchæ, & similes, inter quos est sturio, qui etsi marinus sit, gaudet tamen aquis dulcibus, atque ex eis pinguiores deteriores sunt, cum in dulcibus aquis morantur, & econtra, si tinchæ, uel lucii in maritimis crescãt meliores efficiuntur. Habet quoque usus hominum ostrocoderma, & crustaceos, quos comedant, qui omnes (teste Galeno) malum alimentum generant, etenim uentrem stimulant, & parũ nutriũt: sed ostrea confert illis, in quibus cibus in uẽtriculo corrumpitur, ac etiam augẽt, tam digestiuam quàm expultricem uirtutem, ubi plurima quantitas carnis ingesta fuerit: præsertim si post carnes comedantur, etenim sua salsedine calorem augent, & uirtutem expultricem stimulant. Non desunt qui credant ostracorum comestionem uenerem augere, & semen multiplicare, sed decipiuntur, cum ex eorum commixtione, & parum, & malum nutrimentum generetur. At non quoniam augeat semẽ uenerem stimulat, sed quia sua subtili caliditate uẽtum excitat, & ad uias genitalium trudit, fit ut ostrea cõmedentes stimulentur, & in erectionem, atque titilationem, incurrant. Ex ostreis meliores, & minus nocuæ sunt illæ, quæ capiũtur, in locis non cenosis, sed ubi aquæ sunt currentes, quæ etiã sint gustui gratæ, boni odoris: uerum si male oleant, & in paludibus putridis creuerint malæ sunt. Modus præparationis ad comedendum diuersus est, nam quidam aquam feruentem super eas proiciunt, & sic comedunt, sunt etiam qui super craticulam coquunt, sunt & qui crudas aperiunt, & addunt oleum & piper, & super craticulam coquunt. Sunt præterea qui crudas eas comedunt sed in nullo pacto laudari (in regimine sanitatis) potest est enim cibus grauis, neque comedendæ sunt nisi post reliqua cibaria, ut sua salsedine calefaciendo, & uirtutem expulsiuam stimulando, coctioni, & expulsioni uentriculi ad-

iuuēt,neq; sit quantitas multa, cum sint mali & pauci nutrimē ti. Præter ostreas, cōchiliis genere diuersis uescuntur, quæ quoniam omnia ferè eiusdem substantiæ,& uirtutis sunt,malum,& acutum sanguinem generantia,ideo eorum usus interdicat, & q̄ iterea meliora credunt,sunt quæ locis arenosis,& non paludosis,crescunt,& melior modus præparationis,in minoribus,est bullitio cum uino & aromatibus,usq; ad aliquam apertionem.Sed lasturæ quæ genus conchilum est,& sunt satis magnæ quātitatis,illæ elixantur,primo in aqua,& extratis partibus interioribus, atq; in frustra incisis, cū oleo & aromatibus præparantur.Quicquid tamen sit de eorum præparatione,omnia genera conchilium, siue magna, siue parua, siue longa,siue rotunda fuerint,detestabilia existūt.Sunt& crustacei pisces,ut lasture maritimi, & fluuiatiles cancri,camari,& similes,qui siue magni,siue parui sint,omnes parum nutriunt, tametsi medicorum scola in regimine resumptiuo, ut gratia exempli,in laborātibus febre habitudinali,laudauere cancros fluuiales, non propterea quoniam plurimum nutriant, sed quia sua humiditate,& nutrimenti lentore calorem in mēbris confirmatum,atq;(ut aiunt medici) habitudinalē,& fixū obtrūdūt,atq; resistunt coliquationi membrorum solidorum Quare cū senes ex decursu ætatiuo frigidi & sicci facti sint,& egeant nutrimento calido,& humido moderato,ea ratione illis minime conducit, nisi forte aliquando egerint cibo medicinali (gratia exempli) ad prouocandum urinam:cæterū non sunt ex usu,cum ad digerendum duri sint,& capiti & uentriculo infesti,atq; uentrem conturbantes. Meliores sunt fluuiatiles.Etsi (ut dixi) omnes graues,& parum nutriant,tamen quoniam à multis comedūtur,ideo meliores eligantur, uidelicet moles,cū à cortice dura expoliati capiuntur,(quos molechas uulgo uocant)& sunt grati gustui frixi in oleo; & hoc tam de maritimis,quā de fluuialibus intelligi debet. Cæteri uero qui duri sunt,siue fluuiatiles,siue maritimi,siue parui, siue magni fuerint,præparantur elixatione,cum aqua & sale.Sunt præterea q ex dictis magnos post ebulitioē aperiūt,& supponūt acetum & aliquid aromatum,sicq; fiunt gratiores gustui.Et tametsi salita omnia i instauratione humidi minime ex usu sint, nihilominus quoniam homines frequenter salitis uescuntur

de

de iis non ingratum erit diuersitates eorum,& præparationes enumerare: si prius qua ratione instaurationi non conducant dixero. Salita igitur omnino minime ex usu ad istaurãdum deperditum humidum sunt, primum quoniam exiccant,& corpus uehementer inflamant, sitimq; malam excitant, atq; æpati,& renibus nocent,& ex eis parum humidi nutritioni acomodi separatur, sed maior pars eorum excrementicia efficitur. Nihilominus si in modica quantitate ab illis qui plurimã materiam pituitosam in uentriculo habent comedantur, non parum prosunt & calfaciendo,& attenuando materiam pituitosam frigidam,& humidã,& uirtutem apetitiuam excitando,& hac ratione senibus ex usu esse possunt. Præparantur igitur salita hoc modo. Et primo carpio inter cætera salitus,& in frixorio cum oleo frixus non semel sed pluries custoditur,& sic per plures frixiones seruari, per longum tempus potest,& ad diuersas regiones asportari, & iterum cum comeditur, in oleo de nouo frixus comeditur, aut super craticulam calfactus. Sunt & peregrini quidam pisces saliti, qui in maxima sunt (ut ita dixerim) reuerentia, ut est salmon piscis, qui præparatur decoctione in uino cum aromatibus. Est & Morona quæ elixatione in aqua præparatur,& comeditur, aspersa aceto,& similia, quæ sunt sturionum partes dorsales, ut quas moronellas uocant, coquuntur super craticulam,& super asperso aceto comeduntur, ii tamen omnes mali sunt. Præterea piscibus quam plurimis aliis salitis,& eorũ partibus uescuntur, ut sunt cæphali, barbi, siue triglæ, sgombri, sardæ maiores,& minores, (ianuéses inchio uocãt) anguilæ, & alii, qui etsi grati gustui & palato sint, attamen quoniam neq; probum alimentũ generant, neq; ad digerédũ faciles existant, interdicendi sunt. Sed ouataricha, quas uulgo botargas uocant, uocabulo græco paulo corrupto, cũ nõ ingrata sint gustui,& etiam cũ uentriculũ roborét,& pituitosam materiã in eo exiccét,& appetẽdi uĩ incitent, ĩprima mensa laudo. Similiter, oua sturionum salita, quæ cauiarũ uocant, potest aliquando ad exiccandam, pituitã in uétriculo, (in minori tamé quãtitate) cõmedi. Hoc idem de aliis salitis dixisse uolui, cum non nisi ad aliquam medicinalem intentionem, in usu in senibus ueniant, uidelicet uel cum exiccare aliqua ex parte, uel subducere uentrem, stimulando intendimus,

at si salis acredinē extinguere desideramus, id cōmode fiet, succo uuæ immaturæ; aut pomi medii, siue arancii, aut limonum, aut citrium, & similium hæc. Et satis, de pisciū præparatione.

Fercula diuersa atq; ex diuersis æduliis simplicibus, & com mixtis cōmunis hominum usus approbat. Quapropter, eorū & compositiones, & differentias, aliqua ex parte enumerabo, præsertim eas quæ nostro instituto accommoda uidentur, ut scilicet sanitatem tueatur, & uita prorogetur. Etenim temperata & sapida fercula, plurimum in instaurando humidum congenitum, & spiritum uitalem faciunt, si moderate, & suis temporibus, ac cōmode præparata, comedātur, cū secūdū diuersas, tum coctiones, tum mixtiones, diuersas etiam uirtutes, & aquirent, & admittant. Porro, quæ cum carnibus coquuntur uirtutem carnium illarum accipiunt, atq; nutriunt una cū eius naturæ qualitate: simili ratione quoque de piscibus dicendum est, nam si cum ipsis fercula componātur, uel aliquid cum ipsis bulierint, proculdubio illa res illorum piscium aliqua ex parte recipient, atq; adeo cum ea uirtute corpus nutriunt, alterant, & mutant. Ne igitur aliqua ex parte in istis error fiat, quæ proba sunt, primo anotabo. Etenim laudatissimum ferculum est panis, in iure carnium molitus, præsertim in iure capi. Sed laudabilius erit, si panis cum iure bulierit, ita ut ex eis uocata panatella efficiatur. Porro, non solum senibus conducit, uerumetiam & pueris, cæterisq; aliis ætatibus, cum probe nutriat atq; cito a uentriculo permutetur, & descendat. Enim uero ex eo optimū alimentum fit, quod celeriter nutrit, atque etiam plurimum in senibus humiditatem naturalem instaurat, partesq; pectoris exasperatas, & siccas molit. Quare nō mediocriter tussientibus prodest. Præterea fit laudatissimū ac nobile ferculum, ex decoctis carnibus, amigdalis, & micha panis, simul in mortario subigatis, atq; cū iure optimo, aqua rosacea, & saccaro commixtis. Hoc ferculum mire senes, & conualescentes instaurat, & reficit: in quo nulla fere excrementosa pars existit. Sed totum propemodum in alimentum conuertitur, atq;, ut ita dixeri, minimo, & nullo caloris labore. Quare eius usus plurimum senibus conducit. Post hoc est alica, ferculum ex granis zeæ (nostrates uero speltam uocant,) & fit ex huiusmodi granis a corticibus mundatis, cūm iure carnium eduliū

gratisſimum: quod ſenes, & alios habentes imbecillem calorē, ut mulieres, conualeſcentes, impinguat: ſi optime præparetur tametſi hordeum, & ptiſana ex eo facta ab Hippocrate, & Galeno miris laudibus laudentur, non tamen omnibus ætatibus, & temporibus, ad optimam ualetudinem ex uſu ſunt. Sed ferculum ex fare cū iure carniū, uel cocto in aqua, additis amigdalis tritis, & ſaccaro optime nutrit, & facile à ſtomacho digeritur. Similiter ex oriza, ſiue rizio, fit ferculū cum iure carnis, uel cum amigdalis, ſaccaro, & parum croci, quod quidem ſapit, & nutrit: niſi quod flatū in inteſtinis cōmouet, & gignit, quem cinamomum, & amigdalæ remouent. Præterea ex tritici farina plurima edulia faciunt, & omnia grauia ſunt, atq; obſtrutiones gignunt, quæ etſi nutriant, attamen non ex omni parte laudatur, ſiue ſint iuſcula, ſiue lagana, ſiue quoduis aliud genus ferculi, ex triticea farina, qualia ſunt paſtilia uocata, & reliqua. Quare nō niſi cum temperatis aromatibus comedantur, ut eſt cinamomū, & raro. Similiter legumina omnia grauia ſunt, inter quæ cicer nigrum, & rubeum, non ex omni parte malum eſt, cum ſatis commode nutriat, atq; pectori, & pulmonibus opituletur, præſertim ſi a craſſioribus humoribus agrauētur, ſubtiliat etenim ſanguinem, urinam cit, & lentos humores, atq; arenulas à renibus expurgat, uentumq; in uentriculo, & inteſtinis excitat, atq; ea ratione ad uenerem ſtimulat non quoniam ſemen genitalem augeat quod (ut corrigas) bulliat cum ipſis ciceribus roſmarinum, uel radices fœniculi, aut petroſilini, uulgāres, & ruſtici tamen, aleū cū eis ciceribus coquunt, quod non ſine ratione laudatur. Etenim aleū fugat omnem uentum, tum in uentriculo, tū etiam in inteſtinis, & cætera uero legumina, ut fabæ, piſa, faſeoli, lentes, cicerculæ, mali, & pauci ſunt alimēti. Etenim, fabæ præter quam quod parū nutriant, plurimum flatum generant, & eorum uapores non modicum caput ledunt. Piſa etiam craſſum alimētum gignūt, & modicum nutriunt. Sed faſeoli deteriores ſunt, cum facile in uentriculo corrumpantur, & malum ſanguinem generent, atq; malas excitent febres. Lenticulæ quoq; parum nutriūt, & aluum ſiſtunt, ſed præter id quod eius alimētum malum ſit, & difficiles ſint ad concoquendum, frequens uſus eorum ſcabiem malam excitat, & lentium decoctum, ut aiūt medici ma-

lam excitat, & lentium decoctum (ut aiunt medici) malũ sanguinem ad cutem propelit, quare datur ubi uariolæ, uel morbili, aut papulæ, seu pestichiæ, infebribus pestilentibus egregrediuntur. Postremo cicerculæ malæ sunt, & potius rusticorum, & plurimum laborantiũ, quã ciuilium hominum cibus existit. Et ad summum in iis omnibus qualescunq; fuerint, eorum præparationes, uel qualia fuerint fercula, ex eis facta, minime senibus conducere possunt, neq; habẽtibus imbecillem uentriculũ. Olera quoq; senibus pro alimẽto nequaquã cõducunt, sunt enim pauci alimenti, & mali succi. Verum inter olera quædam laudabiliora dicuntur, ut borago, buglosum, mellissa, & latuca, quam Galenus plurimum laudauit, ũerumtamen nocet usui, & omnes sensus hebetat, hominẽq; somiculosum reddit. Quæ autem in frequenti usu, præter dicta sunt, est brasica, bl tis, spinachia, sed cum omnes herbæ (ut dixi) sint pauci nutrimenti, ut melius nutriãt, non nisi in iure carnium coqui debent, sicq; præterquam quod molliant, habebunt etiam quod nutrire possint. Et quamquam caules, siue brasicæ in frequenti usu hyemis tempore sint, & ueteres, brasicham plurimum laudarint. Equidem eam minimè ex omni parte laudare possum, cum primo malum succum generet, qui caput infestat, atq; oculos obtenebrat, sed deteriores sũt albæ, quas arabes canabit uocant, uulgo uero capuzi dicuntur, nam ægre à uentriculo concoquuntur, & parum nutriunt, & ea ratione, unà cum seminibus fœniculi coquũtur. Præparãtur etiam fercula, ex quibusdam fructibus orariis, ut sunt, cucumures, citruli, cucurbitæ albæ, & uirides, quas marinas uocant, hi senibus minimè prosunt, cum sint frigidi, & humidi nimis, pauci nutrimenti, & difficilis cõcoctionis, melior ex eis fercula erũt, si in iure carnium, cum cinamomo, uel croco bullierint, æstate. Similiter citruli, & cucumeres deteriores sunt, sed ad digerẽdum meliores, & gustui gratiores erunt, si cum eis post coctionem confundatur ouum, & croci, uel cinamomi portio, nam hic modus præparationis laudabilius nutrimentum generat. Rapa radix est, ex qua ferculũ hyeme fit, cũ iure carnis, quod pauci nutrimẽti, & uentriculo graue est. Melior uero præparatio ex ea erit, si prius ĩ prunis rape assenſ, & à corticibus mũdentur, sicq; minutim incise in iure carnis, cũ seminibus fœniculi,

culi,uel cinamomo coquantur,cum sic eorum uentositas tollatur,& sapidiores gustui sint.Illud idem de napis dixerim, si aliquando comedātur,sicut de rapis,uidelicet,ut sint cocti cū foeniculo,& iure carnis, & optime saliti, quoniam citius e uentriculo descendunt. Sunt quidam alii fructus,qui minime ex usu sunt ,ut melengana,& similes.Etenim eius substantia mala est,quæ grauat uentriculum,& sanguinem corrumpit.Sunt etiam mali fungi,& tubercula spongiolas(uulgares uocāt,)nā præterquā quod uētriculo angustiā faciūt,eorum humiditas ueneni naturam habet, quam minime uentriculi calor regulare potest. Equidem multos uidi, ex fungorum comextione interiisse,quod etiam Galenus testatus est.Sunt præter dicta plures aliæ ex terra nascētes res.ut pastinaca,tā agrestis,quā satiua,uulgo cariota dicitur,& rafani,& cepæ,& porri,& bulbi,& aleū,& similes,quæ nullomodo,ut cibus comedi debent, cum stomacho,& capiti infesti sint,& humores boni inficiāt. Possunt nihilominus aliquando, ut medicinale cibus comedi (ut gratia exempli) Rafanus post cætera edulia ,ad uentriculi digestiuam uigorandam.Et pastinachia ,siue cariota decocta, & cum aceto condita, addito,saccaro ,& cinamomo in prima mensa, ad excitādū appetitū.Similiter & ut melius uētriculus crassa,& frigida cibaria cōcoquerē ualeat,cepæ,porri, bulbi,& aleum comedūtur,& hac ratione aleum cū nucibus, uel amigdalis cum aceto subactum,plurimi comedere cum piscibus, & pinguibus carnibus a solent, quicquid tamen de his sit ,sempē talibus abstinendum erit,tanquam a rusticorum, & non ciuilium cibo. Nō tamen silentio præteribo alei utilitatem , nam si modeste aliquando quis eo uescatur,stomachi digestiuā roborat uentositates intestinorum resoluit,& pituitam in intestinis per secessum educit.Præterea cepæ ī cineribus decoctæ, & cum aceto oleo,& sale conditæ, non ingratus est cibus,qui, etsi pro nutrimento malus sit,attamen habet aliquid,quod aliquando plurimum prodesse posit,præsertim in illis,in quibus plurima materia crassa,lenta,uiscidaue in uentriculo , & pectore infarcita est, ex quorū numero sunt senes,& pingues.Similiter & porri illud facere possunt,sed non ita fortiter , quod si forte hanc operationem in porrorum comestione in senibus ad pectoris mundificationem desideremus ,cocti , & cum

melle commixti comedãtur,non tamen eorũ quantitas pluri/ma sit,cum malum sanguinem gignant. Et ut finem huic parti faciam,& ad reliqua breuibus me adcingã.plurima sunt, quæ in prima mensa comedũtur ex terris nascentia,tam cruda,quã cocta,cum oleo,& aceto,& sale condita , & dicuntur à cetaria,siue salaticia,quæ ad aliciendum appetitum,& non pro nutrimento comeduntur:inter herbas lactuca infrequentissimo usu est,unà cum boragine,buglosa,& eorum floribus, ac etiã endiuia,cicoreum,melissa,calendula,menta,pulegium, pinpinella, & similes, quæ omnes non tantum senibus non sunt ex usu,uerũ nec aliis ætatibus,pro nutrimento.Quare ex iis modica quantitas comedi debet, sed eruca, nastrucium,& similes,omnino interdicantur,nam ex eorum comextione malus generatur sanguis,qui uniuersam humorum massam corrumpit ,sunt tamen præter dictas quædam quæ laudatatissimæ sunt,ut asparagus,qui plurimum nutrit , & urinam prouocat, sanguinemq; ab aquositate mundificat, quod omnibus plurimum prodest,sed senibus primo,post asparagum in bonitate est lupulus, qui nundum folium expansit, nam roborat uentriculum,& pituitam in eo attenuat, atq; sanguinem mundificat, comeduntur cocti.Similiter & capares optimi sunt,cum stomachum roborẽt,& crassos in eo humores attenuent,splenisq;, & aliorum uiscerum obstrutiones aperiant.Salsamenta quoq; diuersa,& sapores carnibus,& piscibus etiam super ponuntur,ut & meliores,& gratiores gustui efficiantur, ut sunt illa quæ assatis piscibus super ponuntur,& fiunt ex aceto,sale, & oleo,additis aromatibus,ut est zinziber, piper,cinamomũ, & similes.Sunt qui in aceto rosmarinum bulliunt,cum sale,& sic super pisces ponunt,quod & gratum,& utile erit, nam humiditatem,& frigiditatem piscium corrigit,& delectabilẽ cibum efficit.Similiter & salsamenta quæ cum carnibus comeduntur optima sunt,ut ex petrosilino, menta,amigdalis cum zinzibere,& saccaro,in mortario subactis, atq; cum aceto, & rosacea aqua dissolutis , quæ compositio omnibus temporibus ex usu esse potest : in hyeme tamen defrutum ex uuis factum comedunt,& fit ex succo uuarum dulcium,in labetæ decocto,ad mellis spissitudinem redacto,in quo etiã cotonia frustratim incisa bulliũt,& in fine quidam addunt, cinamomum,

garyophylus,macem,nucem muſcatam, & eſt gratisſimus ſapor,pro diuitibus, ſed in frequenti uſu eſt,in hyeme,ſinapia, in æſtate,compoſitio ex expresſis cerafiis acetoſis, quas amaras ſcas, & amarenas uocant,unà cũ ſaccaro,ad mellis crasſiciem bulitis. Eſt & etiam ex cotoneis,eodẽ modo,præparatis ſapor, quem cum carnibus comedunt,ſed ubi uentriculi imbecillitatem timeremus(ut eſt in ſenibus)addendũ erit,portio cinamomi,& garyophylorũ,(quicquid tameſit,) ſenibus nõ pſunt,ſed meliores ſunt ii ſapores,qui ex amigdalis, cũ ſaccaro,cinamomo,aceto,& aqua roſacea fiunt. Sunt prǽterea ſapores,ex æpatibus gallinarum,uel caponum,cum amigdalis,uitellis ouorũ, paſſulis,cinamomo,cum ſaccaro præparati,qui gratisſimi sũt, & ſenibus mirè,conducunt. Oliuæ etiam, ad excitandam uentriculi appetitiuam uirtutem,comedũtur,quas nõ laudo,(etſi aliquo modo uẽtriculũ roborẽt)attamẽ,nõ probè ab ipſo concoquuntur,& eorum nutrimentum parum,& malum eſt, ſed quæ ſalitæ ſunt,nocent iocinori,& ſanguinem acuunt. Iam finem,de terræ naſcẽtibus,comextibilibus,hic feciſſem,niſi fructus quam plurimi,qui ab hominibus comeduntur,ad eorum declarationem,orationem traherent. Etenim fructus omnes, ſicuti ſubſtantia diuerſi ſunt,ita etiam disſimiles uirtute, exiſtunt,Meliores tamen habentur,qui magis ad calidum, & humidum temperamentum accedunt, atq; minus putreſcibiles ſunt. Primum igitur,ab horariis incipiam,ſic dictis,quoniam ſeruari diu non poſſunt,& ſunt,melones,ſiue pepones, bathecha,ſeu anguria, cucumares, citruli, cucurbite,de quibus aliquid ſupra dixi,ii omnes ſi comedantur facilè in eum humorẽ conuertuntur quem in uentriculo inueniunt, & ideo ſenibus non conducunt,cum abundẽt pituitoſo humore. Adde etiam quòd eorum nimia humiditas à uentriculi calore in ſenibus nõ poteſt uinci,ſed potius calorem obtundit,ſicq; nociui sũt, non tãtum uentriculo,ſed omnibus uiſceribus. Etenim ſuccus ex eis genitus nauſeam,fluxum uentris, & inflationes cauſare ſolet,ut quunq; dicta ſe habeant. Melones, & pepones præcipuam uim refrigeratiuam habent,& ea de cauſa in æſtate non ita nocẽt ſi comedãtur,pſunt eni calefactis,& ex labore feſſis, præſertim albi,qui pepones dicuntur. Et debent ante alia cibaria comedi. Sed nunquid poſt eorum comextionem uinũ me-

racum,aut aquam bibere melius ſit, quæſtio non ſolum inter uulgares,ſed etiam inter medicos eſt,quam quæſtionem, ſic terminabo,uidelicet,ut poſt comeſtionem eorum qui frigidi, & humidi habentur,& ſunt illi qui modicam, aut nullam ha-bent dulcedinem, bibere uinũ meracum,plurimum prodeſt, non tamen ſit quantitas plurima,ſed mediocris. Verum poſt il los, qui admodum dulces exiſtunt, nõ eſt tutum meracũ ſum mere,quoniam ex tali permixtione, ſæpe, materia ardẽtium fe brium generatur,& ea ratione tutius eſt aquam,cum uino gra natorum poſt bibere,ſed, ut quũque res ſe habeat,melonũ co mextio urinam cit, & lenitatem inteſtinorum ſæpe cauſat, cui malo,optima præcautio eſt, ſi una cum caſeo comedan-tur. De patecha uero,ſeu anguria,cucumeribus, citrulis, atq; cucurbitis,quæ paulo ante dicta ſunt,ſat erunt, cum minime ſenibus(ex uſu)pro cibo ſint. Reliquũ eſt,ut de illis fructibus, qui in arboribus naſcuntur ſcribam,a fico exordiens. Etenim ficus inter fructus eſt optimi, atq; laudabilis nutrimenti, gu-ſtuiq; gratus, cuius temperamentum calidum, & humidũ eſſe medici affirmãt, ſed quæ exiccatæ ſunt,minus humidæ exiſtũt. Eligantur albæ,quæ in arbore iam paſſe ſint, & ante alia ciba-ria comedantur,quæ etſi optime nutriãt,omnes inflãmãt, & acutum ſanguinem gignunt, qui ſcabiem, & pruritum exci-tat, item uentrem ad ſeceſſum ſtimulãt. Siccæ quoq; idem fa-ciunt,ſed magis ſanguinem acuunt. Præterea uuæ,ſunt & ipſæ laudabilis nutrimenti,cũ calidæ,& humidæ ſint,& inter uuas, probiores albæ exiſtunt,præſertim,quæ locis mõtuoſis naſcũ tur: at ſiue albæ, ſiue rubeæ, uel nigræ fuerint,ut maturæ,& per aliquod dies poſt collectionem,aut ſuper uitem paſſæ ſint, operæpretium eſt, & eis ante alios cibos una cum pane, uel etiam cum carnibus ueſcantur, ſic enim optimum nutri-mentum generant,& minus inflatiuæ ſunt,omphãtiæ,& quæ immaturæ, uel auſteræ ſunt,uẽtriculo nocẽt,& uentrẽ aſtrin gunt,ſed paſſæ, quæ i hyeme ſuſpenſæ ſeruãtur,nõ ita nutriũt. At uuæ ſiccæ, quæ plurimæ ad nos,ex aliis locis aſportantur, diuerſæ ſunt. Meliores,& laudatiſſimæ habẽtur, paruæ nigræ, & ſine nucleis,nam plurimum nutriunt, uentriculo, pectori, pulmonibus,renibuſq; conueniũt,iocinoris affectibus, & eius imbecillitati ſingularis eſt medicina. Reliquæ uero uuæ exicca

tæ tam

te tametsi bonæ dicantur non tamen ex omni parte laudatur, ut quæ ex damasco, creta, & smyrna, asportantur, nam omnes inflatiuæ sunt, plus minus ue pro ratione suæ pinguedinis. Etenim quæ minus pingues existunt minus inflant minus quoque nutriunt omnes tamen plurimum nutriunt, sed eorum immoderatus usus intestinorum leuitatem facit, quæ corrigitur si cum caseo edantur.

Sunt etiam dactili si maturi fuerint senibus utiles. Etenim eorum substantia calida, & humida est, quæ plurimum nutrit, sed quantitas uero eorum, si plurima fuerit, non facile a uentriculo concoquitur, & crassum generat humorem: sic que plurima dactilorum comextio, iocinoris, & splenis obstructiones faciunt, prosunt tamen habentibus imbecillitatem renum.

Poma omnia frigida, & humida sunt, & hac de causa, senibus plurimum nocent. Et quoniam pomorum differentiæ plurimę sunt, ideo si commedantur, dulcia bonæ substantiæ, & bene redolétia eligantur, nam insipida, inodorata, & molia deteriora existunt, sed qualia cunque fuerint eorum immoderatus usus, ad iũcturarum dolores tandem præparat, & ad uenarum fracturam pectoris. cocta uero minus mala sunt, & quæ odorata existunt cordis passionibus calidis opitulantur.

Similiter & pira senibus mala sunt. Et illa meliora dicũtur, quæ frangibiliorem substantiam habent, & quæ dulcia sunt fragrantia odore aromatum, cum colore roseo, uel rubeo, quapropter muscata optima, & post ista, ea quæ in dictis illis magis conueniunt, prosunt cordis passionibus calidis suo odore & frigiditate.

Sunt etiam poma cotonia frigida, & sicca, piris ad digerendum duriora, ob eorum duram substantiam prosunt uentriculo calfacto, uomitum, & fluxum uentris sistunt, appetitumque excitant. Neque, ut plurimi credunt, eorum comestionem post cibum uentrem soluere laxando, id enim prouenit ratione compræssionis. Et ea dicuntur meliora, quæ matura, & magis dulcia, & odora existunt, conferuntque cordi, atque uapores ad cerebrum ascendentes, si post cibum comedantur, prohibent, non tamen senibus conueniunt. Neque sorbas, Mespilas, & Iuiubas prætereo, tametsi

raro comedãtur,cum potius medicinalis cibus sint,quàm corporis alimẽtum. Primum namque, tam sorbæ, quam mespilæ uētriculum sua stipticitate roborant, uomitum, & intestinorum fluxum sistunt. Similiter iuiubæ inutiles sunt, cum magis frigidæ sint, paucique aut nullius nutrimenti existant, atque uentriculum lædant, prosunt tamẽ pectori, & destilationibus calidis succurrit, sputumque in tali materia facilitant.

Sunt præterea cerasiorum plurimæ species, quæ & substantia, sapore, & colore, differunt. Nam quædam sunt mollia, & fragilia, & quædam dura, quædam alba, quædam subrubra, siue rosea, quædam rubra, & quædam nigra. Similiter in sapore, quædam fere insipida sunt, quædam dulcia, quædam mitia, & quædam acida, omnia tamen frigida, & humida sunt. Sed dulcia non tantum frigida, sicut acida non ita humida: omnia sunt, mala stomacho, & ad putrescendũ facilia, acida uero non putrescunt, insipida ad comedendum detestabilia sunt, dulcia minus, meliora uero sunt acida, quas amarasias, uel amarascas uocant: non tamen senibus conducunt.

Sunt quoque crissomilia græcis, latinis uero poma aurea, uulgaribus autem armelini, quoniam ex armenia hæc poma ad nos asportata fuerunt, frigida, & humida sunt, & eorum substãtia putrescibilis est, sicque ad malas febres parat, quare omnino interdicenda sunt. Similiter & persica frigida, & humida sunt, & eorum substantia facile corrumpitur, attamen ex communi omnium illustrium medicorum sententia stomachum super calfactum roborant, sapida sunt, boni odoris, sed exiccata meliora, & minus nocua existunt. Corrigitur autem nocumẽtum ex uiridium comextione, haustu uini aromatici post eorum comextionem.

Plurima quoque alia genera pomorum sunt, quæ minime senibus conueniunt, ut poma granata, seu punica dixeris non refert, arantiæ, siue mala medica, citria, limones, & eius generis. Incipiam tamen à punicis, quæ sunt in triplici differentia, uidelicet dulcia, mitia, & acetosa, omnia frigida sunt, sed dulcia aliquã leuem, (ut ita dixerim) caliditatem habẽt, siquidem omnino uentriculo, proficua, & nocua diuersimode dicuntur. Prosunt sane quoniam prohibent calidam corruptionem in stomacho, cum choleram in eo extinguant, atque os ipsius ro-

borent, uerum tamen nocent, si in eo plurimã materiam pitui tosam inuenerint, uel si imbecillis uentriculus fuerit, dulcia uero leniunt pectus, & sputum facile reddunt, atq; uẽtrem inferiorem molliunt.

Arantiæ etiam frigidæ existunt, præsertim illæ, quæ acide sunt. Et dulces minus illis, coleram extingunt, atq; æstate cum salitis comedi possunt, non tamen senibus conducunt.

Similiter & citria poma frigida sunt, si ad intrinsecã substantiam inspicias, uerũ quoniam ex eis, quoq; cortex comedit, qui & substãtia, & sapore ab intrinsecis partibus differt, ideo diuersam quoq; temperaturam habet, etenim ultima eius pars exterior calida, & sicca exiſtit, media humiditatẽ, cũ caliditatẽ habet, omnes tamẽ ptes parũ nutriũt, atq; ad digerẽdũ sunt, difficiles. Quare medicina potius quã cibus erũt, & cõferũt, uenenosis qualitatibus calidis in massa humorali aquisitis, & ea ratione dantur in febribus pestilentialibus præterea suo odore membris principibus prosunt, scilicet cordi, iocinori, & cerebro. Similiter semina citri plurimum in cordis affectibus prosunt, uentriculumq; roborant, atq; corruptionem appetitus corrigunt.

Limones & ipsi frigidam temperiem habent, cortex tamen calidus existit, uentriculo plurimũ contrariantur, & ea ratione senibus sunt contrarii, prosunt tamen in malignis, & pestilentibus febribus sicuti citria. Qui uero saliti sunt, & in aqua maris seruati calidi existunt.

De fructibus durum corticem habentibus, primum de amigdalis sermo erit.

Amigdalæ temperatæ sunt, duræ ad digerendũ, nutriũt quidem, & eius nutrimentũ laudabile est, recentes uero moles, & quæ uirides existunt meliores, & facilioris concoctionis sunt, replent caput si post cibum comedantur, atq; somnum soporosum faciunt, præterea pectus leniunt sputum facilitant, atq; iocinoris & lienis obstructiones aperiunt.

Auelanæ quoq; calidæ sunt, neq; in eis plurima est humiditas, difficiles ad digerendum existunt, sed quando eas uentriculus tolerat, plurimum nutriũt, si minus nocẽt magnificẽ: neque nutrire possunt. Virides tamen meliores sunt, eius cõmextio si immoderata fuerit implet caput, & somnum prouocat,

præterea, si cum ficubus & ruta comedantur, aduersantur ueneno, sicuti de nucibus nunc dicam.

Nuces & ipse calidæ sunt, & humidæ, non tamen carent siccitate aliqua, quæ nocet pectori, sunt male uentriculo, & nauseam faciunt, & ideo senibus non conducunt, minus tamen nocēt, si cum ficubus, uel mellæ comedātur, sole malum succū, generāt, & capiti, & neruis nocent. Quare non sunt pro nutrimēto edendæ, fit tamē ex nucibus, ruta, ficubus, cum mellæ simul commixtis medicamen ad uenena.

Sunt præterea pineæ, quæ calidæ, & hnmidæ satis existunt, tam etsi aliter crediderunt antiqui, & ideo optime nutriunt, attamen non sine labore à uentriculo coquuntur. Prosunt pectori, capiti, neruis, & intestinis. Vocem clarificant, & sputum facilē reddūt, recentes, uel in aqua tepida infusi meliores sunt, nam sic præparati, eius caliditatem remittunt.

Fistici siue pistachia calidi sunt, in aliis uero temperati satis, non plurimum nutriunt, sed faciles sunt cōcoctionis, prosunt uentriculo, iocinoris, & lienis obstructiones aperiūt, urinam ciunt, pectori, & pulmonibus opitulantur, & ideo senibus plurimum conducunt.

Castaneæ quoq; calidæ, & siccæ sunt, duræ digestionis, nutriunt quidem, sed eorum nutrimentum crassum, & inflatiuum existit, stringunt uentrem, & sanguinis fluxum ab emoroidibus, & matrice: sedatq; gonoreum fluxum, corrigitur in eis flatuositas, si in clibano, aut aliquo alio ingenio assentur uel exiccentur.

Sunt etiam præter hos, quidam fructus peregrini, qui plurimum nobiles sunt, & ad tuendā ualetudinem, mire à præstantissimis medicis laudati, ut sunt mirabalani cōditi, tam chebulæ, quam emblecæ, omnes uentriculum, & uiscera omnia roborant: non tamen ut cibus, sed ut nobilis, & leuis medicina summi debent, & hoc mane ante cibum per aliquot horas. Etenim sic accepti prosunt cordi, iocinori, lieni, & uniuerso corpori robur præstant, senesq; iuuenenescere faciunt, præsertim emblecæ.

Cortices quoq; citrium, saccaro condiuntur, & etiam parui limones, & aranciolæ eodem modo, quibus nobiles, & diuites in ultima mensa utuntur, quæ si modeste comedantur

pluri

plurimum conducunt, præfertim fenibus. Etenim præter id quod laudabiliter nutriant, cordi quoq; conferunt, & eius uirtutem roborant. Præterea fenibus ex ufu funt radices zinziberis conditæ (quas uiridem zinziberé uocant,) fi mane ante cibum fumantur, nam fua caliditate uentriculum, & eius uirtutem appetitiuam roborant, atq; pituitam qua fenes abundant, fubtiliant, & diffoluunt, uentofitatemq; ab inteftinis pellunt, ac etiam aluum ftimulant, conducunt hyeme, æftate uero interdicantur.

Vtunť ité diuites, & nobiles præter ea q̃ dicta funt, i ultima méfa fructibus, & feminibus atq; aliis quáplurimis faccaro cõditis, ut funt amigdalæ, pineæ, piftachia, anifi, coriandri, cinamomum, cortes arantiarum, & fimiles confectiones, quæ omnes guftui gratæ funt, uentriculum, & cerebrum roborant uirtutem concotricem augent, qui calidiores funt, ut anifi, & cinamomum, & uapores ad caput afcendentes contemperát, diffoluunt quoq; uentofitatem in uentriculo, atq; odorem bonum ori relinquit. Fiũt quidem, & alia edulia faccaro, & aqua rofacea condita, ut funt marzapani dicti, & canifones, & eius generis paftilia diuerfa, quæ etiam ex fifticis, & pineis eodem modo præparantur, funt certæ grati, & plurimum nutrientes non tamen facile digeruntur.

Plura alia potuiffem addere, quæ eduntur, & bibuntur, quæ quoniam non noftro intento, ex omni parte conuenire uideo, & etiam ne oratio nimis protrahatur præter mittere ftatui. Illud tamé í calce addens: quod, etfi plurima per ordinem confcripferim, confilium tamen omnium illuftrium eft (quod rationes plurimæ comprobant) ne diuerfitas fit in cibariis, neq; plurima quantitas, & hoc non tantum in fenibus, uerum etiá in omnibus ætatibus.

Caput feptimum doce repletionem, & inanitionem moderare.

CVm in homine, ex actione calidi natiui, humidum radicale refoluatur, idcirco ad eius inftaurationem neceffaria fuit quotidiana cibi fubminiftratio, ex qua plurimæ fuperfluitates, præter alui excrementa agregantur, quæ tametfi exerci

tatione plurimæ ex eis consumantur, non tamẽ ex toto, & semper absumantur, cũ sæpenumero uirtute impedita, aut imbecilli facta, aut ab aliq̃ causa, reliquie excremẽtorũ retineanť, ideo operæprecium erit, huiuscemodi superfluitates ẽ corpore aliquo artificio educere. Quæ cum non unius generis sint, sed diuersæ (ut in omnibus est uidere) a quibus excremẽta, diuersa expurgantur, ut sputamina, muchositates narium, sudores, urina, alui excrementa, & aliæ corporis sordicies, quæ si non a corpore exquisite expellanť, diuersos præter naturam affectus pariunt, ut sunt obstructiones imembris, tam itrinsecis, quã extrĩsecis, febres, dolores, absessus diuersos, & alii præter naturam affectus. Quare eorum euacuationi studendum erit, hoc modo. Primum mane cum ex lectulo surgerit, sputamina imprimis prouocentur, deinde urina, & alui excrementa cienda sunt, & hoc modeste ita, ut omnia corræspondeant, ad ingestũ cibum, & potum: quod si forte caruerit uentris inferioris euacuatione, quod familiarissimam senibus est, prouocetur arte, uidelicet, clistere, uel glandæ supposita. At si istis non libenter uti uoluerit, procuretur facilem secessum cum absumptione iuris carnium pinguium mane, in quo imponatur saccarum, aut sumat ius olerum, uidelicet, maluæ, blitis, spinachiæ, brasicæ, & similium, uel comedat ante cibum uncias duas, aut tres, passularum, cum saccaro, ad hoc autem plurimum ualẽt ficus pingues mane, ante prãdium per aliquot horas comestæ. At si istis factis uenter non modeste fluxerit, utatur aliquo leui medicamine, ut puta facto ex passulis, & interiorum ficuum pinguium, ac etiam medullæ seminum cartami añ partes æquales, quæ simul cõmixti cum mellæ rosaceo, mane ante cibum accipiat ad quãtitatem duarum unciarum, uel sumat dimidiã unciam terbentinæ, cum saccaro quoniam modeste uentrem in senibus lenit, atq; iocinori, lieni, uentriculo, & omnibus intestinis mire confert, uel cietur, cum absumptione decocti dimidiæ unciæ radicis polipodii, & duarum unciarum passullarum in iure carnis, mane. Sunt & alia ingenia ad mouendas cõmunes superfluitates alui, ut sunt pillulæ de aloes loto, masticine, de hiera, & similes, quas non ex omni parte laudare possum, cum Galenus aloes in senibus dãnauerit, & hoc quoniã nimis exiccat, quod si cætera nõ possent administrari, una cũ

pillulis ius aliquod accipiat in quo uel borago,uel buglosũ bul lierit,ut tollaſ exiccatio quę nullo modo ſenibus ꝓdeſſe poteſt quamobrem,melius eſt uti molliētibus. At ſi plurima repletio fuerit,ex igeſti cibi copia,illa per abſtinentiam à q̃titate tolli poteſt,etenim abſtinētia cibi (ut dicit Galenus) totũ corpus equaliter purgat, neq; diu à cibis in ſenectute abſtinendum erit,cum ultima ſenectus frequenti,& non multa indigeat in/ ſtauratione,ob calidi inati imbecillitatē,comedat igitur mo/ deſtè,atq; bibat,etenim nimia abſtinentia non ſolum ſenibus ſed & iuuenibus deteſtabilis eſt,cũ ſæpe ad ſenilē ethicam ſiue maraſmum deducat,ſed quoniam ſæpe non tantum in ſenibus uerum etiam in iuuenibus uēter plus debito fluere aſſolet,ita ut nimia corporis inanitio conſequatur,ex quo ſequuntur,nõ pauci præter naturam affectus,ut eſt uentriculi,iocinoris,lie/ nis & iteſtinorũ ibecillitas,ac etiā quāplurima alia incõmoda. Quare hoc i caſu aſtrīgētibus leuibus uti opæpciũ erit,ut pu/ ta comextione rerũ in craſſantiũ ſtipticarum quæ uentriculũ roborare ualeāt,ut ſunt fercula ex oriza ſiue ricio,uel ex farè, aut ex panico,in iure crurium uel capitum animalium. Vel co medantur carnes aſſe,præſertim uolatilium,ut ſunt turtures, perdices & ſimiles,quoniam in iſtis,eſt uis,& proprietas robo randi uentriculum et inteſtina,atq; ſiſtendi inteſtinorum flu/ xum. Præterea caſeus in talibus optimus eſt, item & fructus quidam,ut ſunt,caſtaneæ, ſorbe, meſpile cotonea, que ante cibum comedi debēt,præſertim aſſa,& hæc tam de repletio/ ne,quam inanitione regula modeſtè adminiſtretur ſecundum temporis diuerſitatem,atq; corporis robur.

Caput octauum Animi accidentia mo/ derare docet.

APte quidem ſubinde hac in parte,qua ratione animus con ciliari poſſit,ut probè compoſitũ in perturbate ac diu ui/ uere poſſit dicemus. Etenim cum corpus primum ab animũ regatur tanquam à nobiliori parte compoſiti, ac præſer/ tim à parte,ſiue uirtute illa quæ corporis rigitiua dicitur. faci lè ergo animum imperturbatũ ſeruabimus,ſi id quod nocuũ animali uirtuti eſt obducaſ,ac quod iocundum eſt,& illare ui

detur præponatur. Igitur primum ab omni angustia procul esse consulo, quippe cum leticia a plurimis corporis incomodis homines liberet, sicuti solicitudo, & meror, quam plurimos affectus præternaturam faciũt. Quid multa? Scripsit nimirũ Galenus, perturbationes animi, mutare corpora sine cõtrouersia a naturali sua ualetudine. Porro animi affectus præter naturã sunt impetus, ira, timor, meror, inuidia uehemens cupiditas, odium, nimium desideriũ alicuius rei. Præterea pertubant animã ipsam & cõpositũ, tenebre, & res aspectu, horridæ, motus impetuosi, strepitus, plantus, narationes, & inspectio rerũ miserabiliũ, fetor, cura, & solicitudo. Quare hæc omnia fugiãt qui læte diu uiuere cupiunt, atq; iram, merorem, inuidiam, odium cupiditates, & eorum omnium nimiam affectionem. Enimuero si ab istis animus abhoreat, proculdubio sanitas seruabit, senectutẽ differet, atq; uitã prorogabit. Hoc etiã melius fiet, si pariter loca amena, lucida, & iocunda, quæ omni immũdicia caruerint habitẽtur. Sint præterea procul omnes cognitiones rerum miserabilium, plantus, & alia omnia animum perturbantia, sicq; læticie studere oportet, comorãdo in thalamis ornatis, & locis ammenis, (ut sunt uiridaria) ac etiam cum iis uersari, qui musicis & huius generis delectentur, (quales sunt sonantes) citera, aut testudine, & cantantes: quoniam (ut dixit Plato in thimeo,) armoniaca proportio animũ illarẽ reddit, item plurimum ad lætam uitam uiuere facit consuetudo amicorum inuicem sese amantium. Similiter confert induere uestimenta præciosa colorata colore grato oculis, ac etiam gestare annulos, & micantes gemmas. Item in mensa sint uasa nitida, argẽtea, uel aurea, & pariter cætera thalami, & domi supeletilia, quoniam huiuscemodi res, dum inspiciuntur illarem animum reddũt. Et ad summũ, quoniam sensus, ut est uisus, & alii, anime etiam deseruiunt, idcirco si secundum unum quẽquem sensum animum ad id quod sibi iocũdum sit, reguletur, plurimum ad propositam rem conducet. Primumq; uidere est (ut dixi) aurum, argentum gemmas micantes, & colores medios, qui plurimum luminis participent, ut est purpureus, uiridis, roseus, citrinus, cælestis, & similes: quoniam hi omnes non mediocriter delectant. Similiter aspectus pulcherimarum mulierium plurimum animum oblectat. Idem faciũt confabu-

lationes

lationes lætæ, & cantilenæ demulcentes, præsertim si laudes propias, aut proauorum in eis audiantur. Sed cum non omnes filios habeant, neq; iisdem delectentur rebus, cũ plurimi mercaturam exerceãt, alii reipublicæ gerẽdæ ambiãt, alii auaritiã sequant, & alii qui pauci sunt bonarũ literarũ studiis operã nauẽt: ideo diuersam animi inclinationẽ senes blãdiẽdi erũt: exẽpli causa, lucrũ, mercatori, magistratũ senatori, sapiẽtiã literatis laudãdo. Olfactus quoq; spiritũ ac mẽbra principia roborat, pfertim cor, & cerebrũ. Porro uitales spiritus ĩspiratione, & bñ redolẽtibus refocilant. Quare nõ sine salutari auxilio i senibus bene redolẽtia utimur, ut est muscus, ambra, belzui, stirax, garyophilus, cinamomũ, mace, nux muscata, lignum aloes, sandalũ, laudanũ, & plurima ex eis cõposita. Sũt etiã herbæ odoratæ, & floret, quæ passim in ortis nascũtur plurimum iuuantes, ut maiorana, ozimũ, pulegium, saturegia, mẽta, serpilliũ, saluia, rosmarinum, flores citri, limonum, arantiarum, rosarum, & similes. Semina etiã odorata prosunt, ut granaparadisi, machaleph. Præterea unguentarii plurima, ex dictis odoramenta componunt pro diuitibus, & delicatis, ut sunt pastili, aquæ stilatitiæ ex floribus iam dictis, quibuscum, & muscum, & ambram, & alia miscent, uel bulliunt aromata diuersa cum aquis stilatitiis odoratis, quæ bulliunt sunt, puta garyophali, macis, lignum aloes, nuxmuscata, cinamomum, & similia, uel bulliant stirazem, belzuin, lignum aloes, cum quibus madefaciunt sudarium, & manus, & faciem, barbam, & capillos secundum temporis oportunitatem, & etiam ponunt in olla ad ignem in thalamo, ut ex leui quadam euaporatione thalamus odorifero uapore repleatur ex cuius inspiratione cerebrum, cor, & reliqua membra principalia plurimum recreantur.

Caput nonum docet membra principia, & illis de seruientia roborare, tam cum simplicibus, quam cum compositis rebus.

QVoniam potissima ratio tuendæ ualetudinis, tardãdæ senectutis, & uictæ prorogandæ in moderata humidi natiui, & spiritus recreatione constat, & id minime fieri

potest,nisi membra principia ualida,ac in robore conseruenf, ad quorum corroborationem,addam quæ sequuntur,initium sumens,a' uentriculi recreatione.Qui tam etsi nõ ex primis,a' quibus primariæ uirtutes prodeunt sit,ut est cor,iecur,& cerebrũ,est nihilominus deseruiens ,& prebens officium cõmune omnibus principalibus,præparans eis alimentum.ut igitur uẽtriculus,si imbecillis fuerit (quemadmodũ senibus contingit) hanc præparationem ,apte',in primis iocinoris subministret operæpreciũ erit,per notas quasdam , eius imbecillitatem cognoscere,& illam quidem cognosces,si grauedo in eo percipiatur , aut quoniam assumptum cibum ægre concoquitur , & eructationes insipide,uel acide frequẽter hominem molestãt in casu optimum(dico)erit si mane ante cibum, radicẽ zinziberis cõditi comedat,aut frustrum cinamomi,uel alterius rei stomachum roborantis,ut acorus cum mellæ conditus,non illæ insipidus, sed odoratus,& saporem acutum habens. Hãc radicem sæpe uidi,inter radices quas moderni galanga uocant, in mercatorum officinis.Sunt & composita plurima uentriculum roborantia,quibus si mane ante cibũ quis utatur probe' stomachum roborant,ut est aromaticum rosatum,diagalãga, pliris arcoticum,diamuscus,diambra,electuarium de gemmis, lætificans Rasis ad Almansorem,metridatica confectio,atque theriaca,quas maiores confectiones uocant,quæ omnes calfaciunt & exiccant.Sed ex eis quædam plus,ut metridatica confectio,& theriaca,cum iam ad uigorem deuenerunt, dico uigorem , quoniam in theriaca dantur ætates ,sicut in hominibus,ut est infantia , adolescentia , iuuentus siue status,& ultimo senectus,etenim noua , proculdubio operationes frigidorum medicaminum (si sumatur)efficit quoniam somnũ,& stuporem inducit testimonioGaleni quinto methodi.Quare nullo modo senibus,ante duodecimum annum ad uiscerum principalium robur ex usu est, neq; quæ nimis antiqua quæ quatragesimũ,& quinquagesimũ annum transierit in casu ab antiquis laudatur,cum plurimum humidam substantiam in corporibus exiccet,præsertim si frequens fuerit eius usus , quare semper ea parce uti debemus,atq; commixta , cum aliquo qui eius siccitatẽ moderare possit, ut puta cum floribus buglossæ uel boraginis cum saccaro,commixtis conseruam buglosæ ,&

boraginis uocant, uel sumatur cum aliquo syrupo ut puta cum dicto geleniabin de saccaro, uel de buglosa, & de corticibus citri simul, aut cum similibus, secundum rei exigentiam, dico hoc quoniam ubi plurima humiditas, in uentriculo abundauerit, potest etiam theriaca sola dari, ad quantitatem auelanæ siue ad pondus unius drachmæ ad summū, neq; (ut dixi) frequens eius usus caret timore, nec in hoc certa regula dari potest cum non omnes æque exiccationem timeant, sed tamen exiccatio immodica omnibus nocet, igitur uentriculus roboretur cum illis quæ concoctionem adiuuare possunt, atq; reliqua membra, ut cor, iecur, cerebrum recreare modeste calore & suaue odore ualeant. Enimuero præscriptæ omnes confectiones non tantum uentriculi uirtutem instaurant, & augent, uerumetiam sanguinem, & spiritum clarificāt, atq; ad temperamentum iusticiale (ut aiunt medici) dirigunt, unde operationes omnes incolumes sequūtur, atq; adeo prosunt, ut non solum animi illaritatem inducant, uerum etiam cogitationis, & discursui plurimum opitulentur, senusq; omnes adaugeant, & iuueniles reddant: fitq; ex eorum usu alimenti ad membra proba distributio, & assimilatio. Præterea mirabulanos conditas præstantissimi medici laudant, ut sunt embleces, & chebulæ quæ (ut scripsit diuus Mesue) homines reiuuenescere faciunt. Ego uero in ualde senibus, & decrepitis consumptis eorum usum non laudo, quippe qui in senibus modicam caliditatem habentibus, nec uentriculum calfaciunt, nec humorem pituitosum in eo regulare ualent, & quāquam extraneas humiditates exiccent, non tamen calorem imbecillem augere possunt, quo senes egent. Quare unà cum dictis mirabulanis zinziber, conditum comedere operæpretium est, ut ex huiusmodi additione, & calorem augere ualeant, & uentriculum, & cor, & æpar, & cerebrum, roborare posint, sicq; ad omnes operationes ualidiores erunt. Neq; mihi uisum est aliquam de aceto scilitico considerationem silentio prætereundam, quippe cum crassos, lentos, & pituitosos humores, quibus senes abundant, incidere, & attenuare ualeat: atq; uentriculi calorem augeat, ut facilius eos ad intestina pellat. Quare eius usum plurimū & Galenus, & alii præstantissimi antiqui laudauere. Porrò præterquam quod lētos

humores attenuat, membra à putredine, seruat, stomachum roborrat, & senectutem retardat. Sumatur igitur mane ante cibum duo cocleria. Sunt præterea, & aliæ confectiones nobiles ab illustribus medicis antiquis laudatæ, tum ad uentriculi instaurationem, tum ad sanguinis, & spiritus recreationem, tum etiam ad cordis, iocinoris, cerebri`q;, firmitatem, & robur, ac etiam ad omnium uirtutum, tam uitalis, quam naturalis, quam animalis fortitudinem, ut est confectio philosophorum, quam scripsit Auicenna, quinto canonis, & uocat eam medicinam uitæ: uirtutes eius sunt uentriculum roborare, & digestionem, in eo optimam perficere, atq; animum illarem, & iocundum reddere, sensusq; omnes incolumes cōseruare, scripsit quoq; Petrus aponensis in suo conciliatore, differentia. cxcvi. confectionem ualde nobilem, ad senum humiditatis, & caloris recreationem, qua nobiles, & principes plurimi utūtur. Laudant postremo neoterici in regimine cibi mirum immodum aquam carnis in duplici uasæ factam, uel (ut aiunt alchimistè) in balneo marie, & hoc quoniam plurimum natiuum humidum instaurat, uētriculi, & iocinoris uirtutes in senibus, & debilibus, ut conualescentes, & etiam qui tenētur à pestifero aliquo morbo, plurimum uirtutem resoluente, prodest quidem, si cum reliquis ferculis commixta fuerit, quantitas unius uel duarum unciarum. Mitto Plurima, quæ suo odore membra primaria roborant. Cum iam pro parte de iis supra dixerim, ut composita ex aromatibus, sed muscus, & ambra plurimum laudantur, si odorentur, neq; ommittenda sunt, sufumigia ex ligno aloes, storaze, & belzui, quam ueram mirram, non pauci uiri docti, & experientia predicti esse credunt, eo quod membra principia mirificè sua odorifera inspiratione recreant. Ad hanc eamdem intentionem sunt mixturæ diuersæ quas unguentarii pro delitiis nobolium, & diuitum præparant, quibus cum, & manus, & capillos liniunt, & indusium, ac etiam sudarium suffumigant, uel in manibus gestant, ut sunt ex dictis composita, quorum modos compositionum breuitati studens minime hic describere statui, cum plurimæ à me scriptæ sint in eo quem de febre pestilentiali conscripsi libello, atq; cum uulgares sint, & semper in promptu apud unguentarios habeantur.

Hi

Hi sunt Clarissimæ, ac doctissimæ senator, canones de tuẽda ualetudine, atq; tardanda senectute, & uita proroganda, quos tuus Nicolaus Massa, ad te scribere decreuit, qui tantum amplitudini tuæ debet, quantum, uel difficilimum persolue-re esset, si etiã nestoreos annos uiueré. Quos ut hyllari uultu suscipias præcor ac quæso, ille summus omnium rerũ creator, qui sua ineffabili bonitate, omnia, sua fælicitate fœcũdat, diu ĩ hac sapiẽtũ psperitate (ut dicebat in gorgias Plato) te obsecũdet, & apud nos, in uita lætus, prorogare dignetur, qui ue re ad gloriam patriæ natus es, & qui bonarum litteterarũ cultores semper complecteris. Vale. Venetiis. M. D. XXXXVII.

AD EXCELLENTISSIMVM, DOMINVM Paulum Magnolum, e' burno, Brixiensem, Epistola. IIII. De prandio, & cœna, ad ingenuam ueritatem, in qua, multa de cibandi ratione traduntur.



VM Illustrissimo Domino Vladislao, in consilio meo iniunxissem, ut minorem cibi quantitatem, horis uespertinis, quam matutinis sumeret, modeste' obiecisti in sermone nostro, Doctissime Paule, quod aliter quidã, tum scripserunt, tũ uoce faciendum affirmarunt, hanc etiam Galeni sententiam esse dicentes. Quam quæstionem, cum minime potuissemus illa die perficere, pollicitus sum, ad te, de prãdio, & cœna meã rationalem, quam quotidie experimur, scribere sententiam, uidelicet, quid causæ sit cur aliquado maiorem (sed raro,) ut plurimum autem minorem cœnam', prãdio, sapientes medici debere esse crediderunt. Non autem ut quidam eorum, qui se Galenicos profitentur, uerum perpetuo habendum copiose cœnare esse saluberius, id quod nec perpetuum, nec rationale (ut ipsi aiũt) ex Galeni sententiis, & ipsa ratione constabit. Qua de re, ne te longiori proœmio detineam, rem ipsam sic exordiri incipiam. Illud autem in primis dicunt, qui in hac opinione usq; adeo insanierunt, ut pro opinione sua certare, non pro ueritate dicere uideantur, hominibus sine discrimine aliquarum rerum, siue

sani,siue ægri fuerint, lautisſime cœnare,& parum, aut nihil prandere. Quam illi opinionem suam probare conantur, sententiis extortis, auctoritatibus non solum Galeni, uerum etiã Hyppocratis, Auicennæ, & aliorum illustrium antiquorum, quarum omnium rememoratio auctoritatum, cum tædio, & confusſione, cuiusuis animus foret offensura iudicaui: ad clariorem intelligentiã tamẽ, tantũ, quædam quæ uerisimile aliquid habent recensere reliquis prætermisſis. Satis autem facere nihil uisum erit, breuitati studenti, si non (ut ipsi faciũt) aut coacta ratione, aut authoritate mala accepta, sed rationibus euidentibus respondero, & auctoritates ex ueritate exposuero. Primum autem, nemo sapientum medicorum hoc primum negant principium, consuetudinem scilicet esse alteram naturam, cum illud sæpisſime probauerit Aristoteles, & eius fidelis interpres Auerois præsertim, primo phisicorum, septuagesimo primo commento. Et in proœmio tertii eiusdẽ, & secundo methaphisicæ, ac aliis non paucis in locis. Igitur hoc primum iactum fundamentum ruit, scilicet omnibus conuenire largiorem cœnam, multi enim qui sunt assueti, aut non cœnare, aut largius in prandio comedere, in cœna autem parum, non conuenit cœna largior. Præterea est & aliud principium, ab omnibus sapientibus concessum, scilicet, experientiam esse rerum magistram, quoniam (ut dixit Aristotiles) experientia efficit artem. Quare cum multi melius habere experiantur, si parum aut nihil cœnent, etiam si parum in prandio cibi sumpserint, quam si econtra egissent. Igitur non est uera positio illa sine exceptione. Sunt enim priuata, propriaq; hominum, naturæ, ætates, temperaturæ, tempora, regiones, mores, exercitia, casus occurrentes in uita, & multa alia huiusmodi, in quibus non erit illa sententia planè uera, citra exceptionem ullam. Vt autem quibusdam dictis respondeam: cœnam maiorem prandio laudãt. In affectibus capitis: & oculis etiam maiorem cœnã cõducere affirmãt. Istis quid igiť quæso doctisſime Paule medici dicere possunt? cum prima intentio methodi curandi sit ad remouẽdũ causam morbi, uel id quod morbi causam, & ipsum morbum augere posſit, sed copiose cœnare, tam in capitis quã in oculorum morbis, morbum, & causam morbi auget, cum ex plurima cœna, plurima fiat euaporatio ad caput, quæ & uirtu/

tem molestat, & morbum auget. Neq; uideo quomodo possint dictum suum tueri, dicendo maiorem esse utilitatem in digerendo, quam nocumentum in euaporando. quod dictum si absolute accipiunt, proculdubio falsum est, sed si ad aliquã singularem dispositionem applicare uoluerint, uerum esse aliquãdo inuenient, cum facilius possit idem calor, dormiendo minorem quantitatem cibi concoquere, quam maiorem, si similiter absolute calor consideretur naturalis. Vide quæso, qualis sit positio, quæ neq; sensui, neq; rationi consentanea est. Nonnæ cæteris paribus melius dormiendo, minorem quantitatem cibi uirtus concoquet, quam maiorem? Et ideo male interpretãtur Galenum, quinto simplicium mendicamentorum, comparando uapores ad spiritum, qui est instrumentum anime. Melius autem dixissent, si cognouissent quomodo natura adiuuatur, ut est exemplum Galeni in eodem libro, scilicet de illis qui amplectuntur pueros, uel catulos noctu, ut calor uentriculi à calore pueri auctus, melius concoquere ingestum cibum possit: cum nulla res sit, quæ calorem uẽtriculi melius augere possit, quam calor illæ occurrẽs stomacho: non hora illa uespertina, quam ipsi rebus omnibus ad concoctionem anteponunt. Neq; uideo quomodo non laudemus messores, qui maius prandium assumere consueuerunt, cum præsertim ab incunabulis sic assueti sint, ut etiam labores indeficientes, requirere uideantur. Porrò illis maxima fit humidi resolutio, quibus & continuus, & maximus fit labor, ut agricolis ipsis cõtingit. Igitur ne corpus exiccetur, per diei maximam ex labore, & æstu resolutionem, necessariũ est animaduertere resolutionem illã, & copiose prandere. At in cœna nõ ita necessarium, cum non ex cibo solum, sed ex somno uirtus (ut dixit Auicenna) instauretur, cum quiescat, neq; motus aliquis amplius dissoluat calorẽ, iam per laborem ad ultimum diei continuum, imbecillem factum. Præterea imbecillis calor redditus, uespertinis horis nõ posset multam quantitatem regulare, mane autem, & in prandio, ex nocturna quiete ualidior factus recens, atq; fortis, optime concoquere potest, quod oblatum est. Neq; autem obstat labor, qui prandium consequitur ut resoluat, cum sint à teneris annis plurimum, & comedere, & laborare assueti. Neq; potest quis in cõtrarium, Galenũ secundo de tuenda ualetudine,

adducere dicentem, tutella sanitatis auspicandam a' labore, quē cibus debet excipere, cum longe' sit sentētia Galeni ab ista spe culatione aliena: qui Galenus hoc, q̄ ipsi dicūt, neq; eo in loco dicere uoluit, neq; unquam per somnum credidisset. Quod po teris ex sententia eminentissimi Auicēnæ confirmare, qui ter/ tia primi, doctrina secunda, capite tertio, non solum (ut recen tiores multi faciunt, qui tantum uerba accipiunt, & accepta scribūt,) sed quæ ipse a' Galeno accepit suo acerrimo iudicio, & numquam satis laudata doctrina moderatus est, neq; credē/ dum est, ut qui assueti sunt ualidis laboribus, multis abundent humiditatibus: tametsi multum interdiu comedāt, idq; de mo/ re, cum eas labor absumat: sed abundant potius, qui fruuntur ocio, id quod etiam diuinus Hippocrates: in libello de uictus ra tione innuit, cū dixit, comedētes ualere minime posse si carue/ rint laboribus, & Galenus secūdæ particulæ aph. Aphorismo. xvi. cum dixit non conuenire laborantibus laborem, nisi prius comederint, & eo' magis hoc fieri debet, ubi sic assueti sunt. In hanc sententiam faciunt ea, quæ Hyppocrates, in secundo de ratione uictus de mutanda consuetudine sensit. Te quæso do/ ctissime magnole ob tuum in me amorem, ut seriem diuini Hyppocratis (quam te credo sæpe legisse) iterum mea gratia legere ne pigeat, ut intelligas quonam pacto moderni quidam non solum lacerant (ut ita dicam) uestes regias ipsius medici/ næ, uerum, & aliarum scientiarum, & membra principalia, ut cor ipsum, aliquando latronum more euellere uideantur, dum ista negant, at etiam dicentes illud, solis aduentum ad nos non prodesse uirtutibus omnibus, præsertim naturali, quod tamē non uerum est de diurno aduentu ad nos solis, sed etiam de an/ nuo reddítu, cum uires augeant, & uer, & æstas ipsa, testanti/ bus sapientibus Aristotile una' cum fidelissimo interpræte, ac etiam Hyppocrate, & Galeno, quorum cum sint notissima ne nimis protrahatur oratio hic scribere minime constitui. Me/ministi illius Hyppocratis sententiæ. Ventres hyeme, & uere calidiores, non magis autem ex caloris concentratione qua'm etiam ex aduentu solis ad nos, roborantis calorem animantis: ita ut perhyemem, ultima pars intelligatur, quæ est propin/ qua ueri, ut si superius frigus ad intima coegerit calorem, ad/ ueniens sol, adhuc confert magis, sicut rebus calidis exterius

appli

applicatis corroboratur:quanquam ſcio iſtos extorquere ſen/tentiam aphoriſticam in aliam etiam expoſitionis partem. Quod etiam ad partem temporis, & approximationem ſolis ad nos rationem conuertamus,non habent ubi fugiāt locum. Sed obiiciant,quod Galenus in commento dixit caloris ad in/trinſecas partes reuocationem ad concoctioné ualere: non ne hoc & faciunt rationi noſtræ?matutinis enim horis, ex frigo/re nocturno ad intrinſeca membra coactus calor firmior eſt, quam ueſperi ubi iam ſparſus fuerit.Extrinſecæ enim.uel cali/ditatis uel frigiditatis in caloré noſtrum,uidetˀ hæc eſſe actio: ut mediocris proſſit:nimius obſit.Moderatum extrinſecus fri gus adunat,& coroborat, nimium extinguit. Calor item non ualentior auget:contrarius reſoluit.Quare mane,& à nocturno frigore corroboratus,& à ueniēte primo calore auctus po/tentior erit ad concoctionem:ueſperi reſolutus à diurno calo re,neq; dum recreatus,aut à nocturno, & moderato frigore, aut ſpirituum renouatione quod fiet multo poſt,iam erit infir mior.Enimuero pudet me ad omnia reſpondere, cum friuola & nullius feré conſilii ab ipſis dicta ſint.Qui etiam rationibus reſpondere non ualent,contumeliis ſæpisſimè mortuos proſe quuntur,utinam auté ita & docti& experti eſſent moderni me dici ſicut erant illi qui ante nos fuerunt, & quæſtiones, & du/bia antiquorum declarauerunt,& inſcriptis ræliquerunt. Dii boni quanta fuit diligentia, quantus labor, qualis (ut ita dicam) caritas antiquorum?Et tamen quidam ita inſulti ſunt, ut audeant eos parum eruditos fuiſſe dicere. Sed unde cæpit oratio redeo. Dicunt qui cœnam maiorem prandio eſſe debe/re affirmant, eo in tempore maiorem quantitatem cibi aſſu/mere oportere,in quo calor ualidior,& fortior exiſtit. Sed ca/lor fortior eſt horis illis ueſpertinis,ut poté conuerſus ad inte riora,pro ſomnum,& ambientis aeris refrigeratione.Ergo ho ris ueſpertinis,quæ ſunt horæ cœnæ maiorem cibi quantita/tem dare conueniet quam rationem conantur cōprobare au/ctoritate Galeni quarto de ſymptomatū cauſis.Vide (quæſo) quàm facilè ſit decipi à uerisſimile ratione,ut aliquando inter nos auctoritate Platonis in phedone dicere ſolemus,nam ſi ra/tionem eorum apparentem,aliquid omnino pro iſtis uidetur affirmare.Cum etiam uerba Doctisſimi Galeni idé affirment.

Sed distinguamus, ut sapientes faciunt, inter principium quod est uia ad augēdū calorē animantis, quod fit per somnū ex refrigeratione ambientis, & inter tempus in quo iam calor auctus est, facta spirituum instauratione, & est cum iam satis homo dormierit. Vespertinis enim horis calor ex diei labore, & expansione ad exteriora mēbra, resolutus, & imbecillis est: teste sensu cuiusq;, & Aristotile, ac Auerroe in libello de somno, & uigilia. Et ideo natura instaurationem ipsis per somnum procurauit, qui quietis species est, multiplicādo spiritus nocte, cum aeris etiam refrigeratio coadiuuare uideatur. Sed naturæ opera non fiunt nisi in tempore, non ergo erit ista spirituum instauratio & iste fortior calor nisi postquā ex toto reuocatus calor intro fuerit materiāq; sanguinis in spirituū substantiam mutauerit. Hæc autem naturæ operatio fit in tempore. Dicebat enim Hippocrates in libello quarto quem de morbis scripsit, quamquam Galenus in comentariis. VI. de morbis uulgaribus, an fuerit ipsius dubitauit, qcqd sit nō inisi a uiro docto scriptus liber ille fuit, inqt nāq; cibaria ingesta detineri a stomacho, neq; eodē die, nutrire sed tribus post diebus, ita ut non statim corpus nutriatur; quo'd apparet, nam si cito egrederētur e uentriculo sumpti cibi, macilenti, & non robusti, fiunt homines: (sicq; ille dixit de cibariis,) ita ut diebus post tribus. euacuentur excrementa cibi: quod tunc fortes, & ualidi fiunt homines. Horis autem illis uispertinis, quibus cœnare solemus, calor et si incipiet paulo post reuocari, non tamen adhuc ex toto intrinsecus est, quo'd indicāt, qui ad multam noctem calore auguntur, carnibus exterioribus accensis, quæ sicuti cucurbitulæ, attrahūt, cum sint ita inflammatæ neq; calorem naturalem ad interiora concedere patiantur, neq; adhuc spiritus. prima nocte instaurati sunt, ut tum ualidiores melius concoquant. Quo'd si etiam calor subito reuocaretur, antequam instauraret deperditum spiritum, plurimum temporis spacium transire oportet, ut uidistis Hyppocratem dicentem, ita ut laboret per id tempus. Quare non erit uesperi ualidus ad concoquendū. Sed ex Aristotelis sententia primis illis horis principaliter, & præcipue in instauratione spirituum. nam & cibaria primo coquuntur ultimum intentum est spirituum instauratio, quare primo i digestione præsentis ingesti cibi uirtus sto-

machi siue uetriculi adiuta a' cōcētratione occupaſ, ſucceſsi ue aliæ, ut tādē ſpiritus inſtaurenſ, qua ſpirituū poſtea inſtau ratione facta, omnes corporis partes, omneſq; uirtutes ualidio res exiſtunt. Hoc autem non eſt, niſi poſtquam animalia per notabile tempus dormierint, & iſtæ ſunt horæ matutinæ, niſi quis forte mutaret horas, ita ut uigilaret noctæ, diæ uero' ſe exercitaret, ut omnes in nobis metipſis experimur, cum omnes uirtutes, tam uitales, qua'm animales, & etiā naturales fortiores ſint, id quod de naturalibus facile' perſuaderi poteſt, cū excrementa omnia tum uentris, tum urinæ, tum ſputorum, & huiuſmodi facilius horis matutinis euacuentur: Quæ euacuatio opus eſt ultimæ uirtutis ex naturalibus poſt omnes alias. Sine qua neq; nutritio bene' perficeretur, ita ut ſanum indiuiduum degere poſſet, niſi ſcilicet ſuperfluitates expellerētur, & hoc placuit Galeno de tuenda ualetudine, cum dixit, eo in tempore corpora excitari conducere, cum ſint ab excremētis emundata. Non propter hoc autem dixit ipſe laborem impedire cōcoctionē, præſertim in aſſuetis (ut dicebamus.) Hoc idem in animalibus, tam intrinſecis, quā extrinſecis apparet; cum etiam operationes animæ, & diſcurſus perfectiores ſint horis matutinis, quæ teſtātur ſtudentes omnes, & qui diſcurrendo res arduas tractant: idem experiuntur, qui corporeis laboribus ad uictum acquirendum utuntur, & etiam non pauca animalia, ut ſunt æqui, & boues. Vitalis etiam uirtus, iſtis horis, & ipſa longe ualidior eſſe uidetur, cum pulſus a' medicis non parum melior iſtis horis apprehendatur. Igitur uelimus nolimus ex rationibus adductis, quæ ſunt illorum, qui dicunt maiorem cœnam conuenire, (male accipientes tēpus, in quo uirtus eſt fortior), dicere ooprtet, matutinis horis maiorem quantitatem cibi conuenire, cum ualidior ſit uirtus mane, quā ueſperi. Sed cum dicūt Galenum, loco citato, dixiſſe uirtutem naturālem ualidiorem eſſe homine dormiente, hoc uerum eſt quo d ſit ualidior paulatim, ut mane ſit facta, & maxime per ulteriorem ſuam operationem, quæ eſt ſanguificatio, & diſtributio alimenti ad membra, & ſuperfluitatum ſequeſtratio, cum ſcilicet ſanguis ex ſuperiorum concoctione ciborum præparatus, a' membris omnibus attrahitur, & (præſertim in medicorum uia) a' corde pro conſeruatione uitæ in ſpiritum cō-

uertitur,quod est instrumentum animæ: ita ut anima ad omnes opationes ipso utaſ,tunc enim melius operaſ in omnibus, quam cum est resoluta horis uespertinis, (ut dixi.) Quod autem dixit Galenus. Naturalem uirtutem fortius agere in dormientibus,illud intelligēdum est, in illa prima præparatione: quod etiam confirmat authoritas Galeni de itroductione pulsuũ, ubi dixit laborare uirtutem in somno, ut cibum concoquat,& præparet, ut in sanguinem conuertat, & deniq; spiritum pro cordis uirtutem. Sed in illo primo congressu pulsus non ita ualide' pulsat sed debiliter, & tarde, & hoc quoniam tunc non instaurat spiritum, sed ad uentriculum conuersus calor cibum præparat,ut ad sanguinis cōuersionē sit præparatus, & postea cum iam spiritus successiue' multiplicatur,fortior fit. Vide igitur quo'd horis illis uirtus debilior est, & ideo laborat in instaurando, & dimittens exteriora opera, instaurationi tantum intenta est,sed istauratis uirtutibus quo'd est mane post complestum somnum non solum digerere potest,uerum etiam,& extrinseca munia exercere.Neq;(ut'dixi) decipi oportet in apparenti ratione,cum eminentissimi authores non dicant uirtutes naturales ualentiores simpliciter esse in somno: sed intelligendum est quod cibi, qui præparandi sunt,in stomacho per al quam lōgiorem moram, & quietem, in somno retracto calore ad interiora, & præsertim ad stomachum melius præparantur, ut per successiuam digestionem per alia membra,ut æpar,& cor,in sanguinem,& spiritum cōuertantur,quæ tota naturæ operatio non fit nisi tempore longiori:ut puta,si cibi prima digestio completa, quæ in stomacho non perficitur, in plurimis, nisi octo horarum spacio,per quam chylus ille tantum efficitur, qui non ita remotus est a' substantia ciborum: & chylus in sanguinem etiam non mutatur nisi in maiori tempore, similiter,& sanguinis mutatio in spiritũ non fit nisi postquam uirtus i iam dictos laborauit in præparando. Quare non est,ut dicamus, uirtutes naturales omnes in somno esse fortiores. sed illud quod plus ad uirtutes facit,cum sit non ex prima digestione, sed posterioribus hoc erit horis illis matutinis (ut dictum fuit) in quibus cibum maiorem sumere melius esse diximus, quo etiam tempore iam uacuus est uentriculus a' cibariis assumptis,& iam excremen-

ta

ta ad intestina, & exterius pulsa. Vide igitur quomodo fallun tur in uerisimili ratione, accipientes principium, in quo uirtus ad interiora confugit, pro tempore illo ultimo somni, in quo iã uirtute instaurata meliores fieri possunt cõcoctiones: ut postea instaurato calore uétriculus, & alia naturalia membra maiorem cibi quantitatem, & sustinere, & digerere posint. Præterea quantum posit exercitium moderatum, ubi digestiua debilis est, scis: quoniam te legisse ea etiam quæ Galenus de exercitio scripsit, in secundo de tuenda ualetudine, & etiam in libello de ludo paruæ pilæ, cum augeat calorem: præterea Galenus in commento Aphorismorum apho. quadragesimo nono, particulæ secundæ, illos assuetos ferre labores, laudauit assueta exercitia, etiam si fortia sint, quoniam dimissio exercitii in assuetis imbecillem reddit uirtutem, & præsertim digestiuam. ob has etiam causas, cum & mane labor antecesserit postea subsequatur prandium melius concoquitur quàm cœna, & consequenter amplius sumendum est, ut melius etiam digerent cibum, qui assueti sunt laboribus, etiam si statim exercitẽtur, quàm si quiescant: tam et si forte sit exercitium illud. Postremo quod te animaduertere uolo est, quòd etsi minus (ut plurimum) sit tempus inter prandium, & cœnam, quam à cœna ad ipsum prandium, non propterea dicẽdum est, (ut ipsi affirmãt) maiorem cœnam conducere, cum tempus maius, maiorem etiam cibi ingesti quantitatem cõcoquere posit. Nam, & hæc ratio etiam apparens eos fefellerit, non enim horarum numerus simpliciter, sed uirtutis actio concoquit: quæ cum fortior sit mane (ut ante probauimus) eo tempore oblatum cibum per somnum melius conficiet, id quod uerum esse testãtur, qui ꝑ diẽ ter, aut quater cõmedũt, & cõcoqunt, quòd noctu non accidit, quod accideret, si tam bene cõcoqueret in nocte, etenim nõ plurimũ appetunt in nocte etiam si longissima sit, dum iacent sed per diem secus est. Adde etiam illud, scilicet dꝑditorũ spirituũ, recreationẽ, & comsumptarũ humiditatum instaurationẽ factam mane, adde etiam excrementorũm sequestrationem. Quòd cum ita sit, si quis plurimum cibi in cœna offerre uoluerit, onerabit ita uirtutem, ut soli cibo intentam esse oporteat relictis muneribus aliis omnibus. Quod apparet in iis qui plurimum cœnarunt, & mane in ua-

lidisſimi ſunt, quod digerere non poſſunt, cum munera iſta neceſſaria nõ obierit, priori concoctione calor occupatus. Aut ſi illis etiam ſatisfacere uelit, imperfecte utrũq; faciet, quare ob hanc etiam cauſam melius eſt, parcius cœnare, ne per ſomnum uirtus impediatur à iã dictis laudabilibus operationibus. Habes doctisſime ex dictis, quod cum posſit, & prandium, & cœna maior concedi diuerſis conſideratis, ſcilicet, conſuetudine ætate, tempore, regione, & aliis, quæ tum in ſanitate, tum etiam in morbis obſeruari conſueuere, ita ut aliquando maius prandium, & aliquando cœnam hominibus conſulamus, tamẽ nulla re alia cogente, libero noſtro iudicio, aut etiam ſi aliquãdo res dubia ſit, aliquibus in caſibus, tamen melius ex dictis ſuperius eſt plus matutinis horis cibi accipere, quam in cœna, quoniam ſic propinantes, & rationibus, & auctoritatibus antiquorum minime contrariamur. Quod ſi quis huius quæſtionis authorem, & pulcherrimas rationes intelligere deſiderat, non eũ pigebit, quæſtiõnem Petri Aponẽſis uiri doctiſſimi in ſuo cõciliatore, hac de re habitam legere. Vale. Venetiis. M. D. X LIIII. Pridie Kalendas aprilis.

AD EXCELLENTISSIMVM, DOMINVM Antonium Fracanzanum Pataui medicinam publicæ profitentem, De re anotomica. Epiſtola. V.



ESCIO quo facto Doctisſime Fracanzane, aut qua cauſa quidam ſuadent me, ut in ſtudioſorum gratiam errata modernorum anatomiſtarum literis mandare uelim, id quæ me facturum, & te ſcire affirmant. Quibus equidem, minime mihi uiro ſeni conuenire, & illi qui primũ poſt Galenum ueram diſciplinam diſſecandi corpora (& membra omnia oſtendere) doctis hominibus, ac eorũ uſus cognoſcere docui, reſpõdi. Præſertim cum nulla rationalis cauſa me ad id faciẽdum impellat. Inſtant tamen ut præter ſtudentium utilitatem etiam in tui honorem, qui rem hanc non ſolum deſideras. Sed Maſſam etiã amore, ac beneuolentia ſemper fueris proſequutus, hoc facere

uelim. Ne igitur rusticus, at saltē parē gratiam habere uidear, & tibi cui debeo, & studiosis etiā aliqua ex parte satisfaciam. Si non quæ petunt saltē quæ in colloquio cū iis de rebus anatomicis dicta fuere, ad te scribere uolui. Et ut ex ordine procedam (dum ista peterent,) & me repugnantem ex multis uidissent. Quid de ingēti uolumine sentirem, primum interrogare ceperunt: quibus sic orsus respondi. Ego qui plurimis negotiis in uiscendis ægris detentus, uolumina ingentia minime legere possum, sed (ut uerius dicam) ne libare quidem, Plurimos tamen audiui, qui ingentiu applausus opus laudant. Quod equidem etiam non possum non laudare. Dii boni maximus certe fuit labor in congerendo, quod non nisi & uigiliis, & studiis, & exercitatione perfici potuit. Bona uerba inquiunt: sed nūquid omnia à se ipsis dicant, uel ab aliis accepta referant, & etiam quæ in antiquorum contemptu errata ostendūt, uera sint nec ne scire à te cupimus, nam sæpissime Galenum, Aristotilem, & modernos repræhendunt, redarguunt, increpant, & calumniis prosequuntur. Quibus sic in honorem eminentissimorum antiquorum, & præsertim Aristotelis, & Galeni, benigne respondi, attestante Auerroi ex processu commenti. xxxvi. tertii de anima, neminem posse per se tam operatiuas, quam speculatiuas artes perfecte complere: nisi per priora scita, quibus scitis querentes rei perfectionem addunt. Sic & Aristotiles ab antiquis accepta addendo compleuit, & Galenus similiter ab Hypocrate primo, deinde ab aliis antiquis tum rationalibus tum empiricis acceptam medicinam, mira ac incomparabili doctrina, & eloquentia roborauit. Quam Auicenna arabs eius fidelissimus interpres, & si non linguæ elegātia ordine tamen ac mirabili eruditione compendiose relinquēs nihil intactum compleuit. Similiter etiam moderni anotomici nostris temporibus fecerunt. Etenim cum multa ab Aristotile, & Galeno, & aliis recentioribus, ac etiam à nostris anatomicis à me scriptis, & multis iam antea annis impræssis accepissent, ac imitassent, pro suis (nihil illis, nec mihi referentes) usurparunt, sed quod peius est calumniis, & cōtumeliis (ut dicitis) Aristotilē, Galenum, & alios à quibus acceperunt gratis prosequuntur, atq; furatis multa addiderunt, quæ testor deum digna omni laude sunt, ut pote quæ non nisi maximo studio comparatà

fuere. Sed quæ in eminentissimorum antiquorum, & mundi lumina contemptu contumeliter, & cachinanter dictasunt nũquam laudare potui; cùm ut sua extollerent, sapiẽtes antiquos male interpretentur.. Sæpissime etiam ut audio mentientes, cum multa addiderint quæ, nec Aristotiles, nec Galenus somniauerint, non dicam scripserint. Missa hæc illis feci dicens, ut aiebat Cicero ueritatem, id in se habere, ut per sese sola a' maledicis tueatur. Qui ubi hoc primum ipsis exposuissem, optime credis dicunt, sicq; & nobis uidebatur. sed & ad reliqua respondere præcamur. Ego qui (ut dixi) non potui nec homines audire, nec scripta legere, non possum ad petita satisfacere in qui. Dicũt si libet a' nobis audire, libenter ea tibi exponemus, sed tuam sententiam semper in omnibus desideramus. Dicite docti iuuenes post quam in præsentia mihi ocium est, ut possim uobiscum loqui respondeo. Errata, dicunt an uera sint scire desideramus, sed ea singulariter tibi narrabimus, & primum nunquid Galenus hominum cadauera secuerit unquam, & fideliter anatomiam scripserit, uel ab aliis antiquis p perام intelligens, male etiam scribendo nobis declarauerit: in hũc errorem uidetur ex eorum sententia incidisse, etiam Aristotiles. Ad hæc illis sic respondi manifestum esse, Galenũ quidem & Aristotilem corpora brutorum animãtium quamplurima ex suis scriptis secuisse, & etiã hominũ cadauera, ac de eorũ cognitione illis fideliter scripsisse, quã quidẽ ueritatẽ illis facile' persuasi, uerba Galeni, & sententias in quam plurimis libris scriptas narrando. Nam primo de anatomicis aggresionibus circa prĩcipium sic scripsit. Primum simiarum ossa cognoscere oportet, ut postea in cadauere humano facilius ea cognoscere posses, non enim ex sola lectione rei anatomicæ cognitionem habere poteris, nec ex simiarum inspectione, sed etiam hominis. Quod autem, & hominis ossa, & reliqua membra uiderit, testantur etiam, ea quæ in libello de ossibus scripsit, & primo de aggresionibus anatomicis Alexãdriæ uidisse affirmat, ac etiam ea uerba quæ paulo post in hanc sententiam sequuntur. Simiæ sunt similimæ homini, differunt tamen in multis, nam & femoris caput obliquius quodammodo, cum acetabulo coxæ committitur, & qdã etiã musculi, qui in coxa descẽdũt. Consuluit quoq; tertio eiusdẽ prius secãdo in simiis exercitari,

ut

ut audacius postea cadauera hominum aggredi possit. Quarto denique eiusdem de anotomicis aggressionibus simiam dixit non habere manum similimá homini; cum mutilum magnum habeat digitum. Quare admonet uidere manuum anatomiam in solis hominibus. Videtis igitur ex dictis Galenum non ex brutorum tantum, sed etiam ex hominum membrorum inspectione anatomiam scripsisse, qui non solum uidere uoluit membra brutorum, & hominum uerum etiam ea inter se comparare. Etenim secundo eiusdem reprehédens illos, qui non ab hominibus, sed à brutis membra discere uolebant boues secantes, inquit enim linguam bouis maxime dissimilem esse hominis linguæ. Quomodo (quæso) potuit Galenus alioqui uir diligens, doctus, & in comparabilis iudicii, dixisse differétias membrorum hominis, & brutorum nisi uidisset utraq;? At dicent, ista ab aliis accepta exemplariter ponit Galenus, nõ quod ipse hominum cadauera secuisset. Sed (quæso) audite ipsum Galenum sexto de usu partium paulo post principium, qui ita scribit. Cæterũ de numero lumborum pulmonis aliorum cuiusq; animantium definire non est propositum, neq; enim alterius cuiusq; instrumentis ipsorum constructionem attingimus, nisi forte in homine exponendo conuicti fuimus. traductũ, quòd si morte præuenti non erimus, illorũ etiam cõstructionem membratim quomodo nunc hominum dissecantes, aliquo tempore explicabimus. Hæc Galenus, ex quibus uidetis q; ipse corpora humana secabat, cum de hominum membris sermonem haberet, promittens etiam se brutorum membra describere si superuixerit, quòd potestis cõprobare ex uerbis undecimi eiusdem de usu partium circa finem, ubi causam reddit cur homines rectè, & reliqua non pauca bruta prona incedant, ibi reddens causam dixit esse quoniam homo diuersam habet, & spinæ, & musculorũ ipsius formationem à brutorũ spina, & musculis. Similiter quarto de usu partium comparat uentriculum hominis, tam ad figuram, quàm ad substantiam aliorum animantium uentriculi. Rectè doces (dixerunt) ac ueritatem illustras, sic & nos credebamus, tametsi minime loca Galeni animaduerteramus. Sed quid credis subiiciunt, de illis quæ Aristotiles in libello de partibus animalium scripsi? Superstitiosa respondeo inquisitio hæc est, illis qui ea quæ Ari-

ſtoteles de animalibus copioſe',diſticte',docte',& ſubtiliter ſcri pſit:aliquando lectitauerint. Etenim ille nihil literis mandare uoluit niſi quæ uiſa,&rationi conſentanea fuerint. Definát igi tur iſti in eminentisſimos uiros proſumere:uosq; iuuenes hor tor ac abteſtor,ut ſi in numero,tum philoſophorum,tum me/ dicorum euadere deſiderium uos tenet, Ariſtotelis librum de animalibus,ac Theophraſti de plantis attente',ac diligenter,& ſæpe legere uelitis,ea eni cõtinét,q̃ & ad theoriá,& ad praxim proculdubio in genere,neceſſaria docte' procedendo ſunt. Pla cet monitum,& obſeruabitur,ſed age inquiunt, & reliqua no/ bis declara. Quæ ſunt illa dico,aiunt multa quidem. At ego res hæc nec ex tempore,nec etiam ex præmeditatione a' me uo/ bis declarabitur,etenim innumeræ ſunt, partes corporis ani/ mantis,quo'd ſi ſingulatim omnia omnes diſcurrere uelitis,& ego uobis reſpondere uelim,annus non ſufficeret. Reſpondét illi,qui & docti,& modeſtisſimi ſunt, non omnia in præſentia ſcire cupimus, ſed quædam ueluti introductoria ad reliquas difficultates,& a' capite incipiemus,ac ſcire cupimus nũquid cerebrum habeat propriam,ac natiuam figuram ad rotundita tem tendentem a' uirtute informatiua ſic operante, ut me/ lius ad operationes animales posſit, uel potius inſequatur for/ mam osſis ipſum tegentis,quod craneum uocant. Ad hoc ego illis hæc quæſtio puerilis mihi uidetur, ſi cũ Philoſophis quis eam tractauerit enimuero quis ita rudis eſt, in naturæ operi/ bus uerſatus,quo'd hoc(ut ita dixerim) primũ fere' principiũ ingnoret, ſcilicet ex ſemine humano, & aliorum quamplurí/ morum animantium perfectorum,poſtquam in utero retine tur generari tria illa membra principia,uidelicet,cor, æpar,& cerebrum, atq; in illa prima formatione, natura fignram quandam rotundá in primis conformare, ut in Hyppocrate eſt uidere de muliere quæ conceperat, ac poſtea cum ſaltaret aborſum fecit,& etiam in prouectis, in quibus, & ſi hæc tria membra non ſecundum totum ſphærica cernuntur tamen ad rotunditatem tendunt,ut primo in corde uidere eſt, quod pi/ nealé figuram obtinuit, quæ non ſine rotunditatæ eſt, habet æpar quoq; rotundam aliquomodo figuram,non tamen a' cou tinente ſeptotranſuerſo,ſed a' uirtute informatiua, ſiue a' na/ tura dixeris non refet, ſic primo ab intelligentia non errante

directa,ut per eius substantiam,quantitatem,temperamentũ, & figuram necessarias naturales operationes secundum iustitiam proprii corporis operetur, & tametsi in parte conuexa iocinoris uentriculus collocetur, & in illa parte cauum iecur sit,non propterea formam hanc primo à contangentibus mẽbris sibi uendicat,sed à natura,quæ sic primo operatur in omnium ferè membrorum conformatione, in primis rotundam insinuans figuram, deinde secundum necessitatem operationis,& aliquando loci secundariæ,eam rotunditatem oblongã, uel latam,uel aliam opportunam configurationem configurat.Vt in renibus,stomacho,splene,intestinis,uesica,utero,testibus,ossibus,musculis,& aliorum membrorum,tam similiũ, quàm organicorum (ut dicunt medici) uidere licet:cum & si diuersas habeant figuras,& oblungas,& latas,non tamen expolientur ab aliqua rotunditate manifesta.Porrò prima figura à natura intẽta,ubi fieri potest,circularis est,& rotũda,ut doctè dixit Aristotiles secundo cœli, quare cœlum natura sphæricæ figuræ est,tamquam ex perfectissima, & nobilissima figurarũ, quam intentionem etiam in paruo cosmo seruare inquantum potest intendit:ut per huiusmodi figuram minus obnoxia sint membra malis,& maioris capacitatis, quemadmodum etiam testatus est Galenus quarto de usu partium circa principium. Sed eo unde discesit oratio reuertar. Cerebrum igitur similiter rotundam à natura habuit figuram,non tamen omnimodam sphæricam,sed quantum ad operationes iustitiæ conuenientes fuit. Hoc etiam in quam plurimis animantibus conspicimus,ut sunt,æqui,boues, canes, & cætera similia,quæ tã & si os capitis habeant oblongum nihilominus ipsa substantia cerebri ad rotunditatis figuram in eis inspicitur, & thecam,siue os quo continetur ea in parte rotundam natura ad similitudinẽ locati fabrefecit. Etenim craneum continet cerebrum, & est tutela,& armarium ipsius,post cerebri formationem factum,quod si primum cerebro conuenit figura,quæ ad rotunditatem (ex iam dictis opportunis utilitatibus) tendat ,& sit membrum nobile, & princeps,quod tutò custodiri debebat, rationale fuit nature prouide formasse arcem ad custodiam membri principis,ad figuram,& commodum ipsius membri, quam quod mẽbrum insequatur sui coopertorii figurã. Quod

si cerebrum aliqua in parte particulam ipsius cranei in sequa/ tur, ut est uidere ubi sunt nerui descendentes ad nares per duo foramina ossis basilaris, ita ut ibi ex figura foraminum ossis in cerebro appareat configuratio ex illorum foraminum non dis similem duabus papillis mamillarum, & in aliquibus aliis locis de incessu quarundam uenarum est uidere, hoc non fuit quo/ niam cerebrum propria careat figura, sed ad melius, scilicet, ut foramina obstruendo, secundum illam partem, prohiberet ne mali uapores ad cerebrum ascenderent, similiter de uenis fa/ ctum est, scilicet ex opportunitate, ut facilius nutrimentum deferatur. Etenim natura non abundat in superfluis, neq; defi/ cit in necessariis. Ná si potest unica parte multas operationes & utilitates perficere, eas utique complet, nõ tamen priorem membri operationem minuendo, nec in indiuidui detrimento alterando. Porrò ea pars cerebri, quæ à cauitate ossis formam papillarum uberum ibi recipit, ita parua est, ut nihil, si ad totá substátiá cerebri inspicere uelitis, esse uidebat: attamé cõfert, fouendo (ut dixi) cerebrum, & tenues ac molles neruos ad na/ res descendentes, quos neruos si quis neget, non diligenter in sectione corporum notasse ostendit. Ex dictis audiuisti, quo/ modo errant quidam decepti ab aliqua apparente, & non ue/ ra ratione. Nam & si cerebrum molle sit, ita quod præter pro priam figuram ad rotunditatem tendentem possit conforma/ ri etiam alia, non ob hoc dicendum est, cerebrum nullam ha/ bere propriam, sed ab aliis accipere figuram quoniam (ut dixi uobis) natura dedit os ad tutelam crebri tanquam thecam id custodiens. Placent dicunt rationes, sed & alia quæstio est, scilicet. De osse capitis, quod cranium uocant, cum ex tribus partibus constare aiunt, nunquid hoc uerum sit, & etiam nun/ quid pars ossis, quæ rara, & spõgiosa est, primũ facta fuerit, ita ut sua raritate leuius esset, & ne nimis grauaret. Quibus etiam respondi. Neminem etiam mediocriter in anatomicis uersa/ tum, trinam ossis cranei differentiam ignorare: at utilitates di uersarum partiũ, qui ita ut nunc dicebatis assignant, non re/ ctè declarant: quippe cum media pars ossis cranei spongiosa, & rara non primo fuit, ut scilicet minus craneum grauaret, sed ut nutrimentum ibi à uirtute membri attractum, per moram immutaretur à membri uirtute, siue temperamento in substá

tiam osſis. Neq; os poteſt illa quantitate mediaſtina nimis graua-
uare, cum tametſi unum eſſet ſine illa raritate non plus graua-
ret, nam pars illa ſemper nutrimento plena eſt; quare fere etiã
eodem modo ponderare uidetur, ac etiam cum craneum a ſpi
na ſecundum totum ſuſtentetur. Etenim rotundæ figuræ ab
utroq; latere depræſſe tamẽ eſt, ac ueluti olla quæ primo iacet
ſupra primum colli ſpondilum, neq; nimis grauare poteſt: ſe-
quitur tamen quod cum habeat partem medianam raram, ut
in ſe leuius ſit; adde etiam quod conſiſtunt partes cranei; per-
ſuturas neq; aliquo modo ad cerebri ſubſtantiam deſcendere
poſſunt ſed firme manent. Non ingrata hucuſque nobis decla-
ras. Sed rogamus dicunt, ut etiam quædam alia nobis aperire
non pigeat, quoniam dicunt duram membranam, quam durã
matrem uocant eſſe craneo alligatam perſuturas tantum, ac
etiam muſculos frontis non uere muſculos eſſe, ſed partem car
noſæ membranæ uniuerſum corpus ſub cute poſt pinguedi-
nem circundantis affirmant. Poſtremo etiam de oſsiculis quæ
in oſſe cranei uerſus aurem ad tympanum ſiue ad auris menin
gam ſunt, ueluti percuſſoria tympani, tam de eſſe, quam de in
uentore a te ſcire deſideramus. Ego uero uellem uobis om-
nibus ſatisfacere reſpõdeo, ſed quoniam hora iam me alio uo
cat, & meæ non ſunt partes, ut in re difficili ita ad omnia ex
tempore reſpondere uelim. Ideo ſi uobis rem non ingratam
facio, ad alium diem ræliqua declarandam relinquam. Age in-
quiunt rogamus, nam quæ præpoſita ſunt ſexcenties uidiſti,
ideo breuibus poteris nobis ſatisfacere. His uerbis mollitus
commoror, ac ad ræliqua ſic reſpondeo: duram matrem uniuer
ſo craneo alligatam ſemper uidi ligamentis ualidisſimis pro
modo membri, ſed ualidioribus, ac crasſioribus perſuturas an-
nectitur, quod ſi aliquando ſecus aliqui inuenerunt. hic nõ na
turalis ſed præter naturã affectus eſt, ut clare uidere licet in li
bello quem de modo ſecandi corpora ad iuuenum introductio
nem ſcripſi. Sed de muſculis frontis, ſi duo ſunt, non uideo cau
ſam diuerſitatis cur non muſculi uocari debeant, cum ſint car-
nei, ac neruos habeant tranſeuntes ad eorum compoſitionem
moueantq; motu uoluntario. Neq; dicere poſſum illos eſſe
membranei muſculi, ſiue paniculi carnoſi partem, tametſi hac
in parte membrana carnoſa ita una cum muſculo, ſiue muſcu-

lis frōtis sit cōmixta, ut separari minime possit, cū etiā in aliis partibus corporis hoc inspicere possumus, præsertim in labiis ubi, neq; cutis, neq; membrana carnosa, neq; musculi eā mouētes distingui possunt. At ad ossicula quæ ad tympanū, siue meningā auris ueluti malleoli percutientia sunt, dico non ut incudem, & malleum percutientia esse, sed alterum alligatur ossi, & percutit membranam, & alterum membrane alligatur, & ipsam etiam percutit, ut ego in meis anatomicis ostendi. Hæc uero ossicula anatomici, tempore Alexandri Achillini uiri in omni genere scientiarum eminentissimi (ut ex eius scriptis clarissime uidere est) inuenerunt. Quare non ab istis sunt primo inuenta, nec ostensa: cum etiam Iacobus carpensis loca istorum ossiculorum inuenire doceat. Mitto quæ à me inuenta sibi arrogant, nihil mihi referentes, ut de membrana carnosa, & musculis linguam exterius mouentibus, & alia quā plurima membra, & usus, ut in meis iam impressis anatomicis uidere licet, & uidebitis Deo dante in reliquis. His dictis missa feci: atq; illis fœlicem noctem præcatus, ad consueta munia profectus sum. Ac postquam me domum collegi ea, quæ cum doctissimis scholaribus dixeram ad te scribere decreui, ut sint testimonium meæ in te obseruantiæ. Vale uir doctissime, & me amare non desinas. Venetiis. M. D. XXXXIII. die. XX. Ianuarii.

AD EVNDEM DOMINVM ANTONIUM Fracanzanum, Epistola. VI. De re anatomica.



POSTQVAM priores, ad te literas dedi, quid mihi acciderit, libuit ad te scribere. Iuuenes illi iterum me adiuerunt, & petunt, & plurimis uerbis rogant: ut iam de anatomicis inceptum colloquium prosequi uelim. Quibus ego, per difficile est uobis satisfacere respondi, præsertim cum tempus non patiatur, ut uobiscum diutius esse possim, & etiam quoniam quæ declaranda sunt egeant præter diuersum rationalem, etiam sensata membrorum tractatione. At illi obsecramus inquam, ne pi.

geat te nobis aliqua declarare:quæ antea à te audiuimus, dum capitis anatomiam exponeres. Et quæ hæc sunt dico? Primum aiunt, postea quam de capite sermo nudius quartus fuit, & neque omnia quæ desiderabamus nobis declarare (ob temporis angustiam, permissum futi, ea ratione accessimus, ut quod superat exponeres: cum nec te interrogauimus nec tu interloquendo de illis quæ scire (præter ea quæ nobis ex posueras) desiderabamus mentionem fecisti. Et quæ sunt ea quæ tantopere desideratis? dico. At illi inquinnt nos scire desiderabamus cur est quod natura homini (ex sententia Aristotelis secundo de partibus animalium, & omnium illustrium sapientum, atque etiam ex sensata cognitione) maiorem quãtitatem cerebri dederit respectu sui corporis magnitudinis: quàm in quocũque alio animali. At ego illis quoniam homo maiorem sanguinis quantitatem habet, si ad sui corporis quantitatem spectemus, & etiã si finalẽ causam considerare uolurerimus, quoniam, cæteris animalibus in disciplinis homo præstat: Et idcirco dedit ei natura maiorem molem, quantitatem ue substantiæ cerebri. Hæc inquiunt nos minime sciebamus: cum fere omnes qui de usu partium nostri corporis scribunt de hac re nullam rationem assignet, ut propterea scire possimus qua ratione quantitas siue molis ad perfectionem disciplinæ faciat: Sed alias audiuimus te assignare rationem: quam quoniam non omnino memoriæ mandauimus ideo ut nobis iterum eam repetas rogamus. Ego uero qui doctis semper satisfacere, in illis quas possum studeo perspecta ardenti animi ad sciendum cupiditate: rẽ sic clarius manifestare cœpi. Hoc inquam factum fuit, eo quoniam operationes animales interiores hominis, quæ cum aliis communes sunt, perfectiores, & nobiliores longe melius quam in quocunque animali inspiciuntur, & existunt, & etiam quoniam cum præter cæteras omnes uirtutes, & operatinnes, quas habent animalia reliqua, rationalem uirtutem, & eius usum soli homini datum est, ut testatus est Aristotiles quinto de generatione animalium: ex quo fit ut cum intelligentiis sit homini similitudo. Etenim ratio siue itellectus est, id quo uno uno præstamus aliis animantibus, per quem ualemus coniectura, argumentamur, refellimus, differrimus, conficimus, & concludimus. Sẽsus autem, qui nobis cum cæteris animalibus

communes sunt in capite positi, non solum ad uictus necessaria, sicuti brutis datum est: uerum etiam, quoniam ad cognoscendas multas rerum differentias faciunt, ut scribitur ab Aristotile primo diuinæ scientiæ, nam sensus sunt animæ rationali interpretes, & nuntii rerum exteriorum cum fantastica uirtute sibi administrãte, ut ualeat etiam ad insensibilia, & abstracta ascendere, etenim sola hominis ratio ad cœlum usque penetrare ualet: neque aliqua alia uirtus præstantior est rationali uirtute. Nam ut dictis paulo ante hæc addam, uirtute homo multa agitat, atque celerimè discurrit, & causas rerum, & cõsecutiones uidet: multa quoque diuersa assimilat, & unita disiungit, & disiuncta coniungit, atque futura cum præsentibus copulat, & demum omnia scire contendit: cum non tantum eorum quæ in mundo inferiori sunt, causas assignet, uerumetiam quid in cœlo agat scire audeat. quibus nobilibus operationibus, Deus gloriosus, & natura eius ministra maiorem curam adhibuit dãdo homini non tantum sanguinis insignem quantitatem, & spirituum ad obeundas præfactas nobiles operationes; uerum etiam, & quantitatem, tam membri principis, quam uenarum & arteriarum in ipsis, & loci, in quo spiritus ad eas perficiendas præparentur quàm cæteris aliis animalibus. Neque hæc nobis satisfaciũt dicũt. Cũ satis obscura sint, & mutilata ab illo quod scire cupimus: & alias à te clarè audiuimus dum utilitates molis maioris cerebri publicè edocebas, quam utilitatem etiam scribere in tuo de anotomicis sectionibus promittebas. At ego iam uobis id exponere perfectè uolebam, sed prius dicam cur eam, in meo de anatomicis aggressionibus scripta nõ uenistis, etenim (ut fit) postquam de sectione cerebri scripseram, & post aliquo dies scripta à me legissem: hanc partem de utilitate quantitatis cerebri in margine addidi: quam partem impressor, uel non animaduertens, uel non intelligens præter misit, sed nunc in noua impræssione eam inuenietis, & multa alia quæ antea pulcherrima, & scitu digna in eo non erant. Respondent illi dic nobis illa quicquid impressor errauerit, uel dimiserit. Pergo libens, sic incipiens, ac repetens quæ superius dixi: substantia cerebri maior in homine est quam in quocunque alio animali quoniam homo habet maiorem quantitatem sanguinis. Et hæc est causa materialis, sed finalis est quoniam

operationes animales in in homine sunt perfectiores,ut est reminiscentia,& discursus,ad quas operationes obeundas plurima quantitas spirituum præter proprium temperamentū est necessaria.Et hæc etiam est causa finalis sanguinis quantitatis, ex quo sanguine spiritus omnes gignuntur:sed primo dico cū medicis,quo'd ex portione sanguinis qui a' corde attrahitur & in ipso fit spiritus uitalis,qui deinde per arterias ad caput deueniens ab eius uirtute seu temperamento moderatur, & in animalem conuertitur.Huic quantitati primo necessaria fuit arteriarum maior quantitas,& comprehensiua, tam secundum numerum,qua'm secundum latitudinem,&extensionem,ut inde spiritus uitalis posset a' cerebri uirtute, secundum omnes partes alterari,ac mutari, ut ad animales operationes esset aptum instrumentum. Etenim in parua cerebri quantitate, uirtus non fuisset tanta,neq; habuisset illam moderatam operationem,ut potuisset suficientem copiam spiritus probe' alterare ad animales hominis operationes perficiendas. Ex quo operetium fuit nature prouide, dare quantitatem cerebri: ut primo esset maior uirtus ad contemperandum spiritus, & etiam dedit uenas,& arterias maiores, & plures ut commode' spiritus ab ipsis contineretur. Neq; uelim ego uos credere uenas,seu arterias difusas esse per substantiam interiorem cerebri,sed in eius superficiem, siue transeuntes per membranas quaspiam, & duram matrem uocant, uel per eius uentriculos. Porro' exanguis est substantia cerebri interior, quam medularem (& male) quidam uocant. Nam cum sit unum ex membris principibus, non est ossis medula: etenim craneum habet partem inter mediam raram,in qua medula,seu substantia molior inspicitur. Et hæc sunt causæ quantitatis maioris molis cerebri in homine; Bruta autem animalia cum plurimum declinent a' temperamento,cum quædam per calidum,& alia per frigidum, & nonnulla per siccum, & multa per humidum immoderatum,minorem probi sanguinis quantitatem gignūt,& spirituum,& hac ratione nec uenarum, nec arteriarum numerum,& magnitudinēm,neq; cerebri tantam q̄titatē natura illis dedit, nō enim habēt animales uirtutes,& operationes exquisitas, & temperatas, neq; eguit illis: igitur id datum fuit quantum ad uictum, & conseruationem

ſpeciei fuit neceſſariū. Sine aliquo uniuerſali iteriore diſcurſu, & etiam exteriore labore: nam brutis in primis paratum eſt à natura alimentū, nec ſeminā̃t, nec coquunt, & induta ſunt, uel pillis, uel plumis, uel ſcamis, uel corio, uel aliquo alio indumento, quo a ſole, & ab aliis extrinſecis nocumentis tuenť, & etiā ut ab aliis, illis inſidiantibus ſe defendere ualeant. Soli homini nihil horum quæ ad uitum, & tutellam faciunt natura præparauit: Sed dedit ei animam rationalem, qua omnia intelligit, deditq; manus organa organorū quibus omnia præparare poſſit, tum ad uictū, tum ad tutellam corporis. Sicq; uidetis Deum & Naturam dei miniſtram dediſſe animali intellectiuo omnia inſtrumenta, tam intrinſeca deſeruientia intellectui, quam extrinſeca deſeruientia corpori, pro eius conſeruatione. Porro homo intellectiuum animal poſtquam diſcurſu, & ratione cognoſcit ſe plurimis egere, cum manus habeat illis omnia præparat, & ueſtimenta conficit, & domū edificat, & triticū ſeminat, & à uitibus putamina ſeccat, uinūq; poſtremo expræsſis uuis facit, cæteraq; omnia non ſolum ad uictū cū brutis cōmunia, ſed & quæ ad bene beateq; uiuendi rationem ptinent exequitur. Similiter intellectiue animæ, tū quātitatē ſanguinis, & ſpirituū, tū cerebri molem, & uenarū, & arteriarum multiplicationē, & dilatationē largita eſt: ut inde ſpirituū copia ꝓ ſuis nobilibus operationibus haberet: quoniā paucioribus ſpiritibus, neq; reminiſci, neq; diſcurere, & alias opationes qbus homo cæteris animātibus præſtat exercere potuiſſet. neq; cū minori cerebri quantitate ſpiritus tēperiē cōuenientē recepiſſet ꝓ rationalibus opationibus animæ, exercēdis. exqbus cognſcitis naturā dediſſe cerebri q̃titatē maiorē hominibus, ut ſpiritus q̃titas, cū ſuo tēperamēto nō deficeret, q ſpiritus eſt poſtremū animæ rationalis inſtrumētū, ex quo ſequiť habuiſſe maiorē q̃titatē ſpirituū, & tēperatiorē, quod cōprobare poteſtis ſi reliquarū animaliū operationes, & mēbra cōſideraŕ uolueritis. Mitto terreſtria quoniā notisſima ſunt, ſed aquatilia, ut piſces tametſi maximā corporis quantitatem habeāt ex plurima humiditate, cū habeant frigidā temperiē dominantem, nihil aut parū ſanguinis habent reſpectu ſui corporis, neq; molem cerebri: cū exiguā quātitatē in eorū capitibus reperiatur, tametſi in aliquibus magnum ſit caput. Quā minimā etiam quātitatē

cerebri in quãplurimis terreſtribus habẽtibus maximum cor/pus,& caput inſpicit,ut ſunt boues,& equi,& aſini,& alia multa. His itaq; illis declaratis, peto equidẽ ab illis nũquid ſatis illis fecerim, cũ pluries repetẽdo laborauerim. Reſpõdẽt illi utiq; ſatisfeciſti, ſed ſunt,& alia quæ nõ ab oĩbus declarant ſcriptoribus, tam antiquis, quam modernis qui de fabrica humani cor/poris ſcripſerunt,& figuras in eorum ſcriptis addiderunt,& ea ſcire cupimus. At ego illis ſic reſpondeo, nec ego omnia quæ in humano corpore ſunt membra, uirtutes,& operationes ag/greſſus ſum, ſed unum tantummodo tentaui: ut ſcilicet moder nis,& poſteris uiam aperirem, qua facilius ipſi ad ſectionem corporis humani aggredi poſſint, quod utique, ex ſententia ſucceſſum eſt. Nam poſteaquam audierunt,& uiderunt me ſeccantem,& qui non uiderunt legerunt eum quem ſcripſi li/bellum introductorium anatomicarum aggrrſsionum, ita in hac re eximie ſe geſſerunt, ut non tantum antiquos æquaue/rint, uerum etiam longe eos ſuperare, uideantur, quo non poſ ſum non plurimum gaudere. Sed id mihi ſemper moleſtũ fuit, cum plurima a' me didicerint,& ni ea oſtendiſſem,& literis mandaſſem quæ penitus ignota erant, ut ſunt membra,& uir/tutes,& operationes, nihil potuiſſent ſcribere, aut ſpectãtibus oſtendere, præter illa, quæ uulgaria in omnibus gimnaſiis erant ex codicibus quibuſdam accepta,& ex ſenſatis male de/moſtrata,& declarata, ut uidiſtis ĩ eo uolumine quod de fabri/ca corporis humani inſcribitur. Nam ubi de neruis a' cerebro ortis ſcribit,& ad partem anteriorem declarandam incipit, ille maluit cum Theophilo, Marino,& Galeno, hanc partem in determinatam dimittere, qua'm partes ipſius ſenſu inueſti gare,& uirtutes,& operationes rationibus comprobare. Ete/nim ſi quis recte legerit Galenum. *xyi.* de uſu partium cogno/ſcet Galenum dixiſſe neruos molles a' ſubſtantia anterioris ce rebri ad nares deſcendere, tametſi cũ enumerauit neruos a' ce rebro ortos, hos primos molles non enumeret, neq; hoc uobis mirũ uideri debet, cũ & ĩ aliis locis ſuerũ librorum idẽ fecerit, uidelicet nominãdo puta accidẽtia oĩa alicuius morbi ĩ uno li/bro,& in alio, ubi de eodẽ morbo loquit aliqua qdẽ enumerat. ſed nõ oĩa. Quicquid ſit de doctiſsimo,& nunquã ſatis laudato Galeno, Sẽſus tamẽ in neruorũ a' cerebro ortorũ inquiſitione,

primum in anteriori parte, ubi est substãtia illa cerebri, quam carunculas mamillares appellant, deprehendit duas substantias molles, neq; tam mollis est, eorum substantia, quum figurata sit, figura aliorũ neruorũ, & descẽdũt proculomnidubio ad nares, figunturq;, & seminanť per substẽtiã, interiorẽ nariũ ad dandũ sensum olfactus: quod cum ita sit, cur nõ potius hos neruos dare sensum olfactus dixerint, præsertim cum dicant se non credere carũculas mamillares dare sensum olfactus: sed potius processus illorũ neruorũ: quã tamẽ suã affirmationẽ nõ audẽt ex omni parte approbare, ob mollitiem dictæ substãtiæ. Neq; uoluerunt eos neruos absolute primũ in ordinẽ ponere, quẽ ordinẽ nõ potuit ex pcessu suorũ uerborũ nõ laudare. Respondẽt illi, cur moderni anatomiste, ita pigre de his neruis, & eorũ operationibus scripserũt? At ego quoniam cõfisi in libris anatomicis antiquorũ (uetustate corruptis, uel perperã a grãmaticis, & nõ medicis interpræetatis) sectionẽ mẽbrorum minime aggressi sunt: ut sẽsibus ueritatẽ testificari possint. (Cur ita factũ est aiunt?) At ego quoniã nõ habebãt librũ aliquorũ antiquorũ docẽtẽ modũ inueniẽdi particulas corporis humani, cũ plurimi antiquorũ qui de disectione corporis humani, hãc inueniendi rationem neglexerint, sed impræsentia, postquam ego scripsi, & docui modũ inueniẽdi unũquodq; mẽbrũ, nũ solũ audacter seccãt corpora, & mẽbra inueniũt, uerũetiã anatomicas administrationes scripserũt, atq; ut uidistis figuris, quã plurimis graphice exornarũt, in quibus partes omnes corporis tãquã in speculo ab illis qui sensatã anatomiã corporis humani inspexerũt intueri licet: res quidẽ omni laude digna: uerum tamẽ nec pterea ex omni parte rẽ pfecerũt, ut paulo ante uobis significabã, cũ de substãtia illa ad nares descẽdẽte sermonẽ habebamus: quã dixit ille sensui olfactus se credere deseruire. Sed ob antiquorũ uirorũ authoritatẽ (ut ex uerbis illius colligiť) noluit quicquã aperte affirmare, tã de ordine, quã de operationibus. Ad hæc illi uidimus dicũt librũ ac legimus in eo q̃dã, & ut igenue fatearimur multa desiderare posse uidenť, & q̃dã abũde igrata nos pturbãt. Et q̃ in libello amplius præter dicta desiderari possunt, uel ingrata uos turbãt, inquã? Quæ desideranť respondent, sunt in aliquibus mẽbris uirtutes, & modũ operationũ in aliquibus particulis, non ex omni parte, & recte

descri

descriptæ:& quæ ingrata uidentur,sunt reprehensiones eminẽtissimorum,tam philosophorũ, quàm medicorum principiũ. At illis ego in his meam sententiam dicam. Et primum, quod uero prætermisserint uirtutes,&.usus in aliquibusdam particulis corporis humani, fortè id fuit quoniam ex antiquorum scriptis illæ minime notæ illis fuerũt, & ex proprio marte eas nequaquam inuenire potuerunt,sicq; de illis scribere nõ sunt ausi.Cur igitur (respondent) Aristotilem, Galenum, & alios moderniores (quorum libris edocti fuerunt) reprehendere non cessant. At ego sic illis dico:solent enim ingrati discipuli id sæpissime facere ut maiorem aquirant auctoritatem. Male agunt (inquiunt)sed missa hæc dicunt obsecramus inquam ut de musculis mouentibus linguam, & eorum operationibus: aliquid nobis significes, quoniam qui scripserunt anatomicas aggresiones cum picturis non ex omni parte satisfaciunt,plurima nanq; de numero, & operationibus musculorum linguæ dicunt quæ mutilata,& confusa sunt,ita ut minime ex scriptis illorum eorum omnes operationes haberi possint. Ideo ut de illis aliquid dicas rogamus.Quibus sic respondeo, qui nostris temporibus scripserunt anatomicos libros, (ut sitis) non tantum descriptiones musculorũ uerbis exposuerunt uerum etiã (ut uidistis) & figuras musculorum pulcherimè pictas in uno quoq; membro addiderunt,in quibus unusquisq; non ignarus omnimodo partium corporis humani potest comodè, & formam,& quantitatem,& numerum cognoscere. Quare nihil est quod amplius uobis dicere possim. Respondent ipsi scripta quidem eorum (ut diximus paulo ante) Legimus,figurasq; pictas conspeximus nec tamen animus noster ex illis quiescit, quippe cum difficultatem discectionis huius membri ostendant, nec propterea omnium operationum linguæ causam aperiunt;ut legimus in tuo libello introductorio ad anatomicas aggresiones. At ego illis plura scripsi in eo libello quæ (ut dixi) antiqui non cognouerunt, & illa omnibus astantibus ostendi, & alia multa,quæ nolui in illo introductorio addere ne innimiam magnitudinem libellus excresceret, in plurimis tamen membris corporis humani, tam de substantia, quam de quantitate,figura,numero,positione, loco uirtutibus operationibus, & aliis scripsi distinctius, quam antiqui fecerunt:

& præsertim in hac linguæ discectione, in qua omnibus, & clare ostendi quantum omnes qui ante me corporis humani dissectionem aggressi sunt, frigide, & cecutientes processerint; plurima omittendo quæ sane digna sunt, ut sciantur, cum sint partes essentiales. similiter qui de operationibus post me scripserunt non ausi sunt (ut audio) omnes usus membrorũ exprimere, sed ita de operationibus sicuti de musculis confusa quædam declarant, & mutilata (ut ante dicebã) quod si omnia distincte legere desideratis, ne pigeas uos iterum relegere quæ ego in declaratione partium linguæ prout ad introductionem scectionis faciunt; scripsi qm̃ omnia clara sunt, tam ad numerũ musculorum, quam ad omnes operationes eorum. Legimus (inquam libellum,) respondent, & per legimus hanc partem, qua plurimum obletati sumus: sed scire desiderabamus nunquid confusio illa musculorum aliquo modo manifestari, & separari possit. At ego subridens sic respondeo. Virtutes cognoscuntur per suas operationes, ubi sensus eas discernere non potest, homo namq; cum sit animal rationis capax, præterquam quod habet sensus exteriores (ut dixi) communes cum aliis animantibus, habet etiam cogitatiuam uirtutem, & intellectũ quibus ubi sensus attingere non possunt, discurrendo particulariter, & uniuersaliter (ut ita dicam) ex notis quibusdam minus nota cognoscere potest. Porro operationes uoluntariæ linguæ, & præsertim ultimæ partis linguæ, quæ ad interiores dentes, & labia uenit, omnibus manifestæ sunt. Eam namque uoluntariæ extendibus, & extra ducimus, & intra reuocamus. quæ duæ operationes fiunt a musculis manifestis, sed cum illam extremam partem dillatamus, constringimus, in se ipsam contrahimus, extẽdimus, & in acutam figuram formamus, id enim ad libitum nostræ uoluntatis est, ut unusquisq; uestrum in se ipso potest experiri. Hi igitur motus, & operationes non sunt naturales a neruis mouentibus per se naturaliter, sed uoluntariæ, ut omnes antiqui, & recentiores sapientes testãtur, & experientia docet. Nam lingua (ut dixi) non caret euidenti: nerueæ partis substantia, permixta cum carnea illa ultima parte, ut uidere licet, ex manifesto processu filamentorũ qui per ipsam carneam substantiam procedũt: præsertim cum macerata, & fere ad putredinem deuenerit, aut si plurimum elixa

ta coctaq; in aqua fuerit. Non enim meliorem modum inuestigandi musculosam ultimæ partis linguæ substantiam in præsentia possum uos docere. His,& aliis nonnullis hincinde dictis, cum iam nox instaret,& uisendi ægri aliqui superessent, peto ab illis, ueniã qui(ut modestissimi sunt)dicũt gratias,seq; in perpetuum deuinctos fore autumant, eo quoniam quædam didicerunt, quæ neq; ab alio amplius audita, neq; apud ullum quempiam authorem scripta legisse, recordentur. Quibus ego abiens plurimum ualere dixi: postea domum reuersus, uolui eo ordine, quo dicta sunt ea ad te scribere, ut scires me tibi quàm deditissimum esse. Vale. Venetiis. M. D.XLIII. Die.XXIII.Ianuarii.

AD CLARISSIMVM SENATOREM AC Philosophum Eminentissimum Dominum Hyeronymum Marcello, Epistola. VII.seu Epithome de febribus,& eorum curis.



QVOD ad te de febribus antea sum pollicitus, id nunc præstare cogor, atq; i primis, quid febris sit, declarare, deinde qua ratione eas antiqui curare constituerint. Et quanquam longam esset methodum, tam speculatiuam, quam praticam, seu curatiuam febrium scribere, dabo tamen operam, quàm maxime potero, ut breui id faciam. Quam rem propositam sic aggrediar.

Febris igitur substantia (ut dixit Galenus primo de differẽtiis febriũ) calor præter naturam, in corde est, deinde in toto corpore per arterias, & uenas diffusus, nisi impeditus fuerit, non tamen adeo impeditur, quin, uel in plurimis, uel in aliquibus partibus accensus sit. Porro sæpe fit, ut impedito calore febrili uniuersa cutis nullam euidentem caliditatem præter naturam, nec in ipsis patientibus, neq; nobis tangentibus ostẽdat. At in intimis corporis partibus, languentes ipsi sentiunt, & patiuntur. Vel dicemus febrem esse affectionem a qua calor præternaturam excitatur,& reliqua.

Primæ, & præcipuæ differentiæ sunt illæ, quas tactus ipse cognoscit, ita ut ab ipsa caliditatæ præter naturam, quæ est molesta tactui, secundum maiorem uel minorem uim caloris, febres distinguamus. Sumuntur, & secundo differentiæ a' materia, in qua calor præter naturam pabulatur. A primis itaq; differentiis febres aliæ dicũtur magnæ, aliæ paruæ, & aliæ mites, si eas calori ualde mordaci comparemus. Et ex hac met differẽtia dicuntur postea febres, aliæ acutæ, & cito terminantes, & aliæ non acutæ, sed longæ. Secundæ nempe differẽtiæ, quæ sumuntur a' subiecto, in quo calor præter naturam fundatur sunt tres, quemadmodum tria sunt quæ animatum corpus cõstituunt, uidelicet membra, humores, & spiritus, siue uapores. Et ut ab ultimo enumerare incipiam, res hoc modo se habet si calor in spiritibus, & uaporibus susceptus fuerit, ephemeram seu diariam medici uocare consueuerunt. Quo'd si calor in humoribus suscipiatur, humoralem, & putridam uocant. At si in membris, & substantia solida calor fuerit, hecticam seu habitudinalem appellant. Sicq; tot genera febrium sunt, quot sunt partes corporis animati. Ad quo'd declarãdũ Galenus medicus nunquã satis laudatus pulcherrimũ accõmodauit exemplum. Inquit nanq;, si cordis substantia incaluerit, quod fit, quemadmodum si finges læbetem calidum, atq; ignitum, & desuper aquam frigidam infundes, illa quidem febris hectica est, quoniam calor in primis cordis substantiam apprehendit, quæ assimilatur læbeti, a' quo calescunt humores in ipso. Quo'd si calor præter naturam humores ipsius cordis arripiat, & ex eius uicinitate cor calefaciat, ab humida in corde caliditate, est illa febris, quam humoralem, & putridam uocant. Et est, sicuti si aquam calidam infundas læbeti frigido, ita ut læbetis corpus ab ea calefiat. Tunc primum calidũ est in aqua, læbetis uero corpus ab ipsa aqua calefit. Et hæc caliditas non est facta. Sed continuo a' caliditate a qua calefit.

Tertio fit febris ephemera, seu diaria, cui non accommodauit idem exemplum. fingit tamen Galenus aliud pulcherrimũ: & est, ut imaginemur follem attrahere ad se aerem calidũ ualde: in quo quidem folle oportet fingere aquam frigidam esse, ac habere foramina, per quæ attrahit, & mittit aere, ita tamen angusta, ut humores non permittat, attamen possit aerem at-

trahere,& expellere:sicq; calefiet aqua in folle infusa à calidi-tate uaporum calidorum, subinde etiam corpus ipsius follis. Hæc caliditas (ut uides) nõ est primo in aqua quæ in folle est, neq; in follis substantiantia, sed in uaporibus attractis calidis. simile admodum exemplum in ephemera est. Nam si primo spiritus,& uapores cordis accendantur, ii quidem humiditates in corde contentas calfaciunt quæ postea cordis substantiam inflammant:non est tamen primo in corde, sed in spiritibus,& uaporibus.

Vide clarissime, ac doctissime Hieronyme, quàm doctè & quàm ingeniosè ostenderit Galenus differentias trium generum febrium, ac modum caliditatis, in tribus substantiis nostrum corpus constituentibus, præter quas non reperitur corporeum aliquod. Porrò ex his colligere breui possumus; primo accensam in solidis partibus caliditatem, communicari humoribus ex spiritibus;ac etiam ea, quæ accensa in humoribus est, communicari solidis partibus, & spiritibus;similiter accensam in spiritibus, communicari humoribus, & solidis partibus.

Causas uero caloris præter naturam, quæ his tribus substãtiis sunt, post hæc enumerare conducit. Primo quidem in spiritibus,& uaporibus accensio multis modis fit, nimirum constipata cute uel ex ustione à sole, uel ex concentratione à frigore, aut ob iram, excandescentiamq;, aut à tristitia, timore, animi solicitudine,& malis cogitationibus, uigilia, fame, ebrietate, indigestione, labore, tumoribus præter naturam, dolore; & ut unico omnes perstringam uerbo, causæ febrium ephemerarum, seu diariarum procatarcticæ sunt, seu euidentes, & exteriores, quæ aliquando per se calfaciunt, & aliquando per accidens. Obstructiones tam non sunt causis enumeratis præsertim si non sunt ab extrinseco aliquo.

At accensio, quæ fit in humiditatibus, uel est cum putredine, uel citra putredinem. Quæ citra putredinem fit, est, & à precedentibus,& ab exterioribus causis,& est in duplici differentia, uidelicet uel multitudine sanguinis, cum obstructione meatuũ, uel ustione choleræ. Quæ autem fit, cum putredine, & inflammatione, in quatuor humoribus, & reliquis humiditatibus existit,& est quãdo per prohibitam primo respiratio,

nem putrescunt, uel ex contatu, ut in pestiléti febre. Fit igitur febris humoralis ex sanguine citra putredinem in illis, in quibus temperamentum illud est, quod plurimum sanguinis generat, atque etiam in illis qui cibariis sanguinem multiplicantibus uescuñt, ita ut uenæ repletæ à multitudine sint, atque obstructis meatibus minime respirare ualeant: sicque incalescit primo aliqua in parte, subinde uicinæ partes, donec cordis humiditates accendantur, qui calor postea ad uniuersum corpus per uenas, & arterias diffunditur citra putredinem. Verumtamen nisi rectè tractentur procedente calore, & manentibus obstructionibus, in putridam continentem, quam synocham Græci uocant, conuertirur.

Fit quoque febris sine putredine, si cholera uratur, & uicinos humores calfaciat, & isti sic humores accensi reliquos calfaciunt usque ad cordis humiditates. In quo modo febris, non desunt difficultates an possit biliosus humor à caliditate præter naturam aduri citra putredinem ante eius (ut ita cum medicis dixerim) incinerationem.

Tertius modus febrium humoralium, est, si ræliqui humores putrescant, & uapores seu fuligo putrida cor ipsum calfaciat, prius tamen calfactis cordis humiditatibus.

Putrescunt sanè humiditates, & humores quatuor plurimis de causis. Nam si ea quæ comeduntur, & bibuntur, sint substátiæ malæ, aut nimis humida, & facilè corruptibilia, & ex illis quæ non conuertuntur in optimum sanguinem, aut non probè præparentur, aut quoniam sumûtur in hora, in qua uirtus non poterit ea coquere, uel denique quoniam non seruatur ordo in comestibilibus, & potabilibus, ita ut aliqua præcedant quæ posterius sumi debuissent. cibi uero, qui sæpe causa sunt, ut putredeni parati humores, ex eis generentur, sunt fructus non pauci, olera, lac, & similia. Sunt etiam causæ ex parte corporis, ut humores putredini parati generentur, & malitia temperaméti, ita ut obstructiones ex indigestis humoribus sint, uel quoniam uirtus imbecillis est, quæ minime cibum coquere ualeat. Quare uel corrumpit, uel alium, quem natura nõ intendit, primo gignit: unde fiunt obstructiones, quæ subinde ad putredinem faciunt, cum minime humores respirare ualeant. Illud tamen animaduertendum est, quòd non semper putrét

humiditates nostri corporis ex impedita respiratione, cum sæpissime etiā ex contactu rei putridæ quod non putridū est putrescat. Porro quæ a putrido tanguntnr, putrescere opus est: & hic putredinis modus in pestilentæ aere fit, uel putrido qualis est lacunarum, & aliorum locorum, a quibus putridi uapores eleuantur. Eius generis aeris est, ubi pelles præparant & ræliquas res putridas, & fœtidas tractant. Et tametsi plures enumeratæ causæ sint, non tamen semper singulares sunt, sed multoties plures, ut puta temperies mala, & etiam commestio rerum malarum. At continentis aeris malitia simul, & omnes causæ facilius putredinem inducunt, si corpus plurimis humiditatibus malis, lentis, crassisq; abundauerit, cum tam multitudo quam crassities, obstructiones facere nata sit. Et quoniam humores quatuor sunt qui inter se, & substantia, & qualitatibus differunt, ad quos etiam aliæ humiditates non naturales per similitudinem reducuntur; ideo quatuor etiam genera febrium humoralium præter iam duas species dictas, quæ citra putredinem sunt, enumerant medici. Quarum prima est, quæ ab inflammatione sanguinis, quam synochiam Græci, Latini continentem uocant, & est media inter ephemeram, & putridam cum humoralis sit, & cor per uapores calfaciens inflammat. Similiter & illa quæ ex inflammatione, uel ustione cholaræ fit citra putredinem istius generis est, donec putrescat ex ea aliquid. Nam tam in una, quam alia incensione post aliquod dies putredo consequi consueuit. Sed putridarum species sunt, primo continens putrida, & fit ex sanguine a putredine arrepto: qui etsi unus sit humor putrescens, non tamen unus est febris modus, cum tres habeat differentias: nam una illorum a principio usq; ad inclinationem eundem in magnitudine seruat calorem, hanc Græci humotonon, Latini uero continuam æqualis uigoris uocant. secunda uero calorem habet augentem ad inclinationem usq; Græci epacmaticam, Latini uero inualescentem hanc uocāt. tertia sensim calorem imminuit, paracmaticam Græci, Latini decrescentem dicunt. Omnes ut dixi continentes sunt & habent sanguinem putrescentem in uenis. Hæc febris non omnibus accedit, sed carnosis corporibus iuuenibus, ac sanguine nimis humido plenis. Quæ nero sit causa trium dictorum processuum

in huiuscemodi febre, ambigent medici. Attamen diuersitatem hanc primo à multitudine, & crassitiæ sanguinis intelligere oportet, ac etiam à propinquitate, & distantia loci, & robore, & imbecillitate uirtutis à principio, ita ut si resistentia æqualis sit, procedit inflammatio, usq; ad inclinationem. Si uero resistit, & superet uirtutem semper augendo procedit ad inclinationem, si potest materiam putridam finire, uel ad interitum usq;, si plurima putrescēs sit, nisi à uirtute uel arte ægris auxilietur. Contrarium est, si semper declinando procedit calor. etenim euadet æger, & ferè nullius discriminis est.

Tertium genus febrium hectica, seu habitudinalis est, quæ, & ipsa plures continet species, & hoc secundum ueritatem pabulantis, & consumentis caloris, quas primam, & secūdam, & tertiam nominant. Prima quidem est, si calor præter naturam partes solidas cordis primo occupauerit, ita ut non pendeat à calefacto esse humorum (ut aiunt.) Secunda est, si caliditas humidum in substantia solida imbibitum manifestè iam exiccare inceperit. Quæ tamē species habet latitudinem, scilicet principium, augmentum, & consistentiam, in qua caro iam euidenter immutata est. Post quam est tertia illa, quam hecticam senectutis uocāt, in qua cum nulla sit caliditas præter naturam, & ultima consumptio carnis appareat, marasmum, & maciem Latini, Græci phtysim uocant. Quæ ubi ultimatur in eius cura nullum est ingenium. Illud tamen scire oportet quòd hæc species non propriè febris dici potest.

At quoniam febres affectus præter naturam sunt, à quibus non naturalis sequitur. Et quæ præter naturam existunt, contrariis remediis sapientes omnes remouere docent. Quod minime fieri potest, nisi prius eas per causam cognouerimus in qua cognitione hucusq; breui, quàm potui methodo laboraui, ita ut esse, & causas earum succinctè exposuerim. Reliquum est ergo, ut qua ratione sanentur subscribam hoc autem facilius fiet, si per signa eas speciatim cognoscere procurabimus. Persequar igitur uniuscuiusq; febris generis curam, si prius eas per signa declarauero. Quæ tria sunt genera scilicet secundum substantiam, secundum operationes, & secundum accidentia. Ab ephemeris primo incipiam.

Communes igitur notæ omnium ephemerarum hæ sunt,

pri

primum quidem calor præter naturam non acris est, sed mitis: pulsus etiam, etsi mutatus sit, attamen neq; magnus, neque celer, neq; creber est, si naturalē eius modum spectes. Hoc idem in ordine, & aliis seruat. Similiter & urina in substātia, colore & contenta nebula, optima apparet. Sudant in inclinatione sudore rorido, ac (ut ita dixerim) uaporoso, cū quo etiam omnis calor præter naturam recedit: neq; accidens aliquod malū apparet. Sunt & præter dicta, signa particularum causarum, quæ dimittam, ne longa oratione molestus tibi sim; ut puta, si ex uigilia ephemera fuerit, iis pulsus parui sunt, & uix oculos eleuare possunt, facies subtumida, & color eius uitiatus apparet. Similiter si ex tristitia, & animi solicitudine fuerit, præter paruitatem pulsus, & oculorum cauitatē, adest, & ariditas, & faciei pallor. At quoniam causæ horum, & reliquorum accidentium te minime latent, satis sint duo exempla scripsisse, cum regimen, & curandi ratio huic negotio magis conducat, quæ per ea, quæ morbo contriaria sunt fit. Nam cum causæ omnes istarum febrium procatarcticæ, & exteriores sint, intentio omnis ad morbum esse debet. Tollatur igitur morbus per domesticam refrigerationem aeris, & uictum modeste humidum, & refrigerantem, qui fit ex iis, qui sunt boni succi, & coctu facile, neq; uinum pauciferum istis negetur. Hoc nēpe regimē omnibus diariis seu ephemeris primo cōuenit. At si a uigilia uel animi solicitudine febris fuerit, denf cibi qui præterquam quod humectent, & refrigerent, somnum etiam concilient, & sanguinem clarificēt. Defatigati uero quiescant. Et qui a fame in hanc febrem incurrunt, copiosius cibandi sunt, sicq; in aliis succurendum erit per illa, quæ intrinsece necessitati succurrere possunt: omnibus tamen post inclinationem lauare cōducit assuetis præsertim, & macris, unum tamen scire in hoc, ac præcauere operæpretium est, ne scilicet in alterum duorum genus, hæc febris conuertatur, si non recte in principio tractetur. Quarum alterum putridarum est, alterum habitudinalium: & ideo ista de causa etsi in eo quod ephemera nullius discriminis sit, attamē quoniā in aliud genus conuersa nō sine discrimine erit, non negligenda est. Et hæc de notis, & cura ephemeram satis.

His itaq; de ephemeris tractatis, ad notas quibus humora-

les,& putridæ noſcuntur,& curatiuam methodum deſcendã. Humorales quidem citra putredinem dixi; aut ex inflammatione ſanguinis eſſe, quam ephemeram plurium dierum uocant,uel ex inflammatione bilis citra putredinem, quam ex combuſtione choleræ,ambuſtiuam nominant. Neq; hoc dictis Galeni tertio de criſi cõtradicit,eum non repugnet ſicciorem humorem minus obnoxium putredini eſſe.

Signa itaq; in primis febris continentis ſine putredine hæc erunt,caliditas in uniuerſum non acuta,neq; ad tactum mordax,neq; exterius exiccans:pulſus magnus, & plenus,difficultas ſpirandi:habitus corporis cum ſanguinis multitudine,ita ut color totius corporis ruber ſit,& uenæ tumidæ, ac repletæ, & præſertim oculorum: ætas iuuenilis. Vrinæ rubræ craſſæ non priuatæ ſignis digeſtionis. Hæc omnia ſunt ſigna quibus hanc febrem cognoſcimus. Quacognita, ſtatim per contrarium regimen inſtituere oportet: igitur primo quieſcat in loco,ubi aer refrigeratus ſit.Quod ſi non naturaliter talis fuerit aer alterandus eſt, uidelicet per aſperſionem aquæ dulcis, & aliarum rerum infrigiditantium. Similiter & uictus ſit humidus,& frigidus,ac tenuis.Et hoc non tantum in hac ſine putredine, uerum etiam & in illa quæ cum putredine ſanguinis & choleræ etiã exquiſite eſt. Etenim hæ omnes cum minime longæ ſint tenueſsimus uictus in earum regimine conducit. Quare ſint cibi ſorbitiones,ex hordeo ptiſanam uocant,& potus ſit aqua fontis,uel aqua hordei ad libitum, niſi aliquod ſit prohibens. Atq; præmiſſo chiſteri,uena baſilaris dexteri brachii quam etiam hepaticam uocant, aperiatur, & ad tolerantiam uirtutis ſanguis euacuetur: quoniam hoc ſolo, ſingularique auxilio febris fugabitur. Nam ſanguinis misſio non tam putredinem ceſſare facit, uerum etiam a putredine præſeruat.

Signa,& notæ febris cholericæ ex inflammatione citra putredinem,ſunt hæc caliditas in toto acris,uehemens, & mordax, & cutis exterioris ſiccitas:pulſus magnus,& frequẽs nõ ſine tẽſione:habitus corporis cum plenitudine ſanguinis. ſubtilis, ac etiam cum multitudine bilis:ætas iuuentutis uel conſiſtentiæ tempus anni,uel conſtitutio calida, & ſicca, regio conſimilis; & uirtus,quæ bilem multiplicare posſit,atq; exercitium,quod

corpus super calefaciat: Vrinæ rubræ, crocei coloris similes, non crassæ, neque signis coctionis priuatæ: difficultas spirandi; sitis uehemens, & insomnietas. In hac febre omnis intentio in curando, sit refrigerare, & humectare, & ideo quiescat in loco arte uel natura refrigerato. Refrigeratur autem arte frequenti, & abundanti aqua dulcis, & foliorum, & florum frigidorum sparsione. Cibi sint (ut dictum est de continenti citra putredinem) sorbitiones ex hordeo, uel ex herbis refrigerantibus, quales sunt lactuca, endiuia, acetosa, buglossa, borago, & similes. Potus sit aqua fontis ad libitum, uel aqua hordei, aut sint aquæ stillatitiæ dictarum herbarum, sed inter cæteras herbas (si Dioscoridi credimus) buglossum febrilem calorem magis extinguit.

Et quoniam in hac febre nulla est à principio putredo, sed sola mala temperies; ideo in eo quòd febris, potus plurimæ aquæ fontis frigidæ conducit, & hac rotione detur ad tolerantiam uirtutis. at ubi choleræ repletio, cum permixtione sanguinis fuerit, (quod cognoscitur per crasfitiem, & ruborem urinæ) apperiatur uena iocinaria dexteri brachii, quoniam primo euacuat omnem uenarum repletionem tam exquisitam quàm permixtam, atque etiam à putredine præseruat. At ubi bilis abundauerit, dentur ea, quæ choleram possunt educere, ut puta, tamarindi, cassia, manna, & syrupus rosaceus solutiuus. Quòd si ambæ febres, uel altera in putridam transierit, curentur cura putridarum sui generis; ut statim in propriis speciebus scribam.

Galenus putridarum febrium quatuor genera enumerauit, sicuti quatuor sunt humores. Quæ generat ad alias species diuiduntur, ut paulo post in processu declarabo. Incipiam primo à signis febrium continentium ex putredine sanguinis. Etenim sanguis, quoniam locum conseruationis in uenis habet, & dilectus naturæ est, non pellitur à uenis, sed putrescens in eis manet, tanquam in propio suo loco. Quare continuam febrem facit, quæ habet easdem notas sicuti non putrida, præterquam quòd caliditas ob putredinem acrior est non putrescentis. Pulsus etiam ob eandem causam diuersus est, & anhelitus frequentior ac maior. Vrina quoque turbidior, & ignea magis apparet. Neque audias uelim dicentes, febrem ex putredi-

causon,& continua proportionalis,& differunt a' continentibus ex putredine sanguinis,quoniam in cholericis apparēt aliquæ exacerbationes,& excrescentiæ de tertio in tertium, tametsi in causonidæ non ita manifestæ sint, in sanguineis uero minime.

Incipiam a' continuis,ponendo signa,& curam uniuscuiusq;, & primo notæ ardentis siue causonis sunt. Caliditas acris per uniuersum corpus citra omnem rigorem,tam intus, quam extra,ac ueluti ignis comburens sine aliqua manifesta apparente remissione:(dixi apparente)quoniam omnino aliqua est remissio de tertio in tertium. facies rubens,& citrina:oculi etiā rubentes, ac fere' scintillantes;pulsus frequēs,& magnus,sit is inextinguibilis;ariditas linguæ cum nigredine,& citrinitatæ, difficultas spirandi,inquietudines,insomnietates, ac etiam aliquādo somnus profundus,præsertim ubi pmixtio pituitæ euaporantis fuerit,adest etiam permixtio rationis, & oblocutiones,dolor capitis,pulsus temporum. Vrina rubra, & ignea est ad citrinitatem tendens,& uentris constipatio.Huic febri si rigor superuenerit ac post plurimum sudarurint,euadet æger sanus. At si sudor non sequatur ad intermitentem, tertianam conuertitur. Curatur hæc febris regimine refrigerante,ut est aer frigidus per alterationem aquæ,& sparsione foliorum salicis,lactucæ,florum nenufaris uiolarum,rosarum, & similium,aut per euentationem,cum flabellis. Cibus sit etiam frigidus ex hordeo,uel oleribus refrigerātibus, ut est endiuia, cichoreum,lactuca,acetosa,& similes. Conuenit etiam potus aquæ frigidæ,uel decoctionis hordei. Et in hac febre tandem potus plurimæ aquæ frigidæ est medicamē singularissimum, nisi aliquod sit impediens,quale est uirtus imbecillis, uel apostema in aliquo uiscere, aut dolor intestinorum,uel alia quæuis causa prohibens.Vtatur etiam medicinis refrigerantibus, ut sunt syrupi de succo acetosæ, de granatis,oxyzaccharo cum decocto tamarindorum,& uiolarum,in aquis stillatitiis endiuiæ, acetosæ,buglossæ, boraginis, lactucæ,& similes. Et ut omnia tibi in prōptu sint,practici medentes sic ordinant, & disponūt.℞.syrupi de Granatis.℥.i.de succo acetosæ.℥.ſ. aquarū buglossæ,endiuiæ.añ.℥.i.ſ.uel dent syrupi alii,q̄lis est syrupus rosaceus,de endiuia cum aq̄s lactucæ, cichoreæ, & similibus.

Sumantur mane in aurora, & uesperi ante cœnam. Et loco aquarum Medici sæpe ponunt decoctum tamarindorum, uel aliarum rerum refrigerantium. Et quoniam hæc febris pēdet a materia putrida, ideo præter alterantia, opus est etiā euacuatione materierum putridarum: quæ materiæ si fuerint cum plurima sanguinis pmixtione, & æger etiā fuerit carnosus, & tempus anni, & uirtus tolerauerit; aperiatur uena iecoraria, siue basilaris dexteri brachii, & euacuetur sanguis secundum exigētiam. Detur immediate post potus ad extinguendā choleram, ut est syrupus de succo acetosæ cum aqua cichoreæ dilutus, & secunda die detur lenitiuum, & euacuatiuum choleræ: nimirum ex casia, uel manna cū decocto tamarindorum. Quod si præter choleram exquisitam, et crassam, uel permixtam materiā in uiis ductuum, euacuare desideras, addendum erit aliquid electuarii eiusdem uirtutis, ut est diafinicō. Febris altera, quæ continua est, ex cholera quæ in uenis putrescit, & duabus tertianis proportionalis dicitur, cognoscit per uehementiam, & acuitatem caloris, si sincera sit cholera. Hic tamē calor non est ita acris, & in manū tangentis imprimens, sicut calor febris ardentis, quam causonē uocāt. Sed ubi in pura est, ex admixtione pituitæ, & aliorum humorū, quæ cognoscitur, quoniam eius caliditas minus acris apparet, & accidentia mitiora sunt. Exquisitæ igitur notæ, hæc sunt, pulsus magnus, uelox, & inequalis est, comparatione ad alias febres, in qua nulla apparet horripilatio, uel frigus. Attamen exacerbationes caliditatis correspōdēt diei tertiæ inter se. Et ea ratione dicit proportionalis duabus tertianis. Adest etiā difficultas spirandi, inquietudo, ariditas linguæ, sitis uehemens, dolor capitis insomnietas, & sæpe etiam dolor stomachi, ac etiā uomitus biliosus. Vrina rubea, ignea, & ad citrinitatem tēdens est: ꝙ si materia fuerit impura, crassa etiā erit. Cura eadem fere est cū supiore in aere, cibo, & potu, præterq̄ quod neq; tanta aquæ frigidæ potio dari debet, pſertim si materia crassa fuerit, quā cholerā nō purā uocāt. In euacuādo cum morbus sit materialis, sæpe incipiūt, a sanguinis missione apta scilicet uena iecoraria dexteri brachii, ac imediate post dādū est extinctiuū choleræ superius dictū, uel aliquod qđ possit ebullitionē sanguinis ꝓhibere, ut puta syrupus rosaceus, & de succo acetosæ, cū aqua endiuiæ, &

cichoreæ,& ad pparandã materiã cholericã dent̃ syrupi mane in aurora,& uesperi ante cœnã,q possint calorẽ febrilẽ extinguere,& obstructiões aperir̃,uerbi gratia.℞.syrupi acetosi simplicis.℥.i.rosacei.℥.ß.aquarum buglossæ,endiuiæ añ.℥.i.ß.uel fiat decoctum ex herbis refrigerãtibus, qualis est acetosa,endiuia,borago,& similes.Et cum apparent signa digestionis i urina,quæ cognoscunt̃ p eius substantiam,& colorẽ æqualem,ac per nebulã albicantẽ,dãdum est euacuatiuũ,(præsertim si materia plurima est)ex cassia,manna,syrupo rosaceo solutiuo cũ decoctione tamarindorũ.At si urina crassa est,addendum erit agaricũ,aut aliquod electuariũ(ut dixi supius)Sed illa febris,q̃ ex bili putrescente extra uasa fit,quã intermittentem uocant, est secundũ duplicem differentiam,uidelicet exquisita, & non exquisita,quam non exquisitam notam nominant.Nam cum cholera exquisita est, quæ putrescit.Huius febris notæ sunt, hæ,incipit cum horripilatione,ita ut uideãtur puncturæ acuũ per dorsum,& reliquis partibus:calor,acris,& mordax est,qui añ.xii.horas ægrum relinquit:pulsus magnus,frequens, & diuersus est:inquietudo, spirandi difficultas sitis, dolor capitis anxietas uẽtriculi,& uomitus biliosus,sed qui illis temperamẽtũ biliosum habent,& ætatẽ iuuentutis,uel cõsistẽtiæ facilius est,ut in hãc febrẽ incurrãt,p̃sertim i æstate,uel ultima pte ueris æstuosa:urinæ rubeæ,subtiles,igneç,ad citrinitatẽ tẽdẽtes

Hæc febris curat̃ regimine refrigerãte(ut dixi supius)&sorbitionibus hordeaceis,atq; potu aq̃ hordei,uel aquarũ stillatitiarũ buglossæ,endiuiæ,acetosæ,& similiũ. Et in oĩbus biliosis febribus uinum antæ iclinationem morbi interdicatur. Nam summoperæ nocet.Post uigorẽ detur pauciferũ, multa aqua permixtum,caueant ne in principio accessionis cibum,aut potum accipiant.Sed detur quinq; horis ante. Similiter minime cibãdi sunt,nisi prius febris omnino inclinauerit. Neq; dormiant,tam in principio,quam in augumento:in inclinatione uero plurimum iuuat. Etenim prouocat sudorem, & urinam.In statu uero paroxysmi aliquando prodest somnus,præsertim ubi uirtus a magnitudine paroxysmi imbecillis est. His itaq; ordinatis ac admınitrastis, medicinale regimen ad materiæ euacuationem sic instituatur. Nam si corpus plenum fuerit, detur euacuatiuum leuæ,minorans (ut aiunt) puta ex.℥.i.

uel.ʒ.i. ·floris casſiæ,uel aliud eius generis.Et hoc per horam ante cibũ.Mox ſequenti die adminiſtrenť ſyrupi,uel decoctio-nes aperiẽtes obſtructiones,& extinguẽtes calorẽ febrilem,ut eſt ſyrupus acetoſus ſimplex,de endiuia,de ſucco acetoſæ,uel oxyzaccharo:pmixtis aquis ſtillatitiis bugloſſæ cichoreæ,& ſi miliũ,uel pmiſceāť,cũ decocto endiuiæ,boraginis,bugloſſæ.Et cũ appuerint ſigna cõcoctionis,dēť medicamina euacuãtia ex caſia,mãna,ſyrupo roſato ſolutiuo cũ rhabarbaro infuſo in de-coctione tamarindorũ:ut ĩ hoc exẽplo.℞. Rhabarbari electi.ʒ. i.ſ.ſpicæ gr.vi.uini aromatici parum,decoctionis tamarindo rũ,paſſularũ,hordei,florũ bugloſſæ,boraginis,uiolarũ in aquis ſtillatitiis iam dictis,infundanť per.x.hora,& facta diligẽti ex præſſura adde,uel floris caſiæ.ʒ.i.&.ſ.uel mannæ.ʒ.ii. aut ſyru pi roſacei ſolutiui.ʒ.iii.& hoc ut melius,& cõmodius pro ægri indigentia medico uidebitur.Hãc potionem exhibeat in hora magis quieta ante aduentũ febris:quanto plus fieri poteſt.Deť cibus quinq; horis poſt.Illud ſcire oportet,quo'd in exquiſita tertiana apertio uenæ nõ omnino laudať,niſi ubi corpus præ-ter cholerã plurimo etiã ſanguine abundauerit:quo in caſu uri næ,& craſſæ,& rubeæ quoq; apparẽt. Signa uero febris ex bili non ſincera,qua'm nothã dicũt,ſunt fere omnia,quæ ſuperius dicta ſunt.Nã,ubi cholera impura putreſcit, febris incipit cũ horripilatione,& cum horrore magis, & ueluti aquæ feruẽtis cuiuſdã motus.Quo'd ſi magis in pura fuerit,fiunt rigores, & frigus,pſertim ubi pituita cruda permixta fuerit. notabis tñ q̃ tãto diſtat nõ pura pſuã impuritatẽ a' pura,q̃to tẽpus duratio nis caliditatis lõginquius fuerit.In nõ pura caliditas accuta eſt ſed nõ ita acris,& mordax,ut in exquiſita?Similiter, & pulſus, & reliqua ſupdicta ſigna,ſed mitiora plus minuſu'e ſecũdũ ma-teriei caliditatem,& craſſitiem,multitudinẽq; cũ bili pmixtã. Vrinæ quoq; craſſiores ſunt.Hæ febres cũ ſudore inclinãt, ſed nõ copioſo:ſæpe etiam nõ ſudãt,ſi materia ualde craſſa fuerit, uel uirtus ĩbecillis,in quibus multoties paroxyſmi coniũgunť, & fiunt ſubintrantes,ita ut æger continue febriat,tametſi ma-teria extra uenas putreſcat. Scias etiam oportet quo'd cũ quis quotidie febrierit,cum ſignis iam dictis putredinis choleræ; ĩ his duas tertianas eſſe dicunt. Si uero bis in die accedat febris, duplicem tertianam medici uocant.

Cura

Curationis uero modus differt in istis aliquantisper a curatione exquisitæ, etenim in omnibus uictus ratio nō ita tenuis sit, sicuti in exquisita, cum status in istis longinquior sit. Dentur igitur post aeris correctionem sorbitiones, uel iuscula hordeacea in iure paruorum pullorum, in quo decoctæ sint radices petroselini. Similiter potus sit aqua hordei decocta cum radicibus petroselini: aut sint aquæ stillatitiæ æquiualentes: & hoc usque ad uigorem febris. Nam cum ad uigorem deuenerit, tunc tenuissimus uictus conueniens est, qui uariari decet secundum maiorē, uel minorē impuritatē materiæ putrescētis.

Ea uero, quæ facienda sunt ad euacuationem materiæ, hæc sunt. Primum si plenitudo est, uenter leuiendus est clystere communi ex decocto foliorum maluæ, uiolarum, betæ, uel blitis, & mercurialis, de quo accipiatur libram. i. olei uiolacei ℥. iii. sacchari rubei. ℥. iii. salis communis. ℥. i. misce, & imponatur mane ante cibum, uel in hora magis quieta. Possumus etiam lenire uentrem accipiendo p os. ℥. i. uel. ℥. i. ſ. floris casiæ per horam ante cibum quo'd si urinæ, & crassæ, & rubeæ sunt, & uirtus fuerit, & ætas consentiat aperiatur uena iecoraria. Post hæc præparetur materia reliqua cum oxymelite, & syrupo de endiuia dilutis cum aquis boraginis, buglossæ, lupulorum, uel cum decto dictarum herbarum, aut earum radicum, & cum procedit febris, dentur etiam syrupi compositi, ut est oxymel cum duabus, & tribus radicibus, & syrupus bizantinus permixti cū aquis absinthii, fœniculi, & similium, uel cum decoctis, ex absinthio, betonica, endiuia, & similibus. Apparente postea concoctione purgentur humores cum casia, aut chatholicōe, uel syrupo rosaceo solutiuo, addito aliquo euacuante materiam crassiorem, ut est electuarium dia phinicon, quoniam est medicina securitatis: & ubi materia adhuc crassior fuerit, agaricus non est prætermittendus. Similiter, & rhabarbarum cum præter quam quo'd euacuet, & crassam, & subtilem choleram, aperit etiam obstructiones membrorum naturalium. Casia uero, & reliquæ medicinæ dissoluatur cum decocto ex hordeo, passularum, liquiritiæ prunorum, seminū endiuiæ, fœniculi, & similium. Et quoniam has omnes febres accidentia iam dicta sequi consueuere, non tamen semper omnia, sed aliquando unum, & aliquando plura: ideo ad eorum cu

ram, si feuierint, sic procedere operæpretium est. Primum, si fuerit dolor capitis uehemens, cum hic fieri ex euaporatione calida, nemo non dicat; ideo diuersio conuenit, factis scilicet fricationibus cruribus a brachiis, qui si adhuc feuierit, apponédæ sunt etiam cucurbitulæ spatulis, & natibus. Item ad hoc summoperæ conducunt lotiones cruribus, & brachiis in aqua in qua etiam decocta sint folia salicis, uiolarum, lactucæ, endiuiæ. Deinde post has lotiones summum præsidium est administratio oxyrhodini fronti, & partibus anterioribus capitis ubi est futura coronalis, oxyrhodinum sic componatur: uidelicet, ex duabus partibus olei rosacei, & una aceti albi, & dimidia aquæ rosaceæ. At ubi uehemétissimus fuerit dolor, missio sanguinis ex uena mediana, uel cephalica est ultimum auxilium. Sitis uero, si adest, extinguatur assidua gutturis madefactione, puta cum aqua hordei, uel aqua fõtis, uel etiam cum aquis stillatitiis, qualis est aqua buglossæ, endiuiæ, & similes, ad hoc dentur granata mitia, uel citria (arantias uocant,) & in uehementissima siti, ubi dicta non cõtulerint, musillagines seminum citoniorum, & psylliiin ore retentæ, plurimum conducunt, & ad summum omnia quæ possunt, & humectare, & refrigerare, prosunt, ut est lactuca, endiuia, acetosa, & similes. In cordis uero passione, quæ non nisi ex nimia uaporum calidorum accuitate in ipso est, administrentur cordi cõferentia, ut est elecma cum floribus buglossæ, boraginis, uiolarum saccharo conditis, uerbi gratia ex unoquoq; ℥.i. addentur margaritarum præparatarum, fragmentorum corallorum ana ʒ. i. & cum syrupo de acetositate citri fiat elecma, de quo sæpissime lambẽdo accipiat, propinetur etiam epithema cordi: quod fit hoc modo. ℞ aquarum buglossæ, boraginis, endiuiæ, acetosæ, rosaceæ, ana ℥.iii. aceti albi. .i. specierum cordialium temperatarum. ʒ.ii. & in mulieribus hæ species sint sine odore, & misce, atq; tepida admoueatur lateri sinistro circa regionem cordis. At si uigiliæ fuerint, comedat lactucam post cibum, inunguẽturq; tempora oleo uiolaceo, uel de nenufare, uel unguento populeone, odoret etiam uiolas, nympheam, lactucam, uel decoctũ ex his, & ubi etiam papauer, & radi ces mãdragoræ, cum istis bullierint, ualentius somnum prouocabis. Quod si dicta non ex omni parte contulerint, duabus horis post cœnam detur emul

ſto ſeminum papaueris, aut ſyrupus de papauere. ℥.i. ʒ.uel ii cum aquis lactucæ, nymphææ, quã etiam nenufarem uocãt, & ſimilibus. Et quoniam ſæpisſime febrientes in ſomnũ profundum inclinantur, huic accidenti ſuccurratur fricationibus extremitatum, & appoſitione cucurbitularum ad nates, & ſcapulas: odoret etiam acetum. Et ubi ſomnus grauisſimus fuerit diſſoluatur in aceto caſtoreum, & ad nares admoueatur: fiant ligaturæ doloroſæ coxis & aliis extremitatibus. In uirtutis uero debilitate omnis diligentia apponenda eſt: etenim deficiente uirtute, inſtrumenta medicinalia minime iuuare poſſunt. Quare Galenus nos admonuit, ut oculum dexterum ad uirtutem, & ſiniſtrum ad ægritudinem dirigamus: & ubi deficerit uirtus, ambo ad ipſam uirtutem dirigantur. Et ideo cibandi ſunt cibis qui minore quantitate plurimum inſtaurare ualeãt: ſint tamen modeſtè refrigerantes. Adminiſtrentur igitur oua ſorbilia uel contuſa in iure capi, in quo decoctæ ſint boragines bugloſſum, & ſimiles. Detur etiam carnes optimæ, & inter cætera aqua carnis ſtillatitia plurimum confert, decocto ſcilicet prius gallinaceus pullus ĩ aquis bugloſſæ, & endiuiæ, quæ hæc tota materia per ſublimationem in elambico poſita ad ignem deſtilletur: de qua detur patienti ad libitum, uel fiat aqua carnis in duplici uaſe, & ut aiunt, per balneum Mariæ, uel per expresſionem cum prælo prius aſſata carne. Rigores uero ſi laborioſi ſint, ſuccurrantur eis ante eorum aduentum ungendo ſpinam dorſi oleo anethino, uel alio conſimili, uel lauatione crurium cum aqua dulci, in qua anethum ebullierit. Et hæc ſatis de accidentium regiminæ.

Sequar deinceps de ſignis, & cura tertiæ ſpeciei febris, quæ ex putredinæ atræ bilis, ſeu humoris melancholici fit. Hæc quidem febris aliquando continens eſt, & ſæpisſimè intermittens, frequentisſimè autumno euenire ſolet, præſertim corporibus humore melancholico abundantibus. Et tametſi quartanam incipientem multoties uiderim, tamen ut plurimum poſt alias febres putridas hæc accidere conſueuit, præſertim uero poſt tertianas.

Signa, quibus quartanam cognoſcimus, ſi intermittens eſt; ſunt in primis quoniam incipit cum rigore ſimile ſatis rigori illorum qui hyeme à frigore moleſtantur: & procedit ſenſim,

ac ſenſim inclinat cum muſculorum contractione: poſt quem incipit calor, qui non uehemens eſt, & a principio ſibi aſſotiat leuem quandam horripilationem, quæ horripilatio in uigore huius principii recedit. Poſt quem uniuerſum corpus incalet calore æſtuoſo, non acri, niſi impediatur. Pulſus a princiꝛ pio nullam magnitudinem oſtendit, ſed eſt rarus, & tardus; mox augente calore, fit alicuius magnitudinis, uelocitatis, & frequentiæ cum diuerſitate. Vrinæ ſunt ſubrubeæ cum aliꝛ quali fuſcedine, & ſæpe non craſſæ, atq; ſine concoctionis per plurimos dies ſignis. Eadem etiam ſunt ſigna in continua ſiue continente, ubi materia intra uenas putreſcit, præterquam quo'd nullus apparet rigor, & quarta die magis exacerbatur. Vnum tamen non prætcrierim, & eſt quo'd humores omnes ad melancholiæ naturam ſæpisſime cõuertuntur, qui poſtea putreſcentes febrem quartanam faciunt, & ea ratione accidēꝛ tia in talibus febribus; & fortiora, & mitiora ſunt, uidelicet ſeꝛ cundũ naturã humoris in melancholiã conuerſi. Illud etiã animaduertendum ſuadeo, quoniam non parum in curatione reꝛ fert ſcilicet naturã humoris, tam in præparando, q̃ in euacuendo cognoſcere. Etenim ſi humor putreſcens cognitus ſit, faciꝛ le poſſumus medicinam ad illum eligere, & ſecundum eius naturam, & exigentiam diuerſis ingeniis eum euacuare: puta ſi ſanguis ad naturam melancholiæ fuerit conuerſus, uel humoꝛ rem melancholicum cum ſanguine admixtũ cognoueris, tunc in caſu uenam aperire a principio, & plurimum ſanguinis educere eſt optimum auxilium. Obſeruare tamen oportet dicta Galeni primo ad Glauconem, & Auicennæ prima quarti canonis, uidelicet ſi medici uiderint ſanguinem ſubtilem rubeum, & clarum: claudant uenam, neq; ſanguinem mittere audeant, ſed aliis remediis ſanitatem procurrent. Igitur poſt hoc ad alia auxilia tranſcire oportet, & primo ad regimen refrigerans ſæꝛ pe ſuperius dictũ, quod nullo modo posſit, aut obſtruere, aut humores craſſos reddere. Quare cibi ſint ex illis, qui mediocriter refrigerent, neq; tenuis omnino dieta a principio cõuenit. Detur itaq; iuſculum hordeaceum, uel panis coctus in iure carnium, in quo decoquantur radices bugloſſæ, endiniæ, fœnicuꝛ li, petroſelini, & ſimilium, uel ſemina dictarum herbarum, & hoc ſecundum diuerſitatem materiæ obſtruentis, & putreſcēꝛ

tis.

tis. In quartana etiã semper animaduertere oportet lienis obstructiones, uel duritiẽ cum raro illa fiat, quin, uel doleat liẽ, uel tumidus sit: quod cum adest, deterior, & difficilior ad sanãdum febris erit. Quapropter miscenda erunt, tam in cibariis, quàm in potionibus præparantibus materiam, ea quæ lieni opitulantur, ut sunt cappares, & eorum radices, & similiter radices tamarisci, & folia scolopendriæ, & similia. Accipiant igitur syrupos de fumoterræ de buglossa, oxymel compositum in minori, tam quantitate propter acetum cum aquis scolopendriæ, buglossæ boraginis capillorum ueneris, & similium, uel cũ decocto radicũ capparũ, scolopẽdriæ, tamarisci lupulorũ, & similium. Neq; à principio euacuãdi sunt, quartanam patiẽtes medicinis fortibus: attamen si repletio fuerit, euacuentur chysteribus lenientibus, uel detur desuper lenitiuum ex decocto passularum, senæ, & ex similibus, quoniam præter communes superfluitates, & eos humores qui uicini intestinorum sunt, minime alios humores educere possunt. Et cum humor melancholicus euacuationi rebellis sit, & non nisi per multos dies præparari posſit, à principio ab exquisitè euacuantibus abstinendum est. At cum materia præparata fuerit, quòd cognoscitur, ex bonitate substantiæ caloris & hypostasis urinæ, conueniunt medicinæ euacuantes sensim, & secundam naturam humoris, siue sint melancholici, siue ad naturam melancholiæ conuersi. Et tunc commodè datur, Electuarium lenitiuum, uel dia senæ, aut syrupus de pomis compositus simul, uel per se dissolutus in aquis fumiterræ, & boraginis, uel cũ decocto epithymi, senæ, polypodii, tamarisci, florum buglossæ, boraginis, & similium. Sed ubi ex adustione choleræ melancholia fuerit, rhabarbarum summoperæ præter dicta conducit. At si ex pituita adusta fuerit, uel ex admistione ipsius, agaricus non est prætermittendus, quoniam non solum euacuat humores putridos, uerumetiam lieni qui ut plurimum in istis laborat, prodest: qui lien si doleat, uel tumidus sit, post purgationem inungatur cum pinguedine gallinæ, oleo amigdalarum dulcium, & de capparibus unà cum modico amoniaci in aceto dissoluti. Sicq; procedatur euacuando sensim usq; ad inclinationem si digesta fuerit, & præparata materia, postea dentur roborantia uiscera principalia in declinatione, ut est theriaca, aut mithri-

datica confectio uel alia secundum patientis dispositionem.

Et quoniam sæpe rigores ita uehementes sunt, ut egeant præsentaneis auxiliis, ideo hoc in casu per horam ante accessionem ungatur spina dorsi uniuersa oleo rutaceo, anethino, & de scorpionibus commixtis. Quod si alia accidentia fortia apparuerint, ut est dolor capitis, sitis, uel cordis passio auxilientur istis remediis, & medicinis superius de acutis dictis.

Vltima species febris putridæ est illa, quæ ex putredine pituitæ fit, quæ pituita aliquando est naturalis, & aliquando nõ naturalis putrescens. Et accidit hæc febris corporibus pituitosis, qualia sunt muliebria, & infantium corpora, ac etiam uictu pituitoso utentia, atq; in regionibus frigidis, & humidis habitantia. Hæc uero febris apud nos raro accidit. Signa hæc sunt intermittentis, primo namq; incipit cum aliquali typo, & horrore, aut frigore quodam, & hoc quotidie: Incipiente ab extremitatibus. Quod frigus consequitur calor non difficilis, qui non manifestat, ne q; prõpte procedit, sed sensim ad augumentum tendit, neq; tangenti manum importunus, aut molestus est. Pulsus frequens, uehemens, inæqualis, & sine magnitudine est. Hi neq; spirandi difficultatem, neq; sitim, neq; siccitatem aliquam in partibus corporis, neq; sudorem habent. Et molestantur a calore putredinali non minus spatio decem & octo horarum. Vrinæ sunt albæ, tenues, sæpe etiam, & aquosæ, aliquando crassæ sine colore. Excremẽta omnia reliqua pituitosa sunt, tam uentris inferioris, quàm superioris, ut sunt sputamina, & similia. Quæ etsi omnia accidentia mitiora sint, cum subiectum putredinis, & frigidum, & crassum sit: ob eius tamẽ longitudinem, non caret discrimine.

Altera illa est, in qua materia putrescit intra uenas, & continua dicitur, quæ similis interpollata in omnibus existit, præterquam quod nullum frigus aut horror patientem molestat.

Curantur hæ febres regiminæ aeris, in primis nõ refrigerãtis ualida refrigeratione, sicuti in aliis putridis, sed contemperatis potius, ut puta cum aliqua calefactione. Quare in cubiculo, si hyeme fuerit accendatur ignes, cibiq;, & fercula sint decocta, in iure carnium optimarum, & etiam cum radicibus, & seminibus, in quibus sit uirtus, tum aperiendi, tum incidendi,

tum etiam extenuandi, ut sunt radices petroselini, fœniculi, apii, & eorum semina, sint etiam cibi aspersi cinamomo, & similibus aromatis. Potus uero fiat ex aqua hordei cum pipere uel cinamomo. Quod si stomachi imbecilli causa uinum dare uolueris, detur album, leuæ, & quod minime accidum sit. Neque subtilis dicta in primis diebus conuenit, cum status in hac febre longinquus sit. Vtatur igitur mediocri dicta. Et cũ morbus consistit, uti tenui diæta melius est, & ante cibũ fiant quotidie fricationes per uniuersum corpus, quæ quidem sint fortes. Medicinale quoque regimen sit cum illis, quæ aperiunt, incidunt, & extenuant, ut puta, si uenter sponte non fluxerit, utatur clysteribus cõmunibus cum mercuriali, & seminibus cartami coctis; & loco olei communis apponatur oleum rutaceũ, addatur hieraque picra, & sal.

Præterea præparetur materia cũ oxymelle de duabus, uel tribus radicibus, & melle rosaceo, aut cum syrupo bisantino, cum aceto, & lymphentur, cum decocto radicũ apii, fœniculi, & petroselini, uel cum seminibus eorum, aut cum aquis stillatitiis earundem rerum.

Et quoniam in istis uentriculus laborat, & præsertim eius os, ideo optimum erit ungere regionem stomachi, cum oleo de spica, de absinthio, de mastichę, additis speciebus aromatici rosati, uel diagalangæ, & parum ceræ, ita ut ad formam linimenti redigatur.

Sed quoniam materia putrescens pituita illa est, quæ pro maiori parte in stomacho generatur, ibique putrescit quamuis uera pituita in iocinore ante sauguinis generationem gignatur, ex qua membra pituitosa nutriuntur: & quoniam etiam in reliquis membris particularibus, & in ambitu totius corporis pituita putrescit. Ideo commode in hoc casu, & cum non modica alleuiatione per uomitum eam, quæ in uentriculo est euacuare potes. Quare ne illa quæ in uentriculo, & in uenis simul putrescat, in talibus prouocare uomitũ singularissimum præsidium ad materiam est. Quod fieri potest, cum euomitiuis leuibus, ut puta, cum aqua tepida, & modico olei, & aceti, post cuius assumptionem imponatur digitus in gutture, aut pẽna, & excitetur uomitus. Hoc idem potest fieri cum decocto raphani tepido ebibito, quod melius fit ab assumpto cibo, cum

materia pituitosa commixta cibo facilius egrediatur. Conducunt etiam in hac febre apparente concoctione in urinis quoque, per inferius materiam facientem morbum educere, ut puta, cum electuario de dactilis, uel cum electuario indo, cum turbith uel agarico. Sed inter cætera medicamina hieræ ipsæ ad materiæ euacuationem, & uenticuli confortationem optime conducunt, & præsertim compositæ, ut est hiera logodion, & hiera Pachi, quam scripsit Scribonius largus. Dissoluantur in decocto absinthii, radicum fœniculi, apii, polypodii, & similium. Non tamen exquisite euacuationes expediũt, sed sensim educere oportet, & in minori quantitate, ita ut pluribus factis euacuationibus materia sensim educatur. Post quas euacuationes expedit membra naturalia roborare, & præter illinitionem regionis stomachi dandæ sunt cõfectiones, ut est aromaticum rosatũ diagalanga confectio pluris arcoticum, & triũ pipereum, gingiber, conditum, & similes.

At si febris ex putredine pituitæ non naturalis fuerit scilicet ex uitreo, uel acetoso, uel salso phlemate, & cognoscitur per eius accidentia fortiora in eis. Nam in intermittente rigores sunt uehemẽtiores, & caliditas in uitreo, & acetoso minor, sed in salso acuta est caliditas. Quod si eiusmodi humor intra uenas propinquas cordi putrescit, causonem efficit. Et cura dictarum febrium differt secundum materiæ diuersitatem: nam ubi materia frigidior est, calidioribus, tum regimine, tum etiã medicinis utendum est, sed si humor salsus fuerit refrigerantia remedia magis expostulat. At si fuerint hæ febres, cũ animi defectione, (eas medici syncopales uocãt,) quæ nõ sine maximo discrimine sunt: nempe egent præsentaneis remediis, tum cor roborando, tum humores euacuando, tum etiam uirtutem instaurando cum illis, quæ nullo modo aggrauare, resoluere, aut suffocare uirtutem possunt. In talibus antequã uirtus deficiat, necesse est remedia applicare; differre enim malum est.

Et quoniam febres pestilentiales, ut plurimum humorales sunt, tametsi in unoquoq; genere febrium hoc accidens, siue hæc malignitas pestifera admisceri potest; ideo expedit in fine putridarum, ut de pestilentibus aliquid dicamus. Quæ cognoscuntur quoniam sunt uulgares, & communes omnibus, cum ab aere putrido pestillentiali primo pendeãt, tametsi etiã

quæ

quædam à malignitate, ob maximam putredinem in humori/bus pestilentes dictæ, ut scribit Galenus in libello de differen/tiis febrium.

Signa quibus cognoscunt hæc sunt. ut scilicet exterius quie ta sit, & iterius cõturbet, ita ut láguidi, anxii, & inqeti sint, præter aliquam notabilem caloris acredinem, & aliquando cum uehementissimo calore exterius intus quoque conturbantur. Pulsus sæpe à principio, etsi mutatus sit à naturali sua disposi/tione, non tamen plurimum mutatur, præterquam in depræs/sionibus, quæ maiores sunt eleuationibus. Postea procedente febre malignitatem pestilentem modis diuersis ostendit. Ná & magnus fit cũ calor augetur in corde; & debilis etiam si ma/litia pestilentiali spiritus cordis iam infecti fuerint. Vrinæ ut plurimum conturbatæ, liuidæ, & subiugales minguntur, Neque eodem modo semper se habent, cum & uirides, & rubeæ, & cla ræ, limpidæ, ac etiam sæpissime sine aliqua nebula inspiciá tur imo (ut dixit princeps Auicenna) sæpe, & pulsus bonus, & Vri na bona uidetur, & tamen ægrotus moritur. Quare difficiles habentur. Sunt & accidétia malignitatem pestiferam ostendẽ tia, ut pustulæ gutturis, & palati, & linguæ nigredo, atque etiam alchola, siue gutturis ulcera, uigiliæ, alienatio, hypochondrio rum tensio, quod nunquam nõ est in tali febre, sæpissime etiá apparent maculæ in aliquibus partibus corporis, & etiá in uni uersum, sed præsertim in dorso, & pectore, quæ & quantitate & colore diuersæ sunt. Sed quæ nigræ, uel liuidæ apparent, de/teriores existunt; rubeæ, & albicátes, salubriores sunt. Quic/quid tamen sit, qui hanc febrem patiuntur, si plurima maligni/gnitas in humoribus existit quod cognoscitur. Ex intrinseca plurima conturbatione, & seuitate accidentium, ut pluri/mum pereunt.

Cura prima in aeris extrinseci rectificatione, & spiritus cor dis roboratione in maiori parte fundatur. Igit primũ aeré pe/stilétialem igne rectificare oportet, (ut docuit) Hyp. & Galen. deinde eá quæ putrediné prohibent administrabis, quæ etiam cor roborent, ut est aspersio cubiculi, ubi ægrotus manet, ex aqua permixta aceto, & aqua rosacea, & aliis bene redolétibus, ut sunt citria, poma & aliqua alia consimilia non multæ eleua tæ caliditatis, Sed qualiacunque fuerint rectificantia aerem, ut

exiccét necesse est. Reliquæ etiam res necessariæ sint eiusdem uirtutis, ut præterquam quo'd nutriant, spiritus cordis etiam roborét, & ideo cibi sint ex optimis carnibus, ut sunt pulli gallinacei, & similes, in quorum numero, sint fercula, ut est ptissana, & similia exicantia quoq; modo, & sint cibi conditi cũ aceto, uel cum aliis acidis bene redolentibus, in quibus non sit stipticitas insignis. Quare succi aranciæ limonum, citriorum, & uuæ accetosæ sunt optimi. Vinum omnimodo a' principio usque ad iclinationem interdicatur: cum ob eius penetrationem caloris acuitatem, & etiam materiam uenenosam ad cor penetrare faciat. Potus sit aquæ stillatitiæ, acetosæ, cichorei, buglossæ, boraginis, & similium: uel sit aqua fontis, decocta cum hordeo, cum suo cortice, uel cum seminibus acetosæ, citri, & similium, quibus cum syrupus acetosus, uel de acoræ citri, uel acetosus simplex, & similes commiscentur. Et hac in febre cum plurimum soliciti simus de uirtute, dentur omnino ea quæ uirtutem manu tenere possint, ut sunt carnes prædictas, perdicum, phasiani, hædinæ, & huiusmodi. Détur etiam matutinis horis, & etiam uespertinis ad præparandam materiam, & eius malignitatem extinguendam, syrupi de acoræ citri, de succo acetosæ, acetosi simplices, & similes, cum decocto cichorei, intybi, cereris folii, buglossæ, & similima. Et ut admonuit nos Galenus primo de differentiis febrium, studendum est exiccationi, cum illis quæ repletionem tollunt. Quapropter si uenter non sponte fluxerit, administrentur clysteria communia, (ut aiunt) mox cum materia furiosa, & turgida sit, reliquæ corporis humiditates superfluæ euacuentur. Et quoniam aperire uenam post quartum diem non sine maximo discrimine uitæ sit cum ex ea materia ad cor reuocetur, ideo ubi aliqua indicatio ad aperiendam uenam admonuerit, loco missionis sanguinis p uenæ apertionem, apponantur cucurbitulæ dorso, natibus, & coxis; sicq; sanguis euacuetur secundum tolerantiam uirtutis, & exigétiam morbi. Illud etiá notare oportet, quo'd ante quartum diem in corporibus biliosis aperire uenam suspectum est. & etiam si non sint biliosa, cum signa putredinis choleræ apparent, & urinæ subtiles & igneæ sunt. At si corpus sanguineum fuerit, plurimoq; sanguine abũdet audacter uenam seccari potest. Sed præter sanguinis missionem euacuentur quoq; cæte-

tæ humiditates putridæ, uel qualitercunq; superfluæ, cum illis quæ non moleste educunt, ut est casia, manna, decoctio tamarindorum, syrupus rosaceus solutiuus, diacatholicon. Quibus cum memore esse oportet, ut aliquid triferæ persicæ commisceatur. Possunt dicta medicamina dissolui cum decocto tamarindorum, passularum, seminum citri, acetosæ, foliorum boraginis, buglossæ, & similium: quo'd si etiam rhabarbarum infunditur in decocto dicto, præsertim quando iam morbus processerit, feliciorem inuenies euacuationẽ. Vnum tamẽ nõ præter mittã, quo'd si pilulæ cõmunes Rufi sæpe exhibeant, uel solæ, cum aliquo syrupo ex iam dictis, liberant a' malignitate pestilentiali, dũ tamen istæ euacuationes fiũt, administrentur cordis roboratiua, & quæ uenenis resistunt, tam intus, qua'm extra, ut puta accipe sacchari rosacei, buglossati, boraginati, añ. ℥.i. margaritarum præparatarum, fragmentorum de gemmis, terræ lemniæ, uel boli Armenii orientalis añ. ʒ. i. fiat electuarium cum syrupo de acoræ citri, & detur sæpissime' patienti, & præsertim, ante cibum. Fiat quoq; sacculus cordi exterius, ut puta ℞. specierum cordialium. ℥. i. florum buglossæ, boraginis, uiolarum añ. ʒ. ii. seminum citri. ʒ. iiii. fiat ex eis puluis, & pone eum in sacculo serico purpureo, & apponatur regioni cordis, & quoniam (ut dixi) maxima intentio est ad uirtutẽ in his febribus, ideo si uirtus imbecilla fuerit, addatur in cibariis aqua carnis, facta in duplici uase, uel per expræssionem cum prælo, & inter cibum, & cibum, detur aqua stillatitia ex iure, & carne pulli decocti in aquis buglossæ, & acetosæ. Reliquis uero accidentibus, uidelicet dolori capitis, siti, delirio, & reliquis iam dictis succureantur, ut dictum est superius de accidentibus putridarum.

Reliquum est istis expeditis tertium genus febrium tractare, in quo calor præter naturam in membris radicalibus iam habitum contraxit, & eius humiditatem radicalem consumit. Quam febrem habitudinalem Latini, Græci hæcticam uocãt & habet latitudinem. Per quã tres differentias medici ponũt. Et hac ratione primã secũdã, & tertiã speciẽ febris hecticæ describunt. Prima sane' est, cum a' caliditate præter naturam, humiditates in mẽbro absumptæ sunt, sicut oleum lucernæ. Secũda est; si calor, præterquam quo'd consumpserit humiditatem

in corde, etiam eam quæ imbibita in eius substantia absumere incipiat: siccuti. Si calor oleum in lychnio imbibito iam absumere incipiat. tertia uero erit: si pter humiditates cordis, & reliquorũ mẽbrorũ, oẽs humiditates colliquauerit ac consumpserit: sicuti si flãma lucernæ oleũ cõiũctũ, præterdictas humiditates lychnium etiã exiccet. Et hãc uocant marasmum, siue hecticam senilem: quæ nullam nisi paliatiuam curationem suscipit neque uera est febris, cum in ea nulla caliditas existat dicebat nanq; princeps Auicenna si huic febri aliquod ingenium esset ad eius curationem, morti etiam ingenium haberemus.

Signa uero febrium dictarum sunt in primis caliditas, sed non ita acris, ut in multis putridis assolet, sed tangenti primo mitis apparet, deinde permanente manu super arteriam fortius in ipsam imprimit, ita ut calor magis, ac magis in manum agat, & fortius imprimat, deinde calor per uniuersum æqualis est sine itermissione, & accessione: qui calor semp a cibo augetur, & est proprium, & inseparabile signum in hæctica, & tametsi in putrida aliquando ita fiat, non tam sic manifestus est. Pulsus est paruus, debilis, frequens, durus, & manens uno, & eodem ordine.

Prima species difficilis cognitu est, cura uero facilis, secunda facilius cognoscitur, & clarescit ex signis iam dictis, & etiã, quoniam consumptio quædam, & ariditas in uniuersum corpus apparet. Vrinæ aliquantum unctuose sunt, & ustionem in odore præ se ferentes. Et hæc febris tametsi sanari potest, non tamen sine difficultate maxima. De tertia autem specie hecticæ quæ uere febris nõ est, cum in ea uniuersi corporis macie, & humiditatis cõsumptio sit, nemo ambigit: nã in hac præter uniuersi corporis cõsumptionẽ, adest oculorũ cauitas, & tẽpora collapsa sunt, & ariditas purulenta in uniuersum est, sine aliqua caliditate. Et hæc minime sanari (ut dixi,) potest.

Curatio est in prima, & secunda specie humectatio, & refrigeratio. Quare quiescant, & in aere frigido, & humido maneat, qui aer si non naturalis fuerit, præparetur per aspersionem aquæ dulcis, & foliorum, & florum frigidorum. Cibi sint ex optimis carnibus, cum foliis lactucæ, endiuiæ, portulacæ, boraginis, & similium coctis. Fercula sint ex hordeo, uel ex di-

ctis herbis,uel ex ouis confusis in iure, & succo uuæ acerbæ. Vinum sit pauciferum,& multa aqua permixtum.

At quoniam sunt quædam quæ sua qualitate,uel prima,uel secunda optime conducũt,ut sunt pisces saxatiles, & fluuiales quidam, & cancri, etiam fluuiales, testudines, & cochleæ. Ideo si ex eis comedantur, optimus in casu erit cibus. Fructus etiam horari,qui frigidi,& humidi sunt,iuuant sua qualitate, ut poma,pira,persica,pepones,uua,& similes. Sed inter cætera quæ maxime conducunt,ac præter refrigerationem plurimũ instaurant,est lac mulieris,post hoc asininum, deinde caprinum,& reliqua lactis genera.

Sed cum hic morbus minime materialis sit,à quacunq; euacuatione per secessum in eius cura abstinere oportet, præter quam ab illa quæ per clysteria mollientia, & refrigerantia fiunt,quæ sint ex decocto foliorum uiolarum,lactucæ, & similium,cum oleo uiolaceo,uel nenufarino,

Sed ex illis quæ extra applicitis sũmopere profunt,est lauare,crura aqua dulcis tepida,i qua aqua si bullierint folia lactucæ,nenufaris,uiolæ,& similes,optimum erit auxilium, & præ aliis summoperæ conducit. deinde mox post lauationem inungere uniuersum corpus præsertim pectus,& dorsum oleo uiolaceo,rosaceo, uel nenufarino, & similibus plurimum iuuat. Et hæc sunt, quæ primam, & secundam speciem huius febris sanare possunt. Tertia uero etsi curari non potest, uitam tamẽ eorum prorogare possumus,& hoc regimine modeste calefaciente,& humectante,ut sunt optimi cibi ex optimis carnibus ac fercula ex farre,& similibus in eorum iure: Vina etiam mitia plurimum iuuant. Et inter cætera clysteria ex iure optimarum carnium,cum ouis in eo confusis calfaciunt, & humectãt modeste,ac etiam nutriunt.

Satisfecisse huic nostro compendiolo puto, si etiam compositarum febrium signa,& curam, ex his, quæ superius scripsi, declarauero. Quas compositiones complicationesue facile cognoscimus. postquam omnes simplices,& singulares cognouerimus,nempe sæpe febri unius generis,cum alia alterius generis complicatur, ut putrida cum hæctica,uel unius speciei, cum altera suæ speciei,ut intermittens,& conclusa, siue continua tertiana. Similiter duæ,& plures tertianæ,& quartanæ,&

quotidianæ,ac etiã unius speciei putridarum alterius speciei, sicuti tertiana,cum quartana,& quotidiana & non tantum cõplicet,sed sæpe etiã cõfunduntur,ut fit,si cõtinua,cũ cõtinua,cõplicet,uel intermittens cũ intermittente,i hoc quicquid tamẽ sit,cognoscuntur nõ nisi a pitisimis,& expimẽtisimis medicis p signa inter se complicata,tam essentialia,quàm accidentalia.

Cura harum erit simplicium febrium commixta, ut puta,si hæctica,& putrida complicentur, alteretur aer ad humidum, & frigidum,cũ aspersione, & foliis ut superius admonui, mox euacuentur putridi humores, si concoctionis signa apparuerint,& hoc cum medicinis leuibus,ut est casia manna,syrupus rosaceus solutiuus. At si materia putrida crassa fuerit,agaricus commiscendus erit, uel aliqua alia medicina humorem crassum euacuans,quæ nullo modo,& caliditatem reliquat in mẽbris,post euacuationem,nec corpus exiccare posit. Neq; in istis euacuationes exquisitæ tutæ sunt. Quare,tam in quantitate,quàm in qualitate medici medio modo se habẽtes procedant. Non tamen negligenda est hæctica febris. Nam postquã putrida sanata fuerit,utere regimine febrium hæcticarũ pauloante dicto,& lauatione in aquis dulcibus.

At in compositis febribus putridis omnia composita sint, tam in regimine,quàm in medicaminibus. Porrò si hemitriteus fuerit (ut aiunt Græci) Latinis uero semitertiana, & est composita ex quotidiana,& tertiana, siue ex materia pituitosa,& biliosa seorsum putrescentibus,medicentur (ut dixi) regimine composito secundum quòd magis altera alteri prædominium uidetur. Quod ex signis facilè medicus habebit. Nam si cholera præpollet, rigores fiunt maiores, & etiam calor magis mordax apparet cũ reliquis signis in tertiana dictis. Et hoc in casu ea quæ,& præparant materiam, plurima cholera admixtam, sunt ex usu, & eandem etiam euacuant. Econtra si materia pituitosa superauerit, nullus ferè horror est,aut si est,paruus adest: mitis quoq; calor uidetur, non sitiunt,sicq; in aliis reliquis accidentibus quotidianæ familiaribus uidebis. Et ideo in istis conueniunt, tam in præparando, quàm in euacuando ea quæ humores crassos pituitosos præparant,& educunt,ut sunt oxymel compositum, & syrupus de absinthio,& in euacuando agaricus. Similiter cognoscimus.

alias febres complicatas, ut tertiana, cũ quartana, & quotidia/
ex signis singularium febrium commixtis. Ad quorum curatio
nem si æquales sunt, æqualia unius, & alterius febrium reme/
dia alterantia in eorum cura commiscenda sunt, quod si altera
prædomium habuerit, ut puta, si humor melancholicus præ/
dominauerit, intentio, tam in præparando, quàm in euacuan
do ad illum magis dirigatur, nimirum, cum syrupo de fumo/
terreæ, de buglossa, cum sena, & epithimo. At si cholera su/
perabundauerit, cum endiuia, & cichoreo, reubarbaro, & simi
libus, ita ut semper principalis intentio ad prædominantem,
& magis periculosum adhibeatur non neglectis aliis. Et cum
in omnibus iam remedia, & regimen dearticulatim satis
tetigerim, per illa, composita compositæ mederi possunt.
Habes clarissime, ac doctissime Hieronyme breue quàm po/
tui de dignotione febrium, & curis earum opusculum. Quod
si satis tibi feci, gaudeo quidem; si minus, dabis ueniam. Scis
enim me siue intermissione ægrotantium curas nauare. Vale.
Venetiis. M. D. XLV. V. Cal. Ianu.

AD EXCELLENTISSIMVM PAVLVM
Magnolum e' burno brixiensem, Epistola. VIII.
de ratione anticipationis, & postpositio/
nis, accessionum in febribus.



CVM Sæpe inter nos de philosophia, ac re medica colloquiũ de more fuerit, & de ratione anticipatio nis, & postpositionis accessionũ in febribus ince ptus fuerit sermo, & illũ ægrotantũ multitudo ui sitandorũ subinde interrupit: hæc tibi ad pfectio nẽ incepti sermonis scribere, nata occasione scribẽdi uolui, ex quorũ lectione quam morbi, & uirtutis, uel malitiam, aut bo/ nitatem cognoscere facilius poteris, & iis præcognoscere de tẽ poribus, & exitu febris, ac etiam quid in cura ægris, & astan/ tibus dicendum, & iniungendum ratione ualebis. Quam qui/ dẽ speculationẽ libẽs antea aggressus essem, sed (ut dixi) raro mihi contingit ab ægrotantium uisitatione uacatio; ut aliquã do carissimis idq; petentibus amicis, aliquid (ut ita dicam)

ingeniosi scribere possim, præsertim tibi mi Magnole amicorũ optime quem semper ob mores modestissimos, & rará doctrinam non solum dilexi, uerum & uehementer amaui, semperq; amabo. Etenim nulla res mihi antiquior est quàm uel amicorum in me beneuolentia uel eorundem charitate. Ita ut in omni mea ætate ego me felicissimum esse putarim, cum amicis, & præsertim bonarum artium professoribus gratificarer, & inter eos tibi plurimum in cuius hæc gratia scribo, confisus tuo in me etiam amore ad communem ægrotantium utilitatem. Quòd si homo negotiosus aliquid non ex omni parte perfecero, tua moderata uirtus, & accommodata doctrina supplebit. Hæc autem ipsa dubitatio non tantum nostrum suspensum detinuit animum, uerum etiam, & antiquorum, & recentiorum, quamplurimorũ, qui inter se hac de re proculdubio dissentire uidentur. Ego uero quicquid alii dixerint dimissis illorum altercationibus, pro uirili ipse rationibus, & antiquorum authoritatibus innixus ueritatem ostendam, Quæstio igitur est in morbis materiatis, quibus sunt accessione, ut in febribus intermittẽtibus, uerbi gratia, tertiana, quartana, atq; etiam in quotidiana, quid accessionũ anticipatio, & postpositio significet, augumentum ne, an declinationem ostẽdat. Quàm quæstionem minori cum labore declarabo, si prius modos omnes accessionum, qui præter anticipationes, aut postpositiones simplices in febribus euenire solent, attigero. Et est quod aliquando febres nullo penitus mutatus horarum ordine eodem semper tenore procedunt, & aliquando mutant quidem, sed ita uarie inconstanterq;, ut modo anticipando, modo postponendo usq; ad uigorem procedant. Atq; ita quatuor nobis notanda exoriuntur, scilicet, quid in primis dicendum sit, si semper uno temporis ordine seruato, neq; anticipando, neq; postponendo processerit, deinde si semper anticipãdo, postea si semper postponendo accessiones progrediãtur. Quæ ut clarius appareat, ponam causa exempli tertianam febrem intermittentem ex putredine bilis nothæ, quæ febris seruet per omnes suas tertianas accessiones certam firmamq; horam, puta quartam diei, quæ finiat sequenti die ad decimam diei horam, sine aliqua prorsus mutatione temporis. Hoc in casu accedente accessione semper una hora, si etiam tempus caliditatis febrilis unà cũ

caloris modo fuerit æquale, nullo etiam digestionis signo apparente, tum in ipso lotio, tum etiam in aliis. Principium ægritudinis esse ostendit, etenim processus iste æqualitatem potentiæ uirtutis, & materiæ morbi ostendit, tum in quantitate, tum etiam in qualitate, ita ut neutra uincente idem ser uetur tenor. Sicq; tandiu principium esse dicere oportet, quandiu æquales fuerint accessiones, sine digestionis signis. quæ sententia habetur ex primo de crisibus à Galeno, & quoq; ab Auicenna prima quarti, de cognitione horarum ægritudinis, id quod affirmare eò facilius possumus, si uirtutē contra morbum pugnantem cognouerimus, quæ uirtus si ualida fuerit in materia crassa, longum erit principium: si imbecillis, mortem, aut longitudinem morbi significabit, & est sententia Galeni in libello de temporibus totius morbi, & etiam in commento .xxx. quartæ particulæ Aphorismorum. Quò d si eadem semper hora incipiat mali iudicii est, siue longior, siue breuior sit paroxysmus in quo illud habemus mali iudicii: etenim, aut longitudinem, aut mortem significat. At si accessiones æquales fuerint, & lotium, & alia signa, coctionem ostenderint, uigorem morbi iudicare oportet. Si rationi, & Galeno tertio de Crisibus credimus, nam ubi uirtus concoctrix materiam præparauerit, uiceritq;, tum ipsa cessat atq; quiescit, uirtutis excretiuæ opus expectans, quæ (ut in cibis fit) excretiua coctricem subsequitur. Similiter & ipsa materia iam ferè uicta non amplius stimulans, neq; antecedendi, neq; postponendi causa est, sicq; fit æqualitas. Quò d si cum fortitudine uirtutis fuerit, breuem morbum illum fore dicimus. At si cum imbecillitate nō sine discrimine erit, & materia concocta longitudinem morbi proculdubio pronunciare possumus. Vigor igitur erit illud tempus, cum æquales fuerint accessiones, si plures fuerint, & etiam si maturationis signa in urina, & aliis excrementis uideris. Quod tempus ex nomenclatura clarum est, cum sic maneat, & eodem modo se habent per uniuersum spacium usq; ad inclinationem. Sed quod te magis audire uelle uideor uidere, est anticipantibus aut postponentibus accessionibus antiqui in temporibus morbi augmenti, ne, an, declinationis tempus esse cognouerint. Id quod, ut clarius esset, quomodo æqualis modus ac-

cesſionis aliquando principium ſignificat, & aliquando uigo-re, hactenus diximus: qui ſermo, tam etſi non ſit primũ quod quærebatur, iuuat tamen ad illis primi quæſiti inuentionẽ & ſcilicet, anticipatio poſtpoſitio, augmentũ, an inclinatio-nem oſtendat; cui dubitationi ut ſatiſfaciam, Dico anticipatio-nem augmentum oſtendere, ſi cum anticipatione tempus ca-liditatis longius, & caliditas maior una cum reliquis acciden-tibus, & incommodis fuerit præſertim ſi in lotio non appa-ruerint manifeſta coctionis ſigna. Et ratio eſt quoniam ma-teria ſua quantitate, aut qualitate propria, uel à uirtute præ-parante ſubtilior reddita, ſed non tamen benignior, & uirtu-te mouente ad laborem, ac etiam eam ſuperare conante citius mouetur anticipando, quoniam ſubtilior eſt, ſed non quòd uirtus materiam ſuperauerit, ſicq; fit anticipatio in augumen-to. At ſi anticipauerit acceſſio, & tempus paroxyſmi non eſ-ſet longius, & caliditas febrilis mitior, & cũ reliquis acciden tibus melioribus fuerit quæ in lotio ſigna cõcoctioniſq; ante apparuerint, declinatio oſtendit, propter materiam partim ſubtiliatam partim minorem redditam, & etiam quoniam uir-tus longe potentior ſuper ipſam facta eſt, & antecedit, & bre-uior eſt paroxyſmus. Similite ſi poſtponatur acceſſio, & tem-pus caloris, prorogetur, atque augeatur caliditas febrilis, fue-rintq; accidentia fortia, ſine apertis digeſtionionis in lotio ſi-gnis, augmentum morbi ſignificat. Id quod cauſam habet, & in dicat, quoniam materiam craſſam non ita fortaſſe ſtimulan-tem; uirtutem quæ debilem, quæ non poteſt eam regulare, ita ut ſit facilior ad motum, aut non ualde ſolicitatam, qua-re tardantur acceſſiones. Quòd ſi etiam poſtponatur ac-ceſſio, & tempus caloris breuior, & caliditas minor fuerit, accidentiaq; minora, cum ſignis coctionis in lotio, inclinatio-nem morbi proculdubio oſtendit. Quòd fiet materia craſſa non ita ſenſitiua membra ſtimulante, præſertim ſi etiam domi nata fuerit à calore naturali. Quo fit ut eius tardetur acceſſio, & ipſa in minnri tempore conſumentur, unde etiam caliditas minor cum aliis accidentibus apparebit, & in lotio hypoſta-ſis, ſiue nebula, lenis, alba, & æqualis, à qua medici ſignum proprium, & in ſeparabile digeſtionis, & ſalutis accipiunt ubi autem tantum una materia morbi fuerit, Hæc omnia à

Galeno accipiet qui libellum primum de Crisibus legere uoluerit, & ab Auicena qui si ea quæ prima quarti de cognitione horarum ægritudinis scripsit obseruabit. Qua ueritate sic exposita, illud etiam postremum animaduertendum est, quod etiam in exordio tetigi, uidelicet quod aliquando accessiones inconstantes sunt, ita ut nullum seruet ordinem, sed quandoque anticipãdo, & quandoque postponẽdo procedũt, & aliquando longiori tempore, & nonnunquam breuiori molestent. Quo fit, ut neque motus, neque tempora sint æqualia. Imo sæpe cum anticipatione tempus caliditatis breuius erit, & aliquando longius. Similiter etiam, & caliditatis quantitas, & tempus, sæpissime in postponentibus, nullo seruato ordine apparet, & causam eiusmodi diuersitatum referes, in materiæ diuersitatem, in crassitiæ, & subtilitate, & in multitudine, & paucitate mordicando, uel non mordicando, uel in uirtute, quæ uirtus à calore febrili aliquando minus ualida reddita non ita materiam regulare potest, uel in utrunque. Vnde plus, uel minus, in minori, uel in maiori tempore eam mouebit. Quòd cum apparuerit, & uirtus inualida fuerit, diuturnum ac non sine discrimine uitæ morbum iudicare oportet, præsertim in principio, & augmento: sed indeclinatione præter longitudinem, conuersionem etiam ad aliam deteriorem ægritudinẽ ostẽdit, ut puta in quartanam in hydropem, & in phthisim. Et ne aliqua ex parte ex superius dictis dubitare contingat, quædam adhuc ad clariorem doctrinam declarabo. Et in primis scire conducit æquales accessiones illas esse, quæ tam in principii, quàm in terminationis hora ordinem seruant æqualem. ita ut neque anticipient principia, neque postponant terminatinnes, sed eodem modo se habentes procedant per omnes suas accessiones, nulla etiam caloris, tum in quantitate, tum in qualitate mutatione facta. Siquid igitur horum mutauerit, qualiscunque fuerit illa mutatio, semper inæquales dicentur a ccessiones. Verbi gratia, si mutationes fuerint anticipando, uel postponendo, & tempus duratiouis æquale permanserit. Eiusmodi inequalitas ordinis dicetur. At si seruauerit unam horam principii, ut puta si prima hora, prima accessio cum secunda accessione in prima adhuc hora, & sic in reliquis, & nihilominus durationis tempus, aut maius, aut mi-

nus fuerit, inæquales etiam accessiones erunt. Et dicuntur inæqualitates temporis. Aliæ inæqualitates sunt, quæ cum in primis se teneant ex parte maioris, uel minoris caliditatis, prohibent denominare accessiones æquales. Similiter si in accidentibus diuersitas apparuerit prohibent ex parte ipsorum æqualitatem in accessionibus. Quæ ut omnia approbentur, uidere est Galenum primo de Crisibus, qui non solum admonet nos cognoscere anticipationes, & postpositiones accessionum, uerum etiam, & longitudinem temporis, & magnitudinem ac malitiam morbi, cum sæpe ex istis contrariæ fiant indicationes ab illis, quæ à motu sumebantur, & paulo infra iuquit (dicta comprobando) solam anticipationem augmenti minime satis idoneum signũ esse. Sicq; ex rationibus dictis, & ex Galeni sententia uides, quòd etsi anticipare, & postponere unum, & alterum significare possint, nihilominus si simpliciter considerentur neutrum significabunt, quoniam mores morbi plurimum dicta superiora mutant, ut puta si febris fuerit ex putredine illius cholerææ adustæ, quam minoris famæ, & mali moris dicunt, hæc materia cum sit maligna, & difficulter à natura reguletur moueaturq; symptomaticæ (ut dicimus) ac etiam sine ordine, quoniam sua malignitate, & acuitate stimulat membra, antequam præparetur, ita ut anticipare faciat accessiones, quæ potius perniciem, uel prorogationem ostendunt, cum non à uirtute (ut ita dicam) sua sponte, sed à qualitate mala irritata moueatur; ad quem motum subsequuntur ea accidentia, quæ malignitatem, & acuitatem ostendunt, ut est caliditas uehemens, pulsus inæqualiter inordinatus, inquietudines, dolor capitis, instantiæ uigilarum, sitis uehementissima, eradicationes difficiles, cum aliis non paucis malis accidentibus. Quæ cum apparent, siue anticipent, siue postponant accessiones, morbi augmentum denotant, & post uigorem longitudinem inclinationis si ad inclinationem deuenerit morbus, cum talis sit materia quæ præterquam quod uirtuti resistit, eam etiam imbecillem reddit. Quæ uirtus tametsi uicerit, nihilominus cum ex pugna, & reliquis infirma facta sit, diutius laborare oportet antequam, & residuum materiæ expellat, & se ipsam instauret. Vnde in

eius


eiusmodi febribus semper uigor tardus est, & inclinatio longa. Quam rem tetigit Galenus, in libello de Crisibus, & Auicenna prima quarti locis citatis. Porro autem quidam scribentes de eiusmodi materia multa ad motum maiorum siderum referunt, & in alias etiam causas: quæ etsi pulcherrima sint, ea tamen minime recitare decreui, sed ego (ut uides) negotium omne in duarum rerum consideratione ponere uolui. In materiæ quantitate scilicet, & qualitate, & in uirtutis robore, uel imbecillitate. Ita ut si materia minor fuerit in resistendo uirtuti, in se & absolute breuis erit morbus, accessionesque anticipabunt, & breues erunt. Quod si materia uirtute potentior fuerit sua quantitate, ut in priori casu dixi, ubi febrem à putredine cholerae uitellinæ posui, tunc proculdubio augmentum, cum postpositione, & longitudine accessionum erit: quoniam una, & eadem uirtus non potest in eodem temporis spacio maiorem quantitatem materiæ præparare, & uincere. Sicque diuersis consideratis, in materia, & uirtute, alteram antecessionem augmentum, alteram inclinationem esse dices. Enimuero nil aliud dixit Galenus primo de Crisibus, & Auicenna prima quarti inclinationem morbi esse, quàm uictoriam uirtutis super materiam morbi, ad quam uictoriam dicunt nebulam, siue hypostasim albam, lenem, & æqualem consequi. Quam æqualitatem intelligere operæpretium est, secundum omnem modum æqualitatis, uidelicet ut sit æqualiter alba, æqualiter lenis, non hic magis illic minus, & etiam secundum totum lotium, ut sit ubique æqualiter idem locii color, eademque substantia. Quæ omnia ut clarius intelligantur, & facilius memoriæ commendentur figuram siue tabulam, comprehendentur principaliora capita dictarum antecipationum, uel postpositionum paroxysmi hic in calce epistolæ addere uolui sub tali ordinis modo.

Cauſæ anticipationis, uel poſtpoſitio-nis acceſsionum ſunt.

uirtus	fortis	materia	multa, uel craſſa
	debilis		pauca, ul' ſubtilis
			ſtimulans
			non ſtimulans

Virtus fortis, materia	Multa, uel craſſa ſtimulans	antecedet ſed longior erit paroxyſmus
	Multa, uel craſſa non ſtimulans	nõ antecedet, & lõgior erit paroxyſmus
	Pauca, uel ſubtilis ſtimulans	antecedet, & breuior erit paroxyſmus
	Pauca, uel ſubtilis non ſtimulans	non antecedet, & erit breuis paroxyſmus


Virtus debilis materia	Multa, uel craſſa ſtimulans	antecedet ſed longior erit paroxyſmus
	Multa, uel craſſa non ſtimulans	non antecedet ſed erit breuis paroxyſmus
	Pauca, uel ſubtilis ſtimulans	antecedet nõ tñ breuis erit paroxyſmus
	Pauca, uel ſubtilis non ſtimulans	nõ antecedet neq; erit breuis paroxyſmus



Illud etiam notare te præterdicta uelim, cum medici dicunt anticipationem augmentum ſignificare, illud tamen non perpetuum eſſe dicunt, ut nunc demoſtrauimus ſecus eſſe, ita ut nonnunquam inclinationem ſignificet, ſi quando anticipatio illa fuit ex mutatione materiæ ad notabilem ſubtilitatem, ut natura, & facilius, & citius mouere, & conſumere eam poſſit. Illud in primis obſeruandum ad cognitionem, ex ſententia

Galeni, quo'd tẽpus morbi. Neq; uigorem, neq; inclinationẽ esse, significant si neq; accidentia fuerint minora, neq; lotiũ habuerit signa concoctionis; quæ concoctionis signa in eam partẽ accipiẽda sunt, ut à seuis accidẽtibus sint lõginqua, tũc quis sit finis futurus certo demonstrat, sed principium, augmẽtum, declinationem non omnino certius anticipatio, uel postpositio proclamant, et enim sæpe, & antecipant, & postponũt accessiones, aut ex noua caliditate in materia acquisita, quæ stimulãdo anticipationes facit, aut quoniam ex caliditate, uel malitia maiore, sensus qui obtusiores erant acutiores facti uirtutem excitant, & sic ob maiorem sensibilium membrorũ sensum præcedunt accessiones. Contrario modo postpositiones audire licet, scilicet materia ex aliqua causa frigidor facta, & ad maiorem crassitiem redacta sensibusq; obtusioribus successiue factis, tardare naturam ad mouendum. Neq; prætertermittendæ sunt, additiones caloris, & uehementiæ, ac temporis caloris prorogationes, cum hæc semper augmentum significent, & eorum imminutiones, cum reliquis signis inclinationem ostendant. Habes igitur doctissime paule, & per te studiosi habebunt meam de significationibus, tam anticipationum, quam postpositionum, ac etiam æqualitatum, & inæqualitatum in accessionibus sententiam, quæ omnia quam breuissime ad te ante potissimum scribere decreui, quoniam te doctissimum, & singularem mei amantissimum cognoui, quanquam & alii studiosissimi Iuuenes nostris colloquiis interfuissent. Vale. Venetiis. M. D. XXXXIII. Die. XXV. Februarii.

AD ERVDITVM, ET STVDIOSVM ARTIVM Et medicine Dominum Nicolaum Rontanam Brasichelensem. Epistola. IX. De causis periodicationis in febribus.



OGARE Solebas, dum ueheremur cymba ad uiscendos ægrotos, ut causas diuersitatis accessionũ in febribus humoralibus putridis dissererem: quod cum cepissem, & ex diuersis uisitationibus, quæ nostrum colloquium iterrumperunt, sermo

atra. Pituitæ autem generatio, in pituitosis edulijs sanguinem perpetuo antecedit, atque generatione ipsius media cibi in sanguinem transeunt, neque hoc deterioribus cibis tantum contingit: uerum & quibusdam eorum, qui salubres esse uidentur, & reliqua. Hunc ipsum ordinem posuit Princeps Auicēna (siquis diligentius ea quæ primo canonis de generatione humorum scripsit attendere uoluerit) inquit namque in omni cōcoctione humiditatis secernitur aliquid ab ea, quæ est, ueluti spuma: aliud uero, ut fex: nonnūquam etiam inest, quod ad ustionem est decliue, si concoctio excelens fuerit: quādoque quid fere crudum, si imbecillis fuerit concoctio. Spuma igitur est ipsa flaua bilis, fex uero atra & utraque sunt naturales: perusti uero pars temior est bilis uiciosa, illiusque crassum est atrabilis uiciosa nou natnralis, crudum quoque est ipsa pituita: quod uero ex hac summa percolatum ac concoctum est, sanguis quidem est. Et paulo post inquit, causa efficies sanguinis est calor temperatus. Pituitæ causa efficiens quidem est calor imbecillis. Plura alia possem addere, quæ à doctissimo Auicenna sparsim in suis uoluminibus: de ordine generandi humores dicuntur, præter ea quæ dicta sunt: Scripsit etiam in alegatis locis, pituitam naturalem esse illam, quæ parata est conuerti in sanguinem, & esse sanguinem non perfectè concoctum, & etiam bilem habere causam efficientem caliditatem superantem, & melancholiam esse fecem sanguinis. Scripsit quoque in libris de natura animalium modum generationis humorum. Etenim libro. x. capite. v. inquit, Pituita est materia sanguinis, & bilis fit per ulteriorē caloris actionem, & fex sanguinis est melancholia. Ex his igitur patet, pituitam primum interquatuor humores generari à caliditate non diu in chilum agente, quæ si aliqua occasione propriam non seruauerit naturam, uel austa fuerit: tanquam infestum quodam à natura expellitur, uel putrescit. Eadem est etiam ratio generationis humoris pituitosi ab imbecillo calore, & quoque à comestis rebus frigidis pituitosis, ut sunt pisces, & reliquæ aliæ res frigide: cum agens non agat ultra propriam uirtutem, nisi id per accides eueniat: ut contingit aliquando à causa frigida calefieri. Similiter ex modo præparationis materiæ, passum ab agente mutari solet: cum quodlibet non fiat ex quodlibet, sed ex determinata materia, cum debita, atque con-

uenienti quantitate,& præparatione:ex Aristotelis sententia. Ex dictis itaq; pituitam materiam sanguinis primo esse dicere oportet,siue illa in uentriculo siue in iocinore generetur,cum tamen rectius eam in iocinore gigni & deinde in sanguinem conuerti dices:quòd si in uentriculo (ut placuit Galeno) pituitosus humor gignitur, ille non primo in sanguinem (cum in iocinore recēpitur,) mutatur;sed eget mutatione,& alteratione præuia à calore membri sanguinis generantis, ut pituita,efficiat̃ hoc q̄m nō est uera pituita sed humor pituitosus, q̄ nō oēs cōditiones pituitæ in substātia, & q̄litatibus habet: tā etsi ĩ talis humor ĩ iocinore recceptus,post aliq̄ præuiā dispositionē sine cōtrouersia in sanguinē mutet̃.Etenim in sanguinis generatione maius temporis spaciū requiritur,q̄ in pituitæ generatione: quod etiam testatus est Galenus secundo de Crisibus.Porrò sanguis est humor primus intentus à natura pro alimento,& instauratione humidi radidalis:& hac ratione natura quantum fieri potest in sanguinis generatione,& conseruatione studet:& ut eum custodiat, & ad membra distribuat uenas à iocinore procedētes, & p uniuersum corpus trāseuntes construxit.His itaq; declaratis,ordinem, & quantitatem humorum,facilè est declarare.Sanguis enim, cum sit primus (ut dixi) à natura intentus:quoniam eo plurimum æget, eius quantitas maior est omnibus aliis humoribus.Post quem in quantitate,pituita sequitur,quæ & ipsa insignis est, cum sit materia propinqua,ex qua sanguis gignit̃. Enimuero postquā à calore naturali pituita formā,seu qualitatem sanguinis recciperit,calor si ulterius,& per maius temporis spacium operabitur,sanguinem calfaciendo subtiliabit, & eas partes subtiliores in bilem conuertet, quæ bilis quantitas minor est sanguinis quantitate. Postremo agens calor choleram nigram seu atrambilem separat (quam melancholiam Græci uocant) & est fex sanguinis quæ ex crassiori parte alimenti sanguinei generatur:in qua generatione (tam etsi minor quantitas istius humoris sit)attamē multo plus temporis spacio natura ad sui perfectionem eget.Eadem est ordinis,& temporis ratio in generandis humoribus, quos non naturales medici uocant: qui non sunt apti,ut in nutrimentum probum conuertantur.Etenim generātur crudi humores in uentriculo,ob caloris imbe-

cillitate,uel ex comestis frigidis, & uiscidis cibis, & male sub-stantiæ:& hi humores (ut paulo ante dixi) non sunt uerè pituita,nec sunt apti,ut primo in sanguinem conuertantur. Similiter,& biliosus humor ob immodico calore,& ex calidioribus ingestis cibariis, & male substantiæ, tam à uentriculo quàm à iocinore gigni solet,(si credimus Galeno,& reliquis omnibus eminentissimis medicis.)Nec propterea huiusmodi humor biliosus,est bilis,quæ naturalis sit,ex sanguine per ulteriorem concoctionem à calore naturali genito, pro utilitate, & necessitate uitæ,& operationum,cum in nullum usum naturæ,uel ad nutriendum,uel ad aliquod aliud commodum deuenire possit:sed est infestus semper, & causa alicuius morbi, uel simptomatis.Illud idem dicere de cholera nigra non naturali necesse est. Cũ & illa gignatur ab immodica, & superflua caliditate ustiua,uel alia,& etiam ex mala materia cibali, quæ tam sui substantia,quàm qualitate parata est conuerti in humorem melancholium.Qui humor nec naturalis est, nec minus ad aliquem usum, uel utilitatem (ut de non naturali bile dictum est,) deuenire potest.Sed est materia,& causa diuersorum diuturnorum affectuum præter natura, & accidentium, qui & mali,& difficiles sunt.Quæ uero dixi de ordine, tempore,& diuersitate generationis humorum,possem ego plurimis exemplis,& rationibus comprobare,ut est uidere in quam plurimis fructibus,qui cum primum immaturi sunt si calor exterior,uel uirtus plantæ ulterius procedet mutantur,& maturãtur,non tamen si continens aer frigidus fuerit maturantur, ut est uidere in ficubus autumni tempore, calore tamen procedente æquali, uel uirtute, fructus qui immaturi à principio sunt,maturantur & in alium saporem, & colorem mutantur. Qui calor si ulterius sua actione procedat mutat ipsos in aliam qualitatem acriorem,& saporem,& colorem, & substantiam, secundum aliquas suarũ partiũ,& secundum aliquas,in aliam, puta siccitatem, & terrestritatem, & quoq; saporem mutat: quam quidem mutationem in rebus elixatis facilè depræhendi potest,nam ab uno & eodem calore in re elixata diuersam mutationem uidimus ex continuata actione caloris, cum in prima parte temporis actionis res coquenda aliquam imperfectam coctionem habeat:ita ut semicocta dicatur, postea ab

eodem calore agente perfecte coquitur,& fit secundum rei eli xate substantia,&qualitates complementum coctionis,quæ si ulterius coquatur mutatur adhuc,& fit ulterius substantiæ,& gustus,& id quod ab ea residet crassum,& faculétum est. Mit to exempla plurima alchimistarum in suis sublimationibus,& permutationibus ab igne uel ab alio calore,nam primam illam materiam quæ egreditur flegma uocant,cum sit non perfecte à calore præparata,deinde procedẽte actione caloris ignis: id quod egreditur magis perfectũ est,atq; tã in substantia,quàm in qualitatibus mediocritatem quandam habet: respectu primæ,& ultimæ partis,cũ nẽpe magis idonea ad opus suũ sit,& hæc pars assimilatur sanguini, sed procedente actione caloris circa uas in quo materia est,illa quidem materia in uase subtiliatur,& eleuatur,& hanc partem dicũt alchimistæ proportionari substantiæ ignis: medici uero partem sic subtiliatam, in humoribus bilem uocant:quod uero in alchimistarum uase re sidet,est materia crassior,& fex terrestis,quæ pars in humoribus à medicis melancholia dicitur:in qua calor diutius quam in aliis humoribus ad sui præparationem,separationem,& col lectionẽ laborat:Et ista ẽ fex massæ humoralis. comodo uero exemplum de musto, & aliis succis post expressionem,per se, uel ab alio adiutis,digestioni,& generationi quatuor humorũ possit accomodari,ut quadret humorũ generationi, nõ uideo cum in musto ex iutrinseca alteratione,uel extrinseca,fiat partium sequestratio tantum,& non mutatio unius substantiæ in aliam,sicut fit in concoctione cibi, & nutritione, etenim tam etsi in succorũ siue musti ebulitione, sequestrẽtur partes diuerse,tam substantia,quam qualitatibus,non propterea ex hoc di cernus eorum substantia mutari in aliam substantiam,ut in generatione,cum generatio fiat ex corruptione alterius formæ, ex sententia Aristotelis, nam si humores generantur,mutatur, siue corrumpitur forma in materia chili, & introducitur siue generatur forma humorum,puta pituitæ,uel sanguinis,& reliquorũ,& hoc à calore successiuo membri (ut dixi paulo ante succi uero non generantur,sed arte exprimuntur, uel à rebus ex se ipsis emanant. Neque quæ dixi contrariantur dictis illorum qui scribunt materiam nutrimenti distribui ad minutissimas uenas iocinoris,ut sic ex omni parte à calore mẽbri ela-

bora

borata in sanguinē cõuertatur, cũ siue ad minutissimas partes distribuať, siue ad nõ, tã minutas: necessum sit in cõcoquendo, ut tempus actionis spatiũ habeat, & in prima parte tẽporis dũ materia coquiť illa quoquomodo cruda sit, q̃ materiá sic semi coctá pituitá medici (ut dixi) uocant. Quòd si idem calor in eãdem materiá agendo procedat, in sanguinem eam cõuertit. At si ulterius agat materiam illá secũdũ quasdam partes subti-liorem reddit, & secũdum quasdam crassiorem, & terrestriorē. Prima bilis, secunda melãcholia est. Adde etiam materiam nu-trimenti non esse uniformem: & ea ratione nõ posse equaliter secũdum omnes suas partes à calore iocinoris mutari in eodẽ tempore, tam etsi in uenis subtilioribus sit. Est præterea conti nua attractio, & subministratio nouæ materiæ ex ingestis ci-bis ex naturæ intentione quæ non p̃mittit ut ea materia quæ prima reccepta est, antequam alia subministretur perfectè ela boretur, sed semicocta cum sanguine maneat, hanc ut sæpe di-xi pituitam medici uocant, & remanet cum ipso ad nutriendũ membra quæ sanguine pituitoso nutiuntur, ac etiam ad alias operationes, & comoda membrorum, & hæc est causa cur na-tura pituitam cum tali ordine ante sanguinis perfectionem ge nerat. Etenim illa prior materia (noua alia adueniente) cedit secunde, antequam ex omni parte perficiatur: quam rem uide-re est ĩ ingluuiosis, & bibulis, & pueris, qui ex cõtinua noua sub ministratione alimenti plurimas cruditates aceruant. In quo ordine generationis humorum naturalium, notare operæpre-tium erit, non tantum tempus generationis prioritatis, & po-steritatis, uerum etiam, & spacium actionis caloris, & quanti-tatem generatorum humorũ. Etenim tempus actionis caloris in pituitæ generatione minus est quam in sanguine, cum pi-tuita fiat dũ sanguis generatur. Sãguinis uero generationis spa ciũ plus est quã in generatione pituitæ, minus tamẽ quã in bi-lis generatione. Et bilis generatio plus temporis requirit quã sanguinis, minus uero quã melancholiæ generatio. Et melan-cholia pluris temporis eget in sui generatione quam bilis. Ani maduertẽdum tamen sanguinis quantitatẽ maiorem esse qua-cunq; aliorum humorum quantitate. Postquam quantitatem sanguinis, pituitæ quantitas maior est quam bilis, & quam me-lancholiæ. Sed quantitas bilis minor est quantitate san-

guinis,& pituitæ,maior tamen melancholiæ. Postremo melã/ choliæ quãtitas minor est quãtitate triũ dictorũ humorũ:quod intelligere operæpretiũ est in corporibus naturaliter bene di/ spositis. Et quãquã ordo generationis,& quãtitas materiæ pri mo faciãt,ad diuersas accessiones,& periodicationes,ac etiam exacerbatiões,mota scilicet materia,q̃dã alia nihilominus ne/ cessario requirunt. Et primo uirtus fortis,uel infirma, deinde omnia quæ materiã,uel mẽbra, uel uirtutẽ ad expulsionẽ mo/ uere aliquo modo potest, ut est aliqua mala temperies noxia cõ materia morbi,& quoq; quod intanta quantitate aucta, & aggregata de nouo sit,ut aliquã molestiam inferat. Et hæc est causa materialis propinqua omnium accessionum, & exacer/ bationum secundũ suæ generationis,& aggregationis spaciũ, supueniẽte scilicet putredine,ad quã plurimum faciũt malitia cõcoctionis generãs plurima excremẽta,quæ facile postea mo uẽtur ab aliqua qualitate acri stimulãte, uel si a putredine ari/ piant,obstrutis scilicet meatibus. Hæc omnia prælibãda duxi priusquã tibi causas accessionũ in febribus fere omnibus pu/ tridis declarẽ:cũ ex dictis accessionũ causæ pẽdeãt in illis nem pe febribus quæ accessiones,& exacerbationes habẽt, quoniã ea quæ ex sanguinis putredine fit uniformis ẽ,uel augẽdo, uel minuẽdo,uel in eodẽ statu cõsistẽs,usq; ad inclinationem. Inci piã itaq; accessiones i unaquaq; febre eo ordine quo homores gignunt declarare. Pituita porro (ut dixi) primo singulis die/ bus generat generataq; p uenas meat,uel attracta,uel pulsa, & ea utitur natura ad diuersas corporis necessitates, & cõmoda, si proprium seruauerit tẽperamẽtum,substãtiam,& quantita/ tem. Quod si substantia,& quantitate,& qualitate excesserit, tanquam nocuum eam expellit. At si putruerit febrem gignit, & hoc quotidie quoniam quotidie generatur, & aggregatur, & molestans pellitur,præsertim (ut dixi.) Si corpus ex obstru ctionibus ad febrem putridam paratũ extiterit:& quoq; si hu/ mor ille, uicio aliquo male affectus fuerit. Non enim humores aliqua qualitate nocua deprauati, ex primaria intentione ad locum putredinis attrahuntur,sed tanquam molesti, & super/ flui grauantes,aut stimulantes illo pelluntur. Neque semper uirtus expultrix sola est causa motus materiæ ad locum putre/ dinis:cum etiam aliquãdo ab aliqua alia causa moueatur, quæ

cum materia faciens febrem est, & etiam ab aliqua exteriori a' materia separata. Verbi gratia causa cũ materia erit si cũ ea fuerit mala, & noxia aliqua qualitas, multitudo siue quantitas, uel aliquod aliud stimulans, uel agrauans. Separatum autem a' materia exterius erit (ut puta) caliditas, uel frigiditas ambientis aeris: etenim calor aeris plurimum iuuat in senibus ad perfectionem omnium operationum naturalium, ac etiam i aliis ætatibus cum uirtutem roborare, & uias, & meatus aperire possit, frigus quoq; si non plurimum fuerit concentrando, & uniendo uirtutem fortiorê reddit. Sed ut paulo ante dixi quãtitas uiciati humoris, uel a' putredie, uel alia acri qualitate plurimum ad excitandam expultricem facit. Quam quantitatem non illico sed indeterminato temporis spacio generari potest. Quo'd cũ ita sit, quotidiana quæ a' putredine pituitæ fit, quæ non generatur, & aggregatur in minori unius diei spatio, quotidie habet accesiones, uel excressentias, seu exacerbationes. Sanguis autem post pituitam ex ea continue gignitur, & in maiori quantitate in uenis colligitur ex intẽtione naturæ: in qua generatione adhuc calor post mutationem chili in pituitam laborat, quem sanguinem etiam tanquam dilectum thesaurũ uitæ custodit, & succesiue ad nutriendum membra per uenas attrahit, & in eis conseruat. Neq; est intentio aliqua naturæ eum pellere, sed conseruare ad membrorum, & spirituum instaurationem, quare si putruerit, uel aliquo quouis modo incaluerit nullam accesionem, uel exacerbationem, aut quotidianam, aut tertianam, aut quartanam facit, sed (ut paulo ante dixi) uniformis est eius calor, & afflitio ad hunc sensum, scilicet, aut semper augendo affligit, aut semper minuendo, aut uniformiter, usq; ad uniuersalem inclinationem. Nec habet diem interpositã, aut particularem inclinationem. Sãguis namq; semper generatur equaliter, & primo ex pituita, nec pellitur a' uenis, nec aliquid habet per quod ab aliis humoribus secerni debet. Sed alios omnes humores natura ab ipso secernit, & separat, ut eum puriorem reddat. Bilis quidem post sanguinis generationem gigni ex superius dictis constat, & eius quantitatem minorem esse dixi quoniam eam natura, non primo intendit, neq; plurima quantitate eguit pro indiuidui conseruatione. Et quoniam post pituitæ, & sanguinis generationem fit

bilis,ideo in maiori temporis spacio quã sanguis generatur,& colligit,scilicet in tertia die,ut supra demostraui. Etenim laborat prima usq; ad secundã diẽ calor,ut ex chilo pituita, & sanguis generet,& aggreget, ad tertiã uero in bilem conuertit,& colligit,quæ cũ aucta,& à putredine arepta fuerit, uel ab alia qualitate nocua,pellitur,& ex tali motu fit accesſio,quæ tertiana eſt,quoniam ad tertiũ diẽ, & nõ prius generat,& aggregat tãta quãtitas,ut posſit naturã ad expellẽdũ excitare, ſi putruerit.Melãcholia ultimũ locũ in generatione,& quãtitate tenet, cũ poſtremo ex chilo poſt pituitæ,& ſanguinis,& bilis generationẽ generet,ex crasſiori parte primi alimẽti,& eſt minor omnibus aliis partibus aliorũ triũ humorũ,& quia poſt bilẽ calor agẽs adhuc in illã materiã melãcholiã pficit,& cũ bilis nõ niſi ad tertiã diẽ facta,& collecta fuit,q̃rta die malãcholia pficit,& colligit,& quoq; à maſſa humorali ſeq̃ſtrat,q̃d fit ſi aucta fuerit q̃titas moleſtans cũ q̃litate putredinali,uel alia aliq̃ diſpoſitio alterãs,& eã acriorem,& noxiã reddẽs,ut de reliq̃s humoribus dixi.Etenim melancholia cũ ad q̃rtũ diẽ generet, & aggreget ſi ſua q̃titate,& q̃litate moleſta fuerit poſt ſui generationẽ &aggregationẽ,pellit à natura ad locũ putredinis,aut ſaltẽ pellere eã natura conat,& hoc ad quartũ diẽ nõ ante, quoniã nec genita nec collecta ob ſui ſubſtãtiæ crasſitiẽ fuit, ſicq; fiunt acceſſiones,uel exacerbationes q̃rtanariæ,& aliæ longiores ex ea dẽ materia ſi crasſior adhuc fuerit,ut paulo poſt ſcribã.Habes itaq; qua ratione fiant diuerſe,& terminate acceſſiones, ex diuerſitate generationis humorũ,& etiã diuerſitate tã in ſubſtãtia quã ĩ quãtitate,& equalitatibus,& aliis cauſis adiuuãtibus, ut ſuperius ſignificaui,cũ quibus uirtutis robur,uel imbecillitatẽ anotaui.Nã uirtus eſt illa quæ oĩa regulat,& dirigit cũ ſẽper ſanguinẽ mõdificare ſtudeat,&etiã omne cõtrariũ pellere. Quod ſi extra corpus illud peller poteſt utiq; pellit ſi minus ad ignobiliora mẽbra trudit,quod ſi putrẽt febres diuerſas cauſare cõſueuit,ſecũdũ diuerſitatẽ humorũ pulſorum,in qua expulſione fiunt tipi,frigora,& rigores.Et quoniã humores melancholici,tam naturales, quã non naturales,in ſui ſubſtantia, & qualitatibus diuerſi ſunt ex materiæ, & caloris agentis diuerſitate,ita ut aliquando ſubſtantiam lapidis fere referant, & ultimam ſiccitatem,ex qua diuerſitate (in putredine humo

ris melancholici) diuersę fiunt aliquádo accesfiones, quæ pro rogantur quoniam non poteſt ad quartum natura materiam craſſam resſiſtētē præparare, & colligere, & deinde pellere, ſed procedit, & mouet eam poſt quam parata, & collecta eſt, quin ta die, & ſexta ſi adhuc crasſior eſt. uel ſeptima, uel ottaua, uel nona, uel alia d e ſi adhuc magis, & magis craſſa fuerit, & ēt ſe cúdú eius quátitatē. & uirtutis robur, uel imbecillitatē, ná ſæpe uirtus ſi fortis eſt poteſt eá p aliquá ſenſibilē, uel īſenſibilē euacuationem extra corpus educere, quod ſi non diſſoluit & ſenſim pellat, ſed aggregeť faciút accesſiones & quintanas, & alias ſecundum naturam ſtimulantium, uel agreuantium humorum in ſui crasſitie. Hác tardam expulſionem a uirtute, & a materia, & quantitate non antea agrauante uel ſtimulante naturam. poſſem ego probare exemplo plurium affectuú præternaturam, & naturalium, qui periodici ſunt, ut eſt morbus comitialis qui non mouet acc dentia quæ in eo apparent niſi, & quátitate, & qualitate moleſtus, uel grauans, tam naturam, quam membrum. ſtimulando uirtutem expultricem, quæ ad nocui & aggrauantis humoris, uel qualitatis īſurgit ſicq; fit in morbo comitiali ex multitudine materiæ agrauát, uel ex ma litia moleſtáte quæ quantitas, uel malitia non colligitur, uel aquiritur niſi ſpatio temporis. Similiter & in naturalibus affe ctibus fiút ut ſunt menſuales euacuationes in mulieribus. quæ non mouentur niſi poſtquam aggregata In uenis eſt quátitas ſanguinis moleſtans, eadem eſt cauſa in humore melácolichó craſſo alterato quauis cauſa naturæ rebeli, ut non posſit eum uirtus ad quartú diem præparare, & colligere ſed ut eum præparet, & laborat ulterius donec eum præparet, & colligat quē præparatum, & collectum, & moleſtatē expellit. Sicq; fiunt accesſiones qntanæ, ſextenæ, ſeptenæ, ottauæ, nouenæ, & aliæ q̃ fieri poſſunt, & oēs tales febres sút de genere febriú meláncholicarú, q̃ q̃rtanæ dicút: q̄m ut plurimú ī tali putredine humoris melanchol ci q̃rta die fiút accesſione. Sed ex craſſitie progant accesſiones q̃s quintanas, & ſextanas, & alias ſimiles accesſiones ego uidi nō ſemel, & med ci alii noſtri tēporis uidiſſe ſcio. Qu cquid dixerit de hoc Doctisſimus Gale. Sed in nō intermittētibus tá pituitoſis quá bilioſis, & melancholicis eadē ratio eſt quotidianæ, tertianæ, uel q̃rtanę exacerbationis, quippe cú

primum ex termino generationis,& collectionis humoris, & ex quantitate, & aliis dictis præscriptum ordinem seruet, sed non omnino uenis pellitur,uel qui multa & crassa,uel ob ualidas,& fortes obstructiones,uel uirtutis in potentiam. Et cum non extra uenas pellatur,nulla fit accesio, sed ex noua aggregatione materiæ putrescentis fit calloris febrilis maior exaspe ratio secundum naturam humoris,quoniam pituita quotidianas exacerbationes facit,quia noua materia pituitosa quotidie generatur,quæ sua quantitate,& qualitate molestat,& he quidem superius dicte accesiones,& exasperationes, in complicatis,& compositis febribus anotantur. Scis enim febres complicari,& eiusdem generis,& diuersorum generum, & specierum,ut puta due,uel tres, & plures quotidiane, siue duplices, uel triplices dixeris nõ refert,sicuti ego in quadam nobili sene uidi,& in aliis. Nam ratio quod plures sint unius speciei febres est quoniam diuersa sunt loca in quibus humores non naturales gigni possunt qui cum noxii sint,& molesti naturæ,pelluntur,& colligũtur ad locũ putredinis,& ibi putrescentes faciũt febrẽ. Sed cũ nõ ĩ uno loco generenť tẽpore,ideo natura diuersis tẽporibus,siue horis quod nocuũ studet pellere nec ĩ ex quo fiunt una die diuersis tamen horis accesiones, uel exacerbationes plures,ex superius dictis rationibus. Quod si materia pituitosa in diuersis (ut dixi) partibus generetur & expellatur, fiunt quotidiane corresp õdentes accesiones,uel exacerbationes. at si materia biliosa in diuersis membris, & partibus generetur,& grauãs,uel nocens pellatur,diuersis una die horis, uel singulis diebus fiunt accesiones tertianæ, secundum numerũ locorum, in quibus materia colligitur, uel generatur, nam si quotidie accesio fuerit ex motu materiæ biliosæ putridæ moderniores medici tales accesiones duas tertianas uocare consueuere, quod si bis in die accesiones ex putredine bilis fiant has duplices tertianas uocant,Ego uidi non semel sed plu ries quatuor tertianas,& quinque,& sex. Quoniam bis in die, & ter singulis diebus erant accesiones ex putredine bilis, & hoc non erat nisi ex diuersitate,& numero locorum,in quibus materia biliosa colligebatur, uel generebatur,ut de pituita dictum est,sed ne tã longiori oratione detineam easdem rationes melancholis,si complicentur asignare poteris. Quod ue-

ro due,aut tres,& plures quartane complicentur superuacaneum est ad id ostendum laborare, cum nullus sit qui tales complicationes sæpissime non uiderit.Sunt præterea, & diuersarũ specierum febrium complicationes,quæ ita notissime sunt,ut nemo sit medicus qui in hac populatissima urbe consenuerit qui non eas pluries uidisse affirmet,præter ea quæ ab antiquis medicis scripta nobis relita fuere,ut sunt emitritei, quæ semitertianæ a' Latinis dicuntur,& fiunt si tertiana intermittens, & quotidiana continua componantur, ex commixtione pituitæ putridæ,& bilis quoq; putridæ,sicq; in tali complicatione fiunt, & tertianæ accessiones, & quotidiane exacerbationes diuerse secũdum diuersitates dictas in humoribus.Sed quoniam si omnia scribere ad te de differentiis febrium uelim,non epistolam sed uolumen igens operæprecium me scribere foret,quare hæc satis dicta in præsentia erunt, cum reliqua possis ex libello de differentiis febrium Galeni,& de Crisibus habere.Plurima etiam inuenes de modo,&tempore nutritionis, quæ ad superiora comprobandum faciunt,si quoq; legere uolueris libellum de morbis Hyppocratis quem Galenus Polibium scripsisse credidit,nanq; in eo libello autor completam nutricionem ante quartum diem non posse fieri longa oratione declarauit,& hoc quoniam calor circa mutationem ingesti cibi ad diuersas humorum substantiam plurimum laborat per quandam temporis successionem.Et quãquam Trusianus monacus,& Petrus aponensis conciliator, uiri undequaq; doctissimi una cum maiori parte scolæ medicorum crediderint generationem humorum simul & non successiue ex intentione Aristotelis fieri,non propterea hæc mea rationalis positio tibi displicere uellim, cum medici omnes humores specie destinctos cõfirmẽt ualidissimis rationibus,quod si pertinaces aliqui arguant dicantq; quod ab uno in quantum unum, non nisi unum euenire possit,& rationem ualere,& in causis materialibus, & agentibus quando simul sunt.in casu nostro res non ita habet,etenim materia alimenti,siue chilus una est mixtione diuersarum substantiarum, & partium. Calor naturalis agens etiam unus est, sed non continue uniformiter agit, tum quoniam dissoluitur,& instauratur,aut per laborem, aut quietem,uel somnum,& etiam ex instaurati humidi: ac etiam

quoniam a' priori actione materia diuersa fit. Nam si cibus mutatur in chilum, & chilus in pituitam, & denique in sanguiné, & alios humores, proculdubio, nec calor agens unus, nec materia una (diuersis istis omnibus cſiōderatis) est. Ex quo patet quod neç calor agēs in materiá chilosam, uel in pituitam tanquá in unam subiectam materiam semper idem est, nec præterea agendo eam primo totam mutat, sed primo mutat partes paratiores, & quas agens primo contangit, & quæ non ita paratæ sunt resistunt. Quare agens in eorum mutatione diurius laborat. Quem ordinem etiam in generatione humorum nō naturalium obseruare oportet. Porro si in uentriculo bilis nō naturalis (puta) eruginosa ab aliqua occasione generetur, uel humor meláncholicus, utique calor nō semper eodé modo agit. ex causis dictis, deinde maior temporis spacio egebit calor præternaturalis in generatione melancholici humoris quam in biliosi generatione. Plura alia potuissem de causis accessionum, & exacerbationum in febribus ad te scribere ad clariorem dictarum rerum intelligentiam, ut est quod etsi humores a' medicis specie distinguantur non propterea semper sinceri putrescunt, quoniam raro sinceri in aliquo membro reperiuntur: habentes formam púram, præcisam, nec refert dicere formam in humoribus, uel qualitatem, cum forma substantialis in rebus quam plurimis nos satis lateat. Distinguimus ergo humores inter se, per qualitates, & operationes. Ex dictis habes doctissime Nicolae causas manifestas omnium accessionum in omnibus generibus febrium a' nullo antea ex cogitatas. Quæ & si duriora (dum eas aliis recensebis) uidebuntur, præsertim illis qui antiquos lectitarunt, & in uerba magistri iurarunt, spero tamen plurimum grata illis fore si ea quieto animo pensitauerint. Et ne longa discusione sermonis, plurimum in indagandis, & colligendis causis febrium accessionum labores, summá causarum accessionum ex ordine sic scripsi, uidelicet. Primum humores qui ex ordine temporis generantur, in ea quantitate agregati quæ naturam molestare, & agrauare ualeant, deinde quod uiciati sint aliqua noxia qualitate putredinali scilicet, uel alia. Et hæc prior est causa motus, cum quantitate materiæ, ad expelendos noxios humores, & in continuis quoniam materia non potest extra pelli,

no

noua illa aggregatio maioris exacerbationis est causa, & hoc in tribus humoribus, cum sanguis non habeat tempus in quo per partem post partem non generetur, & aceruetur, & in uenis conseruetur, cum natura illum primo intendat, & tanquam dilectum seruet. Etenim reliquos humores semper natura a sanguine, ut eum puriorem reddat sequestrare intendit, siue illi naturales, siue non naturales fuerint, naturales sequestrat ad operationes, & comoda. Sed non naturales quoniam molesti sunt ideo magis intenta est in eorum sequestratione, quod si putridi fuerint febres gignunt, & si non putrent, & pellantur diuersos præternaturam affectus faciunt, ut sunt dolores, uel abscessus, uel Papule, & alii affectus materiales præternaturam. Nam quamplurimi fiunt tumores ex congesta, aliqua materia sensim in membris, quæ materia, si non aripiatur a calore putredinali diutius ibi manet, neque studet primo natura eam alio pellere, cum iam sensim expulsa fuerit ad aliquod ignobile membrum. Quare etiam si membrum illud grauet, uel molestet non fit accessio aliqua, cum sit humor, qui successiue ex ingestis cibis ad nutriendū generetur, & colligatur. Vale mi Nicolae doctissime, quo'd si tibi, ut desiderabam satisfeci gratissimum mihi quidē erit, sin minus res quæ difficilima, & noua est excusationem habet. si quis uero in futurum melius, rationabiliter imaginetur istis nostris sua addat, quoniam & ille de posteris benemeritus erit, & apud doctissimos laudabitur, te postremo rogatum uelim, ut aliquando cogites, in tam difficili materia, & si quid boni conceperis mihi significes etenim animus est de hac re plura scribere iterum. Vale. Venetiis.

M. D. XXXIX.

Die. XV. Aprilis.

AD EXCELLENTISSIMVM PHILOSO-phum, & Medicum Dominum Ioannem Babtistam montanum Patauii publice ordinariam practicæ profitentem. Epistola. X. Quod febris pestilentialis possit esse citra putredinem humorum.



ON Possum, non his literis uir clarissime præstare quod tibi corā pollicitus sum, scilicet de febris pestilentialis sine humorum putredine ueritate, ex Galeni sententia. Id quod temporis angustia uespertinis illis horis nostri tunc colloquii prosequi non licuit. Neq; autem te alienum, ab hac ueritate iudicauerim tametsi Galenus in libello de differentiis febrium, & in commētariis librorum de morbis passim uagātibus, & in aliis non paucis locis dixerit in putridis plurimis febribus, pestilentiale fieri perniciosum, ubi præter aeris putredinem etiam maxima in humoribus putredo fuerit. Certe ob id non negauit Galenus posse aerem pestilentialem alteratione uenefica etiā cæteras partes corporis animalis alterare, præter putredinalē alterationem quæ fit in humoribus, & præter manifestas qualitates; cum hanc in aere, qualitatem uenenficā causam potissimā procatarcticam posuerit. Quæ etsi nō fit sine ipsarum qualitatum primarum manifesta alteratione, & ipsius aeris substātiæ putredine, non tamen semper putridam humoribus alterationem ultimam præstat, quanuis sæpe, sed interdum uenenficā tantum qualitatem, & illa quidem sine putredine humorum: quoniam etsi substantia aeris in putredinem mutata, ad pestilentiales ægritudines suscipiendas, cum corporis aptitudine faciat, non est tamen perpetuum hoc, ut ea quæ à putrido aliquo alterantur putrida euadant, ut testatus est Auicenna de febre sanguinis. Agens enim etsi secundum propriam naturam, primo agat, sæpe tamen ex passi resistentia passum sibi simile efficere non potest. cum uero præter putredinem sit etiā qualitas resolutans ex aeris malitia, quæ est uitæ contraria, illa uapores, spiritus, & etiam membra solida, sine putredine alterat, quod pulcherrime scripsit Galenus tertio de præsagitione ex pulsu, sub tali uerborum seriæ. Etenim sunt (ut docuimus) pe-

ftilentiales non pauce ab initio usq;,hæctice:distántq; ab ômnibus alii febribus, quæ ex magna putredine oriuntur, hæc Galenus.qui cum sciret se in libello de differentiis febrium dixisse febres pestilentiales posse causari etiam in non habentibus ex plenitudine coinquinationem,& al is etiã causis præparantibus ad maximam putredinem,ex aeris sola mala qualitate,hoc fieri non negauit,præsertim si una cum aere causa exterior,mœror,aut ira concausa fuerit. Quæ febres non ex putridarum genere erant,sed ex aliis ut loco allegato. Nam maiorẽ rationem harum febrium in suscipientis præparatione credidit,quàm in suo exemplo secundum duas ferè extremas habitudines ponebat. Prior enim erat excrementorum secundum omnem modum ad putredinem præparatorum plena. Posterior è contra,munda,pura,cum optimo regimine, quæ & si cum maiori difficultate à pestilenti aeris qualitate capiebatur non tamen dixit non posse infici,sed rarius, quod rationi consonum est,cum raro corpora talia munda, & in regimine non errantia inueniantur. Non enim corpora carentia superfluitatibus ad putredinem paratis impassibilia sunt, imprimitur enim aeris malitia,quæ non sine caliditate est,(cum sit putridus) etiam in solidis membris,aut in spiritibus, & uaporibus. Hæc est sane antiquorum meus uera, quam equidem, insequens ueritatem,in libello quem de febre pestilentiali ad iuuenum utilitatem scripsi uisus mihi sum approbare, ex Galeni auctoritate;& rationibus pro illius loci lucida declaratione. Mitto quæstiones illustrium modernorum, cum ex libello de causis procatarcticis, causę extrinsecę (quas primitiuas uocant, non semper eundem in omnibus affectum producant, ut pulcherrime de putredine agente dixi,à qua actione putridi non perpetuum est ut putridum oriatur. His uir undequaq; doctissime te salutare post tuum discessum uolui: ac quod pollicitus fueram præstare; sis fœlix ex sententia,tuæ me excellentię plurimũ cômendo. Vale. Venetis. M.D.XXXXI. Die. X. Iunii.

AD REVERENDVM, DOMINVM Ioannem Canonicum Torcelanum. Epistola. XI, de complicatis febribus, uidelicet de febre putrida, & habitudinali, ac etiá de descẽsu catarrhi ad pectus, & pulmonis exulceratione.



OGAS Riuerende Domine ut ad te ingenue, tam de essentia diuersarum dispositionum præter naturam quas pateris: quam etiam de remediis ad illas proficuis scribere uelim. Quare ut tuis petitionibus satisfaciam diligentissime, ac breuibus omnia perstringam, quoniam sic nostra consuetudo, & longa beneuolentia postulant, præsertim cum ea petis quæ ex officio (ut aiunt) medici facere tenentur. Igitur per ea quæ mihi scripsisti, te teneri febre manifestum est, nam febris calor præter naturam est, qui primum cor occupat deinde per uenas, & arterias uniuersum etiam corpus calfacit; quod cum te semper a' calore manifesto non naturali detineri cognoscis, & ille quidem nõ equaliter, & uno modo sed horis uespertinis magis te infestet, procul omni dubio hæc caliditas a' putredine humorum pendet qui in uenis putrescunt, cum neq; rigorem, neq; frigus, aut ororem aliquem te sentire dicis, & quoniam caliditas satis acris est, dixerim etiam humorem putrescentem in uenis pro maiori parte biliosum esse, sicq; primum sies te pati febrem cholericam cõtinuam ex putredine cholere in uenis. sed præter hanc febrem est, & alia febris huic coniuncta quæ fixa est ita ut nõn solum humores, sed substãtia membri detineat, hanc medici habitudinalem uocant quoniam in habitum i. m calor transies fere' nihil hominem molestare uidetur, tametsi plurimum molestet, uel quoniam firmum, & fixum habet in mẽbris calorẽ, & hoc dico cum audiam ex illis quæ scribis, tam a' prandio, quam a' cœna per horam, aut paulo plus, te maiorem calid tatem percipere, quod te iam diu anotasse dicis, & etiam ex consumptione membrorum omnium, & maciem uniuersi corporis, Præterea scribis te tussi continu ' molestari, cũ sputaminibus diuersis substantia, & colore, & etiam sapore, cũ dicas ea, aliquando citrina, aliquando alba, & aliquando subliuida

uida esse, nõ priuata aliquo rubrore, & diuersa omnino in eius substantia est, quæ non carent salsedine quadam. Et ut unico uerbo tibi ad id quod de causis omnium istorum affectuum præternaturam respondeam, credendum, & sine esitatione tenẽdum est, omnes enumeratos affectus prouenisse ex illa febre duplici tertiana, quàm passus est, & hoc quoniam nihil, tã in regimine rerum necessariarum, quàm medicamentorum, permittere uoluisti, nam ex priori illa febre quæ cepit te molestare in fine æstatis, & processit usq; ad hyemẽ facta est omnium membrorum imbecillitas, ita ut dominatio tua quæ erat obnoscia catarrhis, uel distilationibus ob capitis repletionem facilè fuit postea quod illa materia quæ ad fauces, & pectus descendere solebat; exusta à calore febrili, uel permixta cum cholera partes pulmonarias exulcerauerint sicq; causet perpetuam tussim, & sputum diuersum, quod ostendit ex rubrore dictam exulcerationem, & an sputum saniosum sit cognoscere licet, quoniam ut audio in aqua proiectus ad fondum uasis descendit. Et ne te in istis morer, cum morbi, & causæ pateant ad illa quæ tota mente petebas orationem conuertam. Et sunt, an dispositiones, & morbi sic complicati sanari posint, deinde quibus auxiliis si sanari possunt id facere poteris, uel si non possunt sanari quibus remediis uitam prorogari ualeas. Dico igitur si morbi complicati (tametsi parui sint) non sine maximo labore possum sanari etiam in iuuenibus. Quanto magis magni morbi, & in ætate primi senii non poterunt sanari, uerum ne Reuerenda tua dominatio in disperationem ponam, dicam si uolueris te præstare obedientem medicis posse uitam prorogare ad multos, & multos annos sicque in manibus tuis hæc erit. Et hoc facies regimine rerum necessariarum. Et primo sit aeris temperies cum aliquali siccitate, ratione ulceris pulmonis, quare cũ hyems sit, & pluuie, & etiam nebule, & uopores sint aerem humectãtes. In talamo ignis accendatur, & præsertim nocte, claudenturq; fenestre horis uespertinis ne plurimi uopores humidi ingrediantur, & non apperiantur nisi mane quando iam, radii solares aerem aliquantisper exiccauerint, Cibi sint illi qui in minori quantitate plurimum instaurent qui omnino non careant refrigeratione, cum leui aliqua exiccatione, quare in casu pti-

sana hordeacea in iure pulli, uel capi iuuenis in quo decoctæ sint herbe calorem febrilem extinguentes qualis borago bu/glossa,& similes optimus erit cibus est oua etiã sorbilia, uel in prædicto iure confusa plurimum nutriunt. Similiter, & car/nes pullorum, uel caponum iuuenum sunt optime,& post eas est caro uituli quoniam optime nutrit. Similiter, &cpata galli narum,& testiculi gallorum nutriunt. Potus uero sit uinum al bum pauciferum,& dilutum aqua in qua zuccarum decoqua/tur, neq; post cibum bibendum erit, cum repleat caput, & fa/ciat ad descensum catarrhi. Post cibum comedat grana penei lotta seu infusa in aquis uiolarum,& farfare, uel condita cum saccharo. Pisces prætęrea aliqui possunt comedi, ut sunt scor/piones (scapenas uulgares uocant)& aurate, & barbi, aut tri/gle,& similes,& fluuiales sint qualis est trota,& lucius, qui co/medantur assi, uel alissati sine sale,& sine aromatibus. Eligan/tur hore ad comedendum ille in quibus minus calorem febri/les te molestare cognosces,& hoc, tam mane, quam uesperi, & mane ante cibum procurandum erit, ut uentris inferioris superfluitates expurgentur. Quare si non sponte fuerit seces/sus procuretur clistere communi, uel suppositorio. Et tam etsi exercitium plurimum in regimine sanitatis conferat, nocet nihilominus febrientibus,& debilibus, quare dimittendus erit & loco ipsius aliquando,& raro leuissime friciones sint. Som/nus cum omnes uirtutes roboret plurimum conuenit, & ea ratione dormire potes horis nocturnis, diurnis minime, cum somnus diurnus præparet ad catarrhales morbos. Et situs cor poris sit supinus ne materie ad pectus descendant. Vltimum quod plurimum proderit est, ut sis bono animo,& gaudeas cũ amicis, habeasq; omnia quæ animum ilarem redere possunt, ut sunt instrumenta musicæ,& cantus, & confabulationes io/cunde,& inspicere,& audire res quæ possunt lætitiam genera re. His itaq; sit regulatis cura per medicinalia se offert quæ, sit ut dicebat Galenus per remotionem cause, at quoniam ex cõ plicatione, tam febrium, quam materiæ catarrhalis descenden tis ad pulmones, & exulcere difficilimum est inueuire me/dicinas quæ possint, uni prodesse,& alteri non nocere, ideo, ad eã quæ magis urget intentio prima esse debet. Quare primum ad extinctionem caloris febrilis intentio esse debet cum illis

quæ modeste obstructiones aperiunt, & sputum cum aliqua leui exiccatione facilitant. Quare in cuasu dict syrupus mane hoc modo ℞. syrupi uiolati, de capillis ueneris de endiuia añ. ℥. S. Aquarũ boraginis. ℥. ii. scabiosæ. ℥. i. misce, & detur quatuor, aut quinque horis ante prandium, & hoc per plures dies, & abstinere oportet à medicinis soluentibus uentrem. Quod si opus fuerit eas accipere non ascendas ad maiorem, uel fortiorem, sed accipias ex leuioribus qualis est cassia fistularis, uel manna, dissolutis in decoctione pectorali communi. Deinde quoniam uentriculus iam imbecillis est eum roborare oportet fomentis, & linimẽtis, hoc modo ℞. rosarum, mente, absinthii añ. m. i. sandalorum alborum. ℥. iii. bullant in partibus tribus aque, & una uini albi, & fiat fomentum super regionem uentriculi cum spongia in tali decocto infusa, deinde inunge partem stomachalem isto linimento ℞. olei rosati de absintio de menta añ. ℥ S. specierum diarodonis abatis. ʒ. i. S. coralorum rubeorũ. ʒ. i. ceræ parum misce, & fiat linimentum, & utere eo post fomentationem ante prandium, & cœnam. Similiter inungatur dorsum cum oleo uiolaceo, uel cum unguẽto rosato mesuæ, similiter & partes pectoris inunguantur oleo uiolaceo, & amigdalorum dulcium simul. Præterea optimum erit accipere per os lambendo ea quæ sputum facilitãt, & aliquomodo sistunt descensui materiæ à capite descendentis, & in hoc casu cõducũt mixturę seu elegmata sic præparata ℞. zucchari rosati, uiolati, buglossati, boraginati añ. ℥. S. penidiarum diadraganti zucchari candi añ. ʒ. iii. misce & cum syrupo de glycyrhiza, & uiolaceo cõposito fiat mixtura de qua sumatur sæpe quacunque hora. ad hoc etiã conducit si lambẽdo sumatur syrupus uiolaceus compositus, & saponea ex saccharo, & aqua scabiosæ facta. Postremo cum materiæ à capite pluri mæ descendant capiti succurrendum est, ut eius uirtus roboretur, & descensus illarum (si fieri potest) prohibeatur quod difficilimum erit, sed quicquid sit, tentetur illud primum cum pul uere posito bis in die super suturam capitis coronalem quæ est in parte anteriori capitis ponendo extremam partem uolæ manus ad radicem naris inter supercilia & ubi in parte superiori digitus medius terminauerit ibi comisura ossis capitis coronalis est. Igitur in loco illo primo tõsis capillis ponatur puluis

tractio,siue tetanus,ex materia trãſmiſſa ad neruos,& muſcu-
los colli,& etiam apparuit tumor durus in fronte. Cumq; eius
dominatio ex iam factis remediis,& non recepta ſanitate,fit,fe
re' ſine ſpe ſalutis,neq; uelet amplius redire ad potũ decoctio-
nis ipſius iam dicti ligni,ſine quo nõ ita ſecurre profuere ei re-
liqua remedia,cum uera cura iſtius morbi ſit hepatis, & totius
maſſæ humoralis rectificatio, quæ eleganter per ligni indici,ſi-
ue guaici medicinam,fit.Quapropter cum id mihi tumultua-
rio ſtylo multis negotiis detento faciendum ſit, dabis ueniam
excelentisſime Blaſi.Nec ob hoc quæ omnino neceſſaria ſunt
dimittam. Rem igitur aggrediar. Et primum præmiſſo regi-
mine ſex rerum neceſſariarum,quas medici non naturales uo-
cãt,neceſſariũ eſt corpus(cum ut audio,ſi cacuchimum)a ſup-
fluitatibus malis mũdare,quibusdam tamen leuibus farmacis
digerẽtibus,& euacuãtibus materias diuerſæ admiſtionis, ſed
pituitoſas a' prædominio .Et hoc exẽpli gratia fieri poterit,cũ
ſyrupo de fumoterræ , de ſticados, & melle roſaceo, lim fatis
cum aquis,puta,lupulorũ, ſaluiæ,betonicæ,uel cũ decoctione
epithimi Meſuæ,de qua plurimũ confidendum eſt.Et cũ appa-
ruerit digeſtio in urinis,& natura non mouerit per ſeceſſum,
aut p aliam uiam,optimum erit in eadẽ decoctione epithimi
Meſuæ addere,agaricum trociſcatum ad quãtitatem duarum
dragmarum,& minus,& plus,ſecundum indigentiam, & tole-
rantiam patiẽtis.Et poſt iſtam euacuationẽ iterum dãda ſu ne
digeſtiua,cum ipſa decoctione epithimi,& iterum euacuandũ
agarico,uel alio farmaco benedicto euacuante materiam di-
uerſam,& craſſam, & ſic procedere uſq; quo iudicio quod am
exiſtimatiuo poſſet,quis iudicare corpus eſſe mundum a' ma-
lis ſuperfluitatibus. Quod ſi aliquod iudiciũ etiam eſſet de ali-
qua misſione ſanguinis ,aut peruenam brachii , ſiue per uenas
hemorroidales,hoc faciendum eſſe non credas , niſi in princi-
pio ueris,cum condicionibus requiſitis , uidelicet de uirtutis
fortitudine,&de admiſtione ſanguinis,i materia peccante,aut
de eius exuberantia.Quo'd ſi iſta addeſſent, optimum auxiliũ
eſſet flobothomia ex uena,uel emorroidas aperire, antequam
ad ligni medicamen , uel inuntionẽ ueniendum ſit. Et quo-
niam ſi fieri poſſet ſua dominatio nolet amplius bibere deco-
ctionem iã dicti ligni indici,ſed aliis remediis li berari deſide-

M

rat. Dico quod mea quidem ſententia magis rationi conſentaneum eſſet bibere decoctionem ipſam, & in quantitate notabili, ita ut fieret nutrimentum medicinale tranſiens per omnes uenas, & partes corporis ad dirigendum, & etiam ſua qualitate contraria qualitati materiæ morbi Gallici ad remitendam & expellendam qualitatem ocultam, ita ut materia expoliata ab illa qualitate, & facta benigna poſſit melius educi a' uirtute adiuta ab aliis medicaminibus per ſenſibilem, uel inſenſibilem euacuationem, qua'm per alia auxilia. Et ideo uellem quod omnino biberet (& ut dixi) in notabili quantitate. & tranſatis uiginti diebus, uel uiginti quinque, ſi remanetent ad huc accidentia, uidelicet & tumor, & tenſio illa muſculorum colli, uel aliorum locorum, uellem ad localia membrorum aſcendere, ſcilicet ad inuntionem iuncturarum cum unguento leui in quo eſſet uirtus mercurii, quæ quantũ ualeat in præparando iſtam materiam inobedientem in exterioribus membris, nemo profecto expertus Medicus ignorat. Vnguentum, quo ego uterer uellẽ, quo'd eſſet tale ℞. aſungiæ porcinæ, gallinæ, anſeris, mercurii añ. ℥. ii olii liliorum alborum. ℥. i. ſticados, ſaluiæ, olibani añ ℥. S. aquæ ardentis parum miſ & fiat unguentum in mortario, cum quo inungantur iuncturæ alternis diebus ueſperi per duas, aut tres horas poſt cœnam. Attamen dum iſtæ inunctiones adminiſtrentur, non oportet dimittere potionem dictam, imo ſequi neceſſarium eſt, ut id qu'od uno medicamine adiuta natura perficere non poſſet, duobus iſtis perficiat. Sed quoniã dubitat tua Excellentia. Quo'd ſua Dominatio nolet. Ideo petebat alia remedia ex ipſo ligno indico ſi fieri poterat. Ego uero ut tecum loquens dixi, ſæpe utor electuariis, & aliis ex dicto ligno confectis. Quare ut nihil tibi deſit, ſcribam quædam a' me uſitata, & primo electuarium de Paſſulis, quod fit ſic. ℞. pulpæ paſſularum per ſetonum præparatarum. ℥. vi. ligni indici, ſiue Guaici ſubtiliſſime pulueriʒati, & p cribrũ purgati. ℥. iii. infundatur puluis ligni indecctoione ligni, & ſyrupi de fumoterræ per diem, deinde incorporentur in mortario, & adde polipodii, & radicis peoniæ añ. ℥. i. & iterũ ducanť in mortario piſtello, ita ut formam electuarii recipiat, de quo ſumat. ℥. i. mane, & ſero per quatuor horas ante cibũ, & etiã inter prãdiũ & cœnã, & in nocte p quinque horas poſt cœnã, uel fiat ex

ligno indico, & radicæ seminibus peoniæ aã partes æquales & syrupo de fumoterræ, de sticados, & melle rosaceo, electuarium in mortario, de quo sumatur, ut supra. quod si uéter fuerit stipticus, & eum soluere uolueris, soluatur isto electuario ℞. ligni indiui, seu guaiaci puluerizati, & per setonem purgati. ℥.i. zuccari rosati recentis. ℥.i.S. syrupi rosati solutiui, siue succi rosarum puri. ℥.ii. passularum. ℥.iii. pilularum cochiarum idarum aã. ʒ.i.S. misc & fiat electuarium in bona forma in mortario cũ melle rosaceo, & bis, aut ter ĩ hebdomada. ℥ .S. sumat, uel plus secundum ægri indigentiam, aut obedientiam uẽtris. Et quoniam audio ipsum facile incurrere leuitatem intestinorum, ideo si hoc stomachi relaxati causa fuerit, optimum erit ante cibum oblinire regionem stomachi, siue uentriculi cũ unguẽto stomachali, facto ex oleo masticino, de citoniis, & de Absinthio, additis corallis, cinamomo, rosis, & aliis, ut uidebitur tuæ excellentiæ, & sic procedere, & sumendo talia electuaria, & iuncturas interpolatis diebus inungendo. Cauerem tamen ego ab illa ulceratione oris, & gingiuarũ omnino, & hoc interponendo tempus inter unctionem ex unctioné duorũ, & trium dierũ, & plus, ita ut ex huiusmodi inunctione præpararentur materiæ, quæ sunt in mẽbris exterioribus, nõ tamẽ mẽbra intrinseca inflammarent, quæ postea comunicando suam inflãmationé capiti ꝑ uapores exulcerãt os, & gingiuas. Sed cũ etiã inter nos sermo fuerit de ligni decoctione facta cum uino ideo si sua Dominatio libentius uellet sumere decoctioné ligni factam cum uino, hoc etiam auxilio multos sanatos uidi, quare poterit tua Excellẽtia ipsum dare dũmodo nõ timeas nimis exiccare. Nam cum uinum (meam quidẽ sententia) sit potius tẽperatum mediocriter suptũ, quã in siccitate, uel humiditate multum eleuatũ, attamen recepit augmẽtũ sacrũ qualitatum ꝑ admixtioné aliarum rerum, & cũ lignũ sit siccũ, auget uini siccitaté, & aliquando nocet huiusmodi decoctio nimis exiccando, & maxime in corporibus macilentis. Quare caute agere oportet, & omnia præcognoscere. quod si nulla esset suspicio, & ipse uellet assumere, optimum erit medicamé. Sed quoniam diuersi sunt modi decoctionis ligni cum uino. Ego eligeré ex facilioribus unum, uidelicet ℞. ligni indici puluerizati. ℥.v. corticis ipsius ligni indici puluerizati. ℥ ii. Polipodii, senæ, aã. ℥.i. s. uini

montani albi, aquæ fontis añi libras. ii. infundantur per diem, & noctem, deinde buliant in cacabo lapideo ad consumptionem tertiæ partis, & coletur de qua colatura sumantur bis in die ℥. v. uel sex per quinque horas ante cibum, uidelicet mane, & sero per spatium quadraginta dierum, & plus, & minus secūdum iudicium accidentium & eorum mutationem. Et quod dixi de potione ligni decocti in aqua, hoc idem dico de decocto in uino, scilicet si usque ad. xx. dies non remittentur accidentia, optimum erit procedere etiam ungendo iuncturas supra scripto unguento, uel alio æquiualente. Et super omnia cum tēpora sint frigida, habenda est ratio aeris, uidelicet quod sit calidus, neq; exeat domo. Quod si ipse sit uir qui inediam non tolerat diæta sit mediocris cum carnibus, Scilicet uitelinis, pullorum, & auium nemoralium, ut sunt perdices, & turdi, & etiam si opus fuerit bibat uinum pauciferum linfatum tamen secunda decoctione ligni, uel aliquā alia aqua alterata, & decocta ut puta cum acori, & mactice, aut similibus. Et quoniā ad Doctissimum Medicum scribo. Hæc uolui satis esse, tam etsi plura essent dicenda, tuę tamen Excellentiæ notissima, cui me semp ad maiora offero. Vale. Venetiis. M. D. XXXVIII. Die. XXIII. Fefruarii.

AD EXCELLENTISSIMVM, DOminum Paulum Magnolum e burno Brixiensem. Epistola. XIII. De paralesi, seu ressolutione.



PERGRATÆ Fuerunt mihi literæ tuæ, etenim putabam iacturam grauissimā fecisse, si tam cordatum in literis, & mei amantissimum uirum amisissem. Nam audiui, & non sine maxima molestia, Paulum Magnolum diem abiise suum; quod non me tantum, sed & plurimos uiros doctos excruciabat. Gaudeo igitur Gaudent & amici tui omnes, te effugisse discrimen mortis. Fuerunt ergo literæ tuæ opportune mihi redditæ, quibus non solum desideras sed etiam

 postu

postulas, & flagita ut ad te quid agendum scribere uellim in quoddam mouendi brachii impedimento, ita ut & aufferri molestia in mouendo posit ac etiam figuræ, seu compositionis dedecus. Quod malum (ut scribis) uidetur habere in causa quoniam lacerti, & tendones, qui ad os scapulæ motum faciunt relaxati sint, non sine totius brachii ac reliquorum articulorum corporis nocumento, uidelicet ischiæ, genu, pedis, digitorũq; & eius generis. Ego uero cum nullam a te causam euidentem, & extrinsecam in tuis legerim literis, operæpretiũ mihi uisum est interiorum aliquam excogitare. Quæ cum plurimas esse, tum ratio, tum etiam experientia sæpe doceat, eius iquisitioni primũ studebo. Neq; ambigere aliq̃s de locis siue p̃tibus paciẽtibus potest, cum id operationes læsæ, figura, & dolor in mouendo declarent. Sed an in ipsis membris patientibus extrinsecis primum id sit, uel per consensum aliorum membrorum, uel ab aliqua alia causa proueniat scire conducit. Nempe hoc malum quod scribis non raro alios affectus præternaturã consequi cõsueuit, ut puta apoplexiam, aut morbum aliquem diuturnum, siue febris fuerit illæ, siue alius quiuis particularis morbus. Ita ut tractu temporis, & calor naturalis imbecillis redactus sit, & plurimæ humiditates præternaturam sint auctæ. qui calor cum non posit ad membri functiones, quoniam nerui, & lacerti minime a calore ipso, uel spiritu actuari possunt, & hoc quia plurimæ iam dictæ humiditates neruis imbibitæ eos madefaciunt, atq; obstructis meatibus transitus spirituum ad illos ueniẽtium prohibeant. Dixerim ego ut ex tuis literis elicere possum, effectus præternaturam ab utraque causa prouenire, cum audiueram, te iam ægrotasse morbo diuturno, & lætale, aiebãt nãq; te deploratum medicos dei auxilio reliquisse, cũ & sensus, & motus nullus esset. Hoc in primis accidens non possum cum Galeno de locis affectis, & Principe Auicenna tertio canonis, nisi apoplexiam fuisse credere, quæ passio cerebri primo est, cum in ipsa omnes animales operationes, tam interiores, quam exteriores tollantur, quod sane fit si frigidus, aut crassus lentus, uel uiscidus, & non sincerus humor cerebri uentriculos impleuerit, atq; eos obstruxerit. Hæ superfluæ humiditates, & obstructiones, si nõ tollanť arte, uel natura quæ semper morbo, & causæ contraria est, mortem procul

dubio tandem ex respirationis impotentia inferunt. Sanatur uero natura, uel per se, uel arte adiuta, apertis obstructionibus & materia extra pulsa, uel ad neruos permutata. Quod si ad spinæ neruos omnes deducta fuerit, uniuersali resolutio seu paralysis fit. At si ad alteram tantum partem, unius lateris partialis paralysis erit, scis etenim ex incisionis scientia nucam, seu ut aiunt medullam transiētem per spinam bipartitam esse quemadmodum, & cerebrum in duas partes diuisum uidisti, ac etiā scis eam medullam tectam uelamine tenui a' cerebro ipso procedente, quod piam matrem uocant, hoc uero fuit ut si uni parti nocumētum aliquod acciderit, altera illæsa remaneret. Porro' sic uideor uidere inte factum fuisse, ut scilicet expulsa materia ad alteram partem originis neruorū spinæ, obstructisq; meatibus ac facta in eis etiam mollities minime spiritus uis ad eos prouenire ualet, quod si aliquis procedit non tamen potest ad membrorum operationes, perficiendas, cum partes illę iam madidæ a' præsentia humoris, & humidi, & frigidi factæ sint. Et inde est quod scapula relaxata, seu resoluta, & caput brachii est, immo uniuersum brachium, & manus, ischia, genu, pes, & digiti, omnes, inualidi ad motum sunt. At cum nec collum, nec lingua, aut aliqua alia capitis pars in motu, uel sensu impedita est, iam cerebrum incolumem esse cognoscimus. Sed quoniā (ut scripsit Galenus tertio de morbis) quæ præter naturā affectus in corporibus annotamus, Morbi, uel causæ, uel accidentia morbi sunt. Ideo ut facilius quæ hoc in casu salutifera auxilia inueuire possimus, ad hanc distinctionem, & enumerationem descendere mihi uisum est, atq; ex superius dictis colligere. Morbum primum esse originis spinalis medullæ neruorū obstructio, & eorū quædā refrigeratio, & humectatio, a causa materiali, scilicet ab humore iā a' cerebro transmisso unde sequitur operationum in motu uoluntario imbecillitas quæ est accidens. Nam cum obstructi sint nerui in altera parte spinalis medulæ orti, & ad lacertos illius partis corporis procedentes, motus uoluntarius, qui mediantibus spiritibus ad eos uenientibus fit, impeditur. Quod si etiam mala aliqua figuratio in membris fit, illa quidem relaxatis, tum musculis, tum etiam ligamentis fit. neq; luxationem aliquam esse puto, quod si sensus tristis aliquis est quem dolorem uocamus, il-

lum ab eodem præternaturam temperamento prouenire credere oportet. Is itaq; prælibatis regimen, sex rerum necessariarum pro rectæ ratione curæ sic ordinetur. Primum igitur cum methodus curandi per contrarium sit, & tempus hyemale, non parum curæ obstet, cauendnm est quantum fieri potest a' frigore ac etiam a' locis humidis nimis, quapropter locus habitationis sit calidus, quod facile' fiet si continuo in cubili ignis accensus fuerit, qui magis conducet si ex iunipero, lauro uel ex consimilibus lignis fuerit. Cibi quoq; sint qui neq; corpus humectatione extranea humectare, neq; refrigerare possint, quamobrem, panis sit ex optimo tritico non ex toto ab omni furfure de puratus, salitus, & optime fermentatus. Carnes etiam non sint humidæ nimis, ut sunt porcinæ & similes, sed sint siccæ, ut sunt aues nemorales, & montium, sicuti coturnices, perdices, fasiani, turdi, merulæ, & similes, capones quoq; optimi sunt, & inter quadrupedia hedinæ, & leporinæ carnes iuuenes non ex omni parte displicent, oua etiam sorbilia (ut aiunt) & confusa in iure dictarum carnium cōmode' possunt comedi, similiter & fercula ex farre, uel ex iure ciceris', cappares quoq; optimi sunt, cum & calfaciant, & exiccent. Vinum uero suspectum est quoniam sæpe in uentriculo in acetum cōuertitur, & ubi plurimæ materiæ crudæ sunt eas ad neruos deducit, quapropter etiam si non esset timor de eius conuersione in acetū. Illud te minime bibere ueli nisi plurima aqua mellita commixtum, & quantitate modica, neq; potens, sed ut aiunt pauciferum. Ego tamen si me in omnibus audire uelis, uinum dimitterē. Atq; hydromelle, siue aquam cum melle una cum foliis saluiæ decoctam biberem. Cætera uero cibaria qualia sunt pisces, & fructus frig di, & acida omnia proculdubio interdicenda sunt, attamen fructus quidam ut pineæ, fustici, seu pistachia, anisum laudantur, atq; cinamomum ante, & post cibum, zinziber quoq; conditus quem uiridem uocant optime conducit, præsertim mane ante cibum, similiter cætera aromata, & præcipue piper. Repletio omnis fugienda est, atq; studendum lenitioni uentris, si non sponte fluxerit, fiet hoc commode clystere ex decocto betonicæ, & consimilium cum hiera logodion, uel hiera pachi, descriptionem cuius a' scribonio largo habebis, hoc idem aliquando suppositorio, siue balano ex

melle, & speciebus iam dictæ hieræ efficere poteris, neque leue aliquod exercitium ante prandium omitendum est. Somnus humectat, & uirtutes omnes instaurat, uigiliæ uero exiccant, & inflammant. Quare somnus breuis sit, non tamē ita breuis quin possit ad coctionem in uentriculo primo deinde ad reliquas, ut tandem spiritus instaurentur, qui sunt naturæ instrumenta quibns aduersus morbum, & causas morbi pugnat. Præterea animi éaccidtia mala, & uenereorum usus quoniā uirtutes somnes infirmas reddūt fugienda sūt. Irà tamen, & clamor, risusq; cum non sine cordis, & corporis inflammatione aliqua fit, possunt hoc in casu aliquando prodesse. Sed in omnibus comicam sententiam utiliter insequimur, scilicet (ne quid nimis) postremo lætari, & gaudere optimum semper est. Et hæc tibi medico de regimine dicta satis sint. At quoniam quæ dicta sunt minime omnem malum tollere possunt. Ponā ea etiam auxilia, & medicinas quæ causam, & morbū aufferre ualeant. Accidens uero cum morbum sequatur sicut umbra corpus, illud (remoto morbo) per se recedet. uerum quoniam materialis morbus est, ideo ex Hyppocratis sententia euacuatione sanari debet. Non tamen per sanguinis missionem, cum minime repletio sanguinis sola sit, aut cum aliis humoribus sanguis abundare uidetur. Eges igitur humoris frigidi pituito si, non sine aliqua natiuæ bilis permixtione eductione, quod quidem primo commode uomitu fieri potest, & erit antecedentis causæ remotio. At si ad uomendum non sine discrimine te excitare potes, uel præter eam materiam quæ in uentriculo est etiam eam quæ in uenis, & membris resides medicinis euacuare desideras, præparetur primum ea syrupis, uel decoctis idoneis quales sunt syrupi de betonica, de stœcados mel rosatum & similes. Et decoctum sit ex betonica, yua, stœcados, acoro, polipodio & similibus, cum sint suis qualitatibus ex illis quæ materiam pituitosam permixtam ad euacuationem præparare possunt, & etiam obstructionibus ac reliquis nocumentis neruorum succurrant. Vbi uero materia præparata fuerit, quam præparationē ex locio facile cognosces, eam pharmacis benedictis (qualia sunt agaricus) euacuare conducit, quem agaricum nunquam in expurgantibus medicinis dimitterem. Valēt etiam hieræ, & præsertim compositæ uidelicet hiera

her

hermetis, hiera logodion (& ut superius dixi) biera pachi summopere mihi arridet. Sunt & alia Electuaria quæ studens breuitati omitto. sunt etiã pro materiæ euacuatione optimæ pilulæ cochiæ, de serapino, de opoponacho. Ego tamen sæpissime usus sum pilulis de euforbio, quæ in similibus semper salutiferæ fuerunt, eas uero laudat Auicenna tertio canonis de cura apoplexiæ, & etiam de cura paralysis. Dixit nanq;, tam in uno, quam in altero capite Pilulas de euforbio istis cæteris aliis meliores esse. Porro educunt materiam pituitosam a neruis, & aliis longinquis partibus, quæ tanto securius exhiberi possunt quanto iam inueteratus morbus est, neq; in principio eas tuto acceperis, neq; nunc semel exhibitæ omnem materiam secure euacuare possunt, sed operæpretium erit sæpe, & in minori quãtitate eas accipere. Dum tamen istæ administrantur euacuationes utile est uti etiam confortãtibus intus & extra, ut puta accipiẽdo mitridaticam compositionem, uel tiriacam, aut confectionem diatrion, pipereõ, uel diamuscum, & similes. Exterius uero conducunt inunctiones spinæ, a collo usque ad caudam, cum oleo liliorum, costino, de iunipero de piperibus, quibus cum etiam conuenit membra resoluta, & loca affecta inungere. Prodest quoq; lauare spinam, & membra resoluta ex decocto betonicæ, stœcados, yuæ, costi, saluiæ, rorismarini, lauendulæ, & similium, non semel, sed bis in die, ac per spacium tẽporis ꝓsequi, etenim id iuturnis morbis nõ nisi cõtinuata remedia prosunt. Hæc uolui (tibi morem gerens) dixisse. Non quod te ea ignorare credam, sed potius ut mihi ipsi satisfacerem, tanta est enim tuarum uirtutum magnitudo, & mea in te beneuolentia, ut nunquam tibi satisfecisse uidear, sed in omnibus te bonis consulere uelim. Nam quæ hactenus scripsi, mihi necessaria uisa sunt ut ad plenum tuis literis responderem, quibus postulas, an etiam præter iam dicta, usus decocti ligni indici quod sanctum uocant, huic morbo conduceret. Quod si proficere aliqua ex parte credam, quomodo uel cum quare illud melius, & utilius decoquendum sit. ad hoc uero respondeo. Lignum indicum medicinam idoneam ex qualitatibus manifestis esse, cum sit calidum, & siccum, uel cum possit corpus nostrum, & calefacere, & exiccare. Adde quoq; quod præter primas dictas qualitates, habet & secundas huic malo

proficuas, cum & sudorem, & urinam aperiat, quapropter decoctum ligni indici exiberi potest sine aliqua æxitatione. Neque illud cum aqua fontana, aut cum aliquo quouis uino, siue uernaco, si ue maluatico, siue alio decoquerem, sed cum aquis stillatitiis, puta betonicæ, & yuæ, & saluiæ, uel in similibus, cum quo mel etiam decquouerem in ea quantitate quam ponunt cum aqua mellis facere uolunt, sic quæ una, cũ ligno indico in puluerem conuerso in dictis aquis ad consumptionem tertiæ bullirem. Et ne aliqua in parte sermo deficiat, sic eam componerem. Recipe ligni indici in puluerem conuersi, mellis optimi añ. libram unam, aquarum betonicæ, yuæ, saluiæ añ. libras quatuor, infundantur per diem, & noctem deinde bulliant in cacabo lapideo ad consumptionem tertiæ partis, coletur, & exibeatur calida ad minus bis in die, uidelicet mane in aurora, & uesperi ante cœnam quatuor horis, ad quantitatem sex, uel octo unciarum, plus minus ue secundum uirtutis tolerantiam. neq; dum istam bibere studes decoctionem, post corporis a' communibus superfluitatibus mundificationem, inunciones spinæ, & membris resolutis prætermittendæ sunt. Hæc sunt doctisſime Paule quæ pro temporis angustia ut tibi satisfacerem in præsentia scribere potui. Deus qui pater omnium optimus est manus omnipotentiæ suæ huic nostro consiglio porigere in tui salutem dignetur. Vale. Venetiis. M. D. XXXXV. Die. XV. Decembris.

AD EVNDEM EXCELLENTISSIMVM Paulum Magnolum. Epistola. XIIII. De medicamentis in resolutione, seu paralesi quorundam membrorum.



IE XVI. Martii respondi tuis quas ad me scripsisti die quinta Martii, sed an mentem meam clare tibi exposuerim non mihi ex omni parte perspicuum est: cum iterum te per literas quas die. viii. Aprilis scripsisti, quæ heri uesperi mihi redditæ fuerunt: idem fere' quod in illis petebas petere (ni falor) uidere uideor. Igitur sub tali uerborum sentẽtia, quæ proximis

ad te scripsi literis. Foelix & salutaris curatio illa est quam regimine sex rerum necessariarum medicus nauare potest. Quod si præter regimen etiam secundum medicinæ instrumentum necessarium fuerit, quod est medicaminum administratio, in hoc tuo præternaturam affectu, illa conducere iudicaui quæ leuia, & facilia sint. Quare si etiam carnes aliquas (ut scribis) una cum iam in alia epistola dictis rebus coqueres, & cum decocto membra lauabis, nihil uideo quod aut plurimum obesse, aut prodesse possit, quoniam si carnium in uniuersum qualitates pondero nihil habes quod plurimum corpus alterare possit. Et id illud idē de oleo amigdalarum dulcium esse dixerim. At si forte proprietatem aliquam (ut aiunt) præter manifestas qualitates quæritas, oleum de lumbricis, cum plurimo oleo amigdalarum amararum compositum sumopere placeret, neque oleum i decocto cum hebis, & reliquis simplicibus bullire uellim, sed post lauationem uniuersum corpus dicto oleo inungerem, & præsertim membra resoluta, & partes reliquas imbecilliores. Decoctum uero cum quo lauare membra oportet sit, ex betonica, saluia, stæcados, agarico, & portione rosarum ad temperandum si qua eis est immoderata caliditas. Et ut etiam uirtus decocti melius deferatur, & partes intimas membrorū penetret, uini quoque aromatici albi portionem aliquam ponerem, puta uigesimam partem, lauaremque affecta membra dicto decocto moderate calido. Quod uero petis de seri lactis uires in hac tua præternaturam dispositione, an scilicet aliquomodo tibi prodesse possit, nihil certi habeo. Scio equidem serum temperatura satis moderatam, tam in caliditate, quam in siccitate habere, ita ut possit modeste calfacere, discutere & attenuare, ac etiam cum sit leuis substantiæ uires multarum medicinarum suscipere ualeat, uidelicet radicum, herbarum, florum, fructuum, uel seminum, si in eo infundentur per aliquod tempus, aut bullierint. Et ea ratione materia infusionum, & decoctionum a medicis dicitur. Neque crederem ego ut scribis serum lacte esse ultimum auxilium ad extremum morbum: cū sæpe dixerit Galenus extrema auxilia in morbis cibi abstinentiā, & sanguinis missionem esse. Sed uellem ut dictum, siue autoritatem aliam Hyppocratis, & Galeni pariter ad hunc tuum affectum contorqueres, & extorqueres, quod ut mihi persua-

deo non sine ingenti beneficio tuæ ualitudinis erit. Sententia hæc est, quo'd ignis non sanat nihil sanare potest. quam patrũ medicinæ sententiá, sic tuo affectui conciliare uellem, præsertim ubi reliqua iá dicta remedia non cõtulerint, Duo (ut aiũt) cauteria prope' iuncturas genuum in parte syluestri, hoc in casu fieri te procurare uellim, ut loca tádem illa exulcerarentur, atq; exulcerationes aliquo ingenio prohibente consolidationem, & plus generante per aliquot menses adapertas custodires. quo'd facile' fiet si super loca combusta bis die folium brassicæ cum butiro, & etiam si pilulam ceream, seu argenteam in dictis exulcerationibus profundes splenio aliquo supra calcante. Etenim sanies quæ ab ulceribus emanabit uniuersum corpus a' subtilibus, & uirulentis excrementis per membra sparsis emundabit, & ita reliquas partes in dies incollumiores uidebis, reuocato scilicet ac etiá extra ducta materia subtilis, & uirulenta, quæ neruos plurimum molestat. Postremo mutationem loci illius mirifice' laudo, audio enim uentis frigidissimis expositum esse. Hoc cum domino Ioanni mariæ nostro significassem ille plurimum consilium laudauit. Quo'd uero ad clarissimum Mullam spectat, cum nulla sit mihi cum uiro nobilissimo, & grauissimo cõsuetudo nihil ei comode' dicere possum. Quicquid de negotio, uel statutum, uel actum a' te fuerit illud amicis significare non pigeat. Ego etsi hac in re, aut nihil, aut parum tibi prodesse possum táde rebus omni tempore faueo. Vale, & me ama Apollonius, & cæteri amici te officiosime salutant, & optimam tibi præcantur ualetudinem. Venetiis. M. D. XXXXVI. Die. X. Maii.

AD DOMINVM CASTVLVM Haugum Nobilem Augustensem. Epistola. XV. De Ressolutione, siue Paralisi.



VANTVM Ex his quæ nobis relata sunt, atque scripta fuere. Vir Nobilissimus ætatis triginta octo annorum temperaturæ calidæ, & siccæ: atq; a principio generationis cũ plurima cerebri humiditate:

cum

tum esset quinque annorum natus, quod loqui non poterat. Hic iam sunt anni sex, quo'd ex multis incomodius, tum corporis (ab aere, & aliis negotiis,) tum etiam ex maximis animi perturbationibus incidit primum in capitis grauedinem, & imbecilitatem operationum ipsius, atque etiam totius corporis laxitudinem, & postremo iam sunt duo anni in hanc præsentem præternaturam dispositionem, quæ eum plurimum molestat. Dispositio præter naturam est resolutio, siue Paralesis dexteri lateris, ita ut uniuersa illa dextera pars, uidelicet brachium, & crus sit priuata motu uoluntario, quo'd neque incedere, neque brachium ad caput erigere potest, nisi adminiculo aliquo, ut puta alterius brachii sani. Cum qua resolutione neruosorum membrorum dimidiæ partis corporis, a' capite infra; adest quoque maxima loquendi difficultas, ab eadem, & alia causa, ut uix sex uerba continue loqui possit: adest etiam uirtutis memoratiuæ insignis læsio, itaque difficulter recordetur, atque rememorari potest, & quoque insignis uisus, & oculorum imbecillitas, & obtenebratio est. Et quamquam hic deterius superioribus mensibus se habuerit, & a' duobus mensibus cum dimidio a' principio nouæ istius recidiuæ, siue maioris inuasionis (quæ fuit in fine mensis octobris) ex multis applicitis remediis, tam interius, qua'm exterius, melius habuerit, manent membra tamen resoluta, & impotentia motus, tam cruris, qua'm brachii, atque loquendi difficultas & memoratiuæ uirtutis impedimentum in eodem statu; iam sunt duo menses, cum insigni (ut dixi) uisus imbecilitate, ita ut post duos, aut tres uersus cum procedit legēdo uisus semper obtenebratur. Hæc nobis relata, & in scriptis dacta sunt, ut si fieri possit salutifera remedia dictis dispositionibus scribere uellimus. Quæ qm̄ nō nisi prius declarem, & essentiam morbi, & causas eligi possunt: ideo primum sic' ad eorum declarationem dispositiones præternaturam declarare incipiam; a' resolutione, siue Paralisi exordiens, quæ uidetur hominem magis molestare. Est igitur ressolutio siue (ut Græci dicunt) Paralisis, passio neruorum, qui a' nuca oriuntur, teste sensu, & Galeno in de locis affectis. Et quoniam ressolutio in dextera parte est, atque illi parti uniuersalis passio, ideo dexteræ nuchæ partis nocumentum primum erit. Neque mirū est apud probos medicos, quo'd sola dextera pars remolita sit;

cum tam nucha, quam cerebrum a' quo nucha principium, & originem habet, diuisa sit in dexteram, & sinistram parté per paniculum manifestum, & tam etsi ressolutio appareat in mébris exterioribus, ut est brachium, manus, crus, pes, & alia mébra, non ideo paralisi istorum membrorum est primaria passio, cum a' capite primo uel nucha materia aliqua, uel mala qualitas, uel ambo simul proueniant ad inferiora membra ex ipsius capitis, uel nuchæ mala temperies, uel alio modo alteratione, quæ prohibent transitus spiritus sensitiui, & motiui a' cerebro. Quo'd uero a' capite hæc ressolutio ortum habuerit; testis est grauitas, & imbecillitas capitis a' principio generationis, quæ antea iam sex anni plurimum eum molestauit, & tandem agitur nunc secundus annus quo'd primum areptus fuit a' paralisi, & postremo a' maiori iterum, quæ fuit in fine mensis octobris. Præteriti, quæ ita grauis fuit, ut per duos menses cũ dimidio sine loquela, & motu, tam brachii, qua'm cruris eiusdem dexteris lateris fuerit. Et quanuis sensus interiores semper incolumes fuerint nihilominus non recordabatur. Ex dictis sic actionibus læsis, & aliis dictis; declaratur morbum esse temperiem frigidam cum materia pituitosa plurima in cerebro a' quibus obstructionibus nuchæ, & uiarum neruorum quorundam ab illis prodeuntium cum inspisatione ab eadem materia in ipsa imbibita prohibente spiritum ad meatus neruorum procedere, atq; neruos humectantes, ita ut ex ambabus dictis causis uirtus actiua neruorũ impediatur, & eo magis ad hanc dexteram partem mala temperies cum materia potuit recipi, quoniam meatus dexteri latus maiores sunt, cum calidior sit pars dextera sinistra: & hac ratione cum plurima materia ad hanc partem transmissa fuerit, uirtus primo animalis imbecillis facta fuit, sed naturales uirtutes omnes imbecilliores apparent, ut est atratrix, retentrix, concotrix, & expultrix, & hoc quoniam ex mala temperie, & ex præsentia materiæ frigidæ prohibentis conuenientem transitum spiritus ad membrum, calor, siue temperamentum membrorum affectorum languescit, & ex ea etiam causa membra ressoluta, seu paraliticata macrescunt, ut audiui. Quo'd uero materia pituitosa sit causa materialis huius præternaturam affectus, facile' persuaderi potest, etiam in corpore biliosos, & primo quoniam in Germa-

nia degit, quæ regio frigida est; & forte etiam usus est cibis crassioribus, ut faciunt nobiles Germani comedendo cibaria pinguia, ut est butirum, & carnes reliquas pingues obtundentes calorem naturalem; adde etiam quod cum sit uir negociosissimus, & plurimi laboris potuit ex illis plurimum calorem naturalem imbecillem reddere. Sed id quod esse i causa potuit prӕterdicta est, quod ille semper fuit pronus in uenerem in qua plurimum aberauit, etenim uenus immodica nocet omnibus membris, & cerebro, & uentriculo: & hoc quoniam in seminis emisione, seu euacuatione calorem, siue spiritum naturalem euacuamus, sicque uniuersum corpus refrigeratur, quod nocumentum in cerebro, & ueutriculo primo apparet, cum utentibus nimia uenere, sensus omnes imbecilles efficiantur: atque segnes, & efeminati uideatur, fixique ut uix proprium corpus sustinere ualeant, ac etiam cito senescant: sed deterius amplexus uenereus est ille, qui post cibum fit. quæ omnia non nisi a refrigeratione eue nire possunt, sed (ut dixi) primum uētriculus & caput leduntur, sicque fiunt cruditates in ipso uentriculo quæ continuo ad caput euaporantes, & illud replentes, in ipso & ex ipso omnes operationes prouenientes sunt imbeciles, ut est uidere, tam in sensibus iterioribus, quam exterioribus, & non tantum in sensibus uerum etiam capitis hanc imbecilitatem impotentia motus ostendit. sicque non est mirum si totius corporis laxitudinem sentit, ex iam dictis, scilicet mala temperie cum materia in cerebro nuchæ communicata, & ex calore naturali refrigeratione, & a diuturno morbo ressolutione: ex qua materia, & humida, & frigida in cerebro agregata, & ex caloris imbecillitate nō exiccata, neque diflata: sequitur somnus longus, & memoratiuæ uirtutis nocumentum, cum memoria a sicco perficiatur. Quæ materia descendit etiam ad neruos ad linguam procedentes humectans eos atque prohibēs debitum transitum spiritus, est in causa quod ipse pigre loquitur: ab eadem etiam materia eleuantur uapores petentes oculorum neruos, & cum mouentur, aliqua occasione uisum obtenebrant. Et quamquam difficilis semper fuerit cura confirmatæ Paralisis, non tamē ea est difficultas, quæ spem ex omni parte tolat, præsertim cum uirtutes reliquæ uidelicet uitalis, & animalis omnino non careat robore, & etiam ætas sit uigo-

ris,tempusq; anni quo'd uer est salutiferum sit, ac etiam quoniam audio illum diterius se habuisse, & impræsentia melius (ex factis remediis) habere, & hæc satis de Morbis, & Causis.

Sint ex dictis ergo primum remedia salutifera hæc, videlicet,maneat in loco in quo aer sit tēperate caliditatis,excedens tamen aliquantisper in siccitate,qualis est in prima parte æstatis aer,quo'd sit talis aer non sit naturalis, sed potius e' contra, alteretur camera,& locus habitationis cum igne ex lignis siccis optimis,quale est iuniperus,laurus,pinus,abietis, lētiscus, fraxinus, & similia, ita ut omnino ex arte exiccetur aer. Vel fiant sufita roremarino,uel ligno aloes,aut cum mirra, uel olibano, & similibus:caueat tamen a' sufumigiis nimis calidis, quoniam tales euaporationes replēt caput,& grauedinem, & dolorem gignunt. Præterea si fieri potest ante cibum utatur aliqua leui exercitatione, qualis esset leuis deambulatio, at quoniam consistere non potest, sustentetur baculo,uel baculis,aut sit famulus aliquis adiuuans. Vel equitet si sedere potest, uel uehatur curu:sed post cibum quiescat ludatq; laudis iocundis,ut sunt tabulæ,& latronculi &c.

Studeat etiam,ut habeat quotidianam fecum euacuationē per secessum ante cibum,quæ feces si non sponte,egerātur, & deducantur,clistere ex decocto betonicæ,maluæ, & blitis, in qua decoctione adde oleum liliaceum, sal commune, & mel rosaceum. Caueat quoq; a' repletione,tam cibi, qua'm potus. Cibariorum ratio sit illa quæ atenuatiora,uel exiccatoria dicitur,quare primum comedat panem bene fermentatum,& salitum:in quo sint semina fœniculi,anisi,uel cimini,sitq; optime' coctus. Vtatur carnibus, quales sunt carnes caponum, & auium nemoralium,ut sunt perdices,coturnices, fasiani, turdi,merulæ,& similes, & quadrupedum carnes sint uerbi gratia hedinæ, leporinæ iuuenes, & similes, & aliquando uitulinæ,coquantur elixatione,siue assatione,& cum eis buliant radices fœniculi,aut semina aliqua puta fœniculi, anisi, cimini, uel aromatizētur cū cinamomo,maze,zinzibere,pipere, & similibus. Vitanda sunt cibaria omnia humida,& crasse substantiæ qualia sunt ex carnis porcines,agnorum,& piscium. Præterea laticinia omnia dimitenda sunt,ut lac,butirum, caseum.

Simi

Similiter & fructus omnes dimittendi sunt, ut sunt poma, pira, cucumeres, melones, pipones, cucurbitæ & reliqui. Dimitantur quoque citri, limones, aranciæ & similia, & in summa omnia, frigida, & saporis acetosi, & acidi sunt mala, & plurimum nocent.

Potus uero sit aqua, in qua sint decocta saluia, betonica cum melle, & cinamomo, & mel sit octaua pars aquæ, bulliantque ad consumptionem tertiæ partis. Quod si sine uino esse non potest, detur uinum album pauciferum dilutum supra dicto decocto, uel diluatur plurima aqua decoctis cinamomi, & etiam granorum piperis, caueat ut diximus ab acetosis. At si aliquando gratia palati cibaria cum aliquibus rebus, quæ sapiunt condere uoluerit, fiat hoc cum cinamomo, macie, nuce muscata, garyophalis zinzibere, pipere, & similibus, addẽdo portionem saccari, uel mellis decocti & despumati: Præterea mane ante cibũ comedat radicẽ zinziberis cõditam, quem zinziberem uiridẽ uulgo uocant, uel radicem calami aromatici conditã, aut galange. Post prandium & cœnam comedat semina anisi cum saccaro cõdita, uel fœniculi semina, uel grana pinei cum zuccaro præparata: neque post ista bibere oportet. Dormiat nocte, & somnus non sit longior septem horarum: neque dormire incipiat nisi duabus horis post cœnam, die uero nullo pacto dormire conducit præsertim horis post meridianis: sed (ut dixi) a' prandio ludeat ludis iocundis, & gaudeat cum amicis, sintque colloquia, quæ animum illarem reddere possint, uel audiat instrumenta musica & cantus suaues, caueat quoque ab amplexu uenereo: porro' inter cætera quæ plurimum in hac seua dispositione nocet est Venus: etenim ipsa cæteris omnibus aliis nocibilior est & eius nocumentum fere' incorrigibilis existis.

Et quoniam primarius morbus & cæteri alii affectus præternaturam materiales sunt, hoc est una cum materia frigida pro maiori parte, quæ tractu temporis crassitiem acquisiuisse non sine ratione credendum est, & ea ratione hic nobilis non poterit sanitati restitui, nisi prius materia quæ plurima est, conuenientibus medicinis euacuetur, nam hæc materia fouet primarium morbum & fuit etiam causa illius. Conuenientes medicinæ euacuantes, sunt illæ quæ sensim & sine molestia reiteratis eam educere poterit, qua educta siue euacuata materia, secun

do loco mala temperies tanquam principalis morbus corrigenda erit. Tertio postea membra affecta roboranda erunt, ut est uentriculus, caput, & reliqua membra, ut est brachiũ & crus, & hoc congruis, tam interioribus, quàm exterioribus medicaminibus. Primum ergo materia cruda, & crassa præparare ad euacuationem istis syrupis operæpretium erit uidelicet.

℞. syrupi de betonica. ℥. i.
de stœcados. ℥. S.
Aquarum yuæ, saluiæ } ãñ. ℥. i. S.

misce, uel fiat decoctum ex yua, & saluia cum aqua betonicæ. Et cum. ℥. iii. dicti decocti diluantur prædicti syrupi, & sumatur calidus mane i aurora dormiatq; p duas horas post, (si potest,) deinde quatuor, aut quinq; horis post accipiat prandiũ. Quòd si etiam ante cœnam tribus horis eundem syrupum acceperit plurimum sibi iuuabit, sumendo hos syrupos procedat per aliquot dies donec in locio aliqua signa concoctionis apparuerint, quibus apparentibus detur medicina euacuatiua humorum crassorum leuis tamen hoc modo.

℞. electuarii lenitiui. ℥. i.
hieræ Galeni. S. ʒ. vii.

Decoctionis polipodii, epithimi, stœcados, passularũ in aquis stilatitiis yuæ, & betonicæ. q. S; misce & ex eis fiat potio. Deturq; mane in aurora, dormiat etiã si uoluerit per horã post assumptionem: deindequinq; horis post accipiat prandium, sequente uero mane detur ciatum iuris capi, aut alterius optime carnis cum duabus unciis mellis rosacei ad abstergendum uentriculum, & intestina, atq; etiam ad confortandum quoniã (ut diximus) in diuturno morbo fieri non potest quim uentriculus imbecillis reddatur, & etiam ea ratione, ego tam in syrupis præparãtibus materiam, quam in medicina euacuante studui ponere, ea quæ uentriculum roborare possunt. Sed quoniam materia plurima, & quæ non potest unica euacuatione expurgari, ideo iterũ indiget ut denuo residuum præparetur; quod cum sit crassius, fortiori egebit digestiuo hoc modo.

℞. syrupi de betonica
de stœcados
oximellis scilitici } ãñ. ℥. S.

Decoctionis stœcados, betonicæ, yuæ, & epithimi, in aquis saluiæ, & peoniæ. ℥. iii. misce & detur per aliquot dies mane in aurora, dormiatq; per duas horas post, (si potest) deinde post aliquot dies detur iterum medicina hæc, quæ materiã crassiorem educere possit, quæ tamen non est fortis & habet uirtutem roborandi uentriculum caput, & neruos.

℞. electuarii lenitiui. ℥. i.
hier; pachi descriptione scriboni largi. ℥. S.
Decoctionis superius scriptæ. ℥. iii.

misce & fiat potus. Et detur mane in aurora, quinque horis saltem ante prandium, & dormiat post (si uoluerit) per horam sequenti uero maue bibat ciatum iuris capi, cum duabus unciis mellis rosacei.

Istis sic factis euacuationibus, prius optimum erit usus aliquarum pilularum semel aut bis in ebdomada, quæ a' capite & membris neruosis educant, & uentriculum roborent hoc modo eas componendo.

℞. pilularum de hiera. S. ʒ. S.
cochiarum. ℈. i.
fetidarum. ℈. S.

misce, & fiant ex eis pilulæ numero. yi. uel yiii. Et sumantur nocte quatuor horis a' cœna.

Laudauit etiam Auicenna tertio canonis cap. de cura paralisis, pilulas de euforbio, quas ego sæpe expertus sum. Quare si aliquando adderetur ℈. i. ductarum pilularum de euforbio cum si supra scriptis plurimum mihi placeret, quicquid tamen fit, semper cauendum est a' medicinis fortibus, cum materia quæ educenda est frigida, & crassa sit, quæ eget paulatina præparatione, & quoq; paulatina euacuatione.

Præterea post istas euacuationes, uel etiam dum iste perficiuntur studendum erit diuersioni a' locis affectis, & resolutioni materiæ, quæ in membris affectis est tanquam causa materialis immediata nocumenti eorum membrorum. Primũ si uenter quotidie non fluxerit sponte, & feces intestinorum non egrediantur fiant clysteria alternis saltem diebus, scilicet mane ante prandium. Masticentur mane ante prandium mastices, ut per sputamina materia quæ in capite est ad os deducatur & euacuetur sicq; fiat distratio ad nucham, & neruos

descendat, quod si fortius masticatorium desideratur fiat illud ex seminibus staffisagri; mastice & modico syrupi de stœcados & hoc in forma pastilorum ex quibus ante prandium unus uel plures masticentur ut materia (ut dixi) deducatur.

Præterea locis primo & secundario lesis hoc modo succurãtur uidelicet, primum nucham, & uniuersam spinam dorsi inunguatur oleo liliaceo, & costino simul mixtis (calidis tamẽ,) & hoc ante prandium, & cœnam, inunguatur quoq; sub asella inguiua læxe partis. Ad hanc intentionem ualet oleum sic præparatum.

℞. olei liliorum Alborum, de costo } añ. ℥. iii.
succi rutæ, succi cucum. asinini } añ. ℥. ii.
castorei, piretri, piperis, euforbii } añ. ʒ. i.

Buliant succi cum oleo usq; ad succorum consumptionem deinde adde castoreum, piretrum, piperem, euforbium in puluerem conuersos & buliant omnia iterum modicum. Cum quo linimento unge (ut dictum est) nucham, & uniuersam spinam dorsi sub ala & inguine, & hoc sit mane, & uesperi calido existente linimẽto; foueantq; loca incuncta pãnis calidis Quo'd si febris nõ adest bis in ebdomada. ʒ. i. cõfectis anachardinæ, aut mitridaticæ, uel thiriacæ confectis si, tam mitridatica confectio, quam theriaca habere potuerit. Caueat tamen a' nimio usu, uel quantitate rerum nimium calefacientium, ne forte febris ualida in corpore iam atenuato introducatur. Quare omnia modeste' adminiftranda sunt, præter dictas confectiones, sunt quædam temperatiores istis, quibus uir nobilis poterit etiam quotidie uti ante cibum tribus aut quatuor horis, ut est diamuscus dulcis, & diamuscus amarus, uel diatrium piperum ex quibus accipiat rotulam unam mane, quæ confectiones modeste' calefaciunt & exiccant præterquam quo'd uentriculum, cor, & caput, roborant atq; materias frigidas dissoluunt, Quo'd si his omnibus administratis, nobilis æger adhuc in iam dictis membris motus uolũtarii impotentiam, & para

lesim

lesim habuerit:non propterea desistere ab inceptis oportet: sed consilium meum est,ut ad alia remedia, quæ plurimos dete rius se habentes sanauerunt:& sunt potus aquarum mineraliũ ex sulfere,& salnitro,quales sunt aquæ termarum in agro Pata uino in Italia, & non tantũ ex usu erit potus dictarũ aquarũ ue rum etiam lauare membra ressoluta ĩ ipsis plurimum iuuabit, & etiam duciam super caput accipere, & postremo membra ressoluta in luto ponere,eo ordine quem statim dicam, & quã quam ut audio ipse usus sit termis, quæ in Germania sunt quæ minime eum sanitati restituere potuerũt, non propterea dictæ patauinæ termæ negligendæ sunt. Igitur a' medio men/ se Maiis factis dictis purgationibus ad illa balnea,quæ in agro Patauino sunt accedat ad aquas Aponensis loci, quas per ali/ quod dies primum bibere operæprecium erit,atq; in ipsis la/ uare membra affecta & ressoluta oportebit & præsertim crus & brachium, deinde caput, uidelicet accipiendo duciam su/ per coronalem comissuram capitis, ubi nucha a' cerebro ad spinam procedit. Sed in accipiendo prænominatam du/ ciam animaduertendum erit, quod necesse est hanc duciam per plurimos dies super caput administrare siquis ab ea auxi/ lium notabile & firmum accipere desiderat. Etenim in diutur/ no morbo,& iam confirmato non est credendum quo'd ipsa aqua possit,& materiam ressoluere,& ad temperamentum pri stinum eum reducere:nisi ex frequenti, & diuturna admini/ stratione,cum & si per caliditatem,& siccitatem operetur,hu fcemodi qualitates non sunt plurimum excedentes. Quare non minori tempore qua'm spacio quindecim,aut uiginti die rum eam duciam in capite recipiat,quo'd si etiam eam bis in die administrauerit; tolerante tamen uirtute melius, & citi/ us ipse Dominus euadet.

Post quam duciam per plures dies administratam,si adhuc paralisis imbrachio, & crure aliqua fuerit, lauentur iterum membra ressoluta in dictis aquis,& etiam membris ressolutis applicetur lutum mane,& uesperi,& hoc fiat caute',tã imbra chio, qua'm in crure ne forte ex nimia luti exiccatione,& res/ solutione membra debilia nimis exicentur. Cautela autem in applicatione luti erit in tempore & quãtitate,ita ut non plu/ rimum in luto illo moretur,neq; ingẽs quantitas luti applice/

tur, sed modeste omnia fiant. Quam administrandi, (tam potus aquarum quam lauationis, duciæ, & postremo luti) rationem habere operæprecium erit, uel ab experto medico, aut saltem ab astantibus hominibus, qui quotidie aquas illas, tam in bibendo, quam lauando, & in capite per duciam experiuntur inquam plurimis hominibus. Hoc de quantitate, & mora in luto dico.

Post quam omnium remediorum administrationem spero Magnificum Domiuum DEO Optimo Maximo auxiliante sanitati restitui: Quam ipse DEVS sua ineffabili bonitate cõcedere sibi dignetur.

Vnum tamen non omittam uidelicet quod etiam postquam ille bene se habuerit, aut melius ex iam superius factis remediis operæpretium quoque etiã, ut ipse p annum saltem caueat ab omni aere frigido, & etiam a comestione rerum frigidarum, & humidarum. Similiter caueat a quantitate & diuersitate ciborum præsertim a potu diuersorum uinorum & dulcium, quoniam uinum primum & per se nocet capiti sed neruis per accidens aut secundariæ, & diuersitas ciborum plurimas superfluitates generat. Item caueat a nimia exercitatione, & laboriosa, ac etiam a diuturno ocio: & similiter a somno longo, & etiam ab omnibus animi perturbationibus, ut est excandescentia, timor, Ira, & cogitationes rerum tristantium: a Venere quoque abstineat & ab omnibus aliis, quæ uirtutem, & spiritus resoluunt, denique studendum erit euacuationi superfluitatum communium intestinorum per secessum, & urinæ permictum, quod si uentris inferioris feces non egrediantur sponte, ex usu erit, atque pluriuum iuuamenti uti aliquibus pilulis ducentibus comunes feces intestinorum atque etiam uentriculum, & caput robortãibus, ut sunt pilulæ de hiera simp. de hiera cũ agarico, uel Mastichinæ, aut Alefanginæ, & similes, quæ ualeant (ut diximus) uentrem subducere, & ne materiæ crudæ agregentur prohibere. Et hæc satis sint pro temporis angustia mihi negociosissimo in ægrotantium uisitationibus ad Laudem Omnipotentis DEI.

AD IDEM EXCELLENTISSIMVM Dominum Paulum Magnolum. Epistola. XVI. de uniuersi corporis excarnatione, siue matie.



QVO'D Literis tuis, quas ad me scripsisti Calendis Iulii usq; in hunc diem non responderim Magnole doctissime, id in causa fuit, tum quo'd febre per aliquot dies laboraui, tũ etiam quo'd D. Ioannes Maria noster aberat. Nunc uero cum optime ualeam, & ille redierit, cui tuas, ut legeret, ostendi, atque in hac re ẽt eius sententiam audiui: sic ad tuas respondeo. Primũq; te optimam ualetudinem consecutum gaudeo, ac laudo quo'd Venetias desideres, locum tibi in primis salubrem, ubi ea etiam quæ ad sumptum attinent, ut politice', ac philosophice' (ut ita dixerim) uiuere possis, tibi omnino non desint. Ego mi Paule, ut scriptum reliquit Aristotiles, a' quo edoctus sum, sæpissime dicere soleo; Viuere uiuẽtibus esse ẽ, sed optima, & inculpata sanitate frui, atq; cum filiis hominum esse, & præsertim doctis, absolutio & perfectio eorum qui uiuunt hominum est. Quare si Venetiis hic aer tibi semper icolumis fuit & ille morbiferus cur te Venetias proficisci nõ persuadeam nescio, maxime cum iá te tantũ pecuniarũ ex reditibus habere scias, quátũ ad uictũ philosophátiũ, qui paucis cõtéti sunt, tibi sufficire posit. Neque hic ut credo, ac etiã ut nosti, desunt q te in pceptoré, tũ bonarum literarum, tum philosophiæ, & medicine non libenter accipiant. Mitto methodi & exercitationis, seu therapeutices in meéddo utilitates, quæ etsi in iuuenibus qui ad urbem recẽtiores sunt, non ita large & liberales sint, sunt tamen aliquæ, & in dies magis, ac magis augentur, pro hominum industria, & præstantia. Quo'd uero ad tuam ualetudinem spectat, & petis nunquid decoctum ligni Indici, seu ut aiunt Guaici, hisce téporibus calidissimis bibere conducat, & an sudare operæpretiũ sit adhibitis coopertoriis, manereq; in letulo post potũ, an potius surgere & deambulare conueniat, ut melius per uniuersum corpus medicamen distribuatur: hæc quæstio non facilis primo intuitu est. Attamen si diligenter omnia p erpendas, non est quo'd dubites post potum dicti medicaminis (ad

qua'm exhibitionem mitiorem aerem expectarem) quiescere melius esse. Nam per motum etsi aliquo modo calor naturalis excitetur, nihilominus spargitur quoque, & dissoluitur (ut ita dixerim,) atque ad præpositum opus minus potens efficitur, ita ut ex ambabus causis imbecillior reddatur, ob motum scilicet exercitationemque, & quod dispersus sit, tametsi leuis exercitatio fuerit, dissoluitur. Neque medicamen hoc est illud quod non uim aperiendi ac distribuendi se, & quicquid cum eo fuerit ad uniuersum corpus non habeat, cum primo calidum sit, & attenuandi uim detineat, ita ut sudorem, & urinam commode ciat. Adde etiam potum hunc esse medicinam subtilium partium, neque egere ut ad actum suæ uirtutis deducatur caloris natiui inflamatione, aut motu aliquo corporis egeat, ut citius e' uentriculo descendere ualeat, ut contingit illis qui plurimũ, & crassum cibum ingerunt. Quare melius erit, postquam ebibitum est, in lectulo quiescere, ac etiam secundum temporis status, & cõstitutionis se coopertoriis cõuenientibus cooperire. Neque uellem, si animus est hoc decoctum bibere, illud forte ex maiore ligni quantitate, & plurima ebullitione esse, posteaquam, (ut ais) uniuersum corpus extenuatum est, ita ut manifeste' caro imminuta uideatur, ne forte' ex ulteriori exiccatione in tabẽ aliquam irreparabilem incidas. Quare lignum Indicum, cum maiore aquæ quantitate decoquere oportet, atque etiam non ita large' bibendum erit. Præterea cauẽdum est a' nimio, & copioso sudore. Neque te illum arte aliqua excitare uelim, sed id quod sponte sine aliquo exteriore auxilio fluet, moderate accipere. Et quãquam plurimi post potum huius decocti pingues euaserunt, non ideo fuit, quia potio hæc substantifice impinguet, sed quoniam ab ea iecinore rectificato, & meatibus corporis, per quos nutrimentum ad membra transit, adapertis, facilis fuit nutrimenti ad membra attractio, sicque pingues euaserunt, præsertim cum duæ potissimæ uirtutes in hoc decocto sint, quæ sunt, causæ ut hoc munus optime' perficiatur. Quarum prior est, iecur ad optimam temperiem mutare, posterior autem uias ad distribuẽdum optime' parare, ita ut minime impeditæ sint. Sed ad id, quod postremo cognoscere desideras, & quæris, an illinitio membrorum ex butyri sublimatione, atque destillatione & in aquam conuersi, additis & muscho, & lauendula,

dula,ac etiam unguentis odoriferis,utiliter administrari pos-sit,ut aliquo modo isti tuæ maciei opitulari ea inunctione ua-leant.dico duo potissimum in hac membrorum excarnatione necessaria esse;prius quidem membrorum naturalium incolu-mitatem,ita ut nutrimentum optimum paret, posterius mem brorum nutriendorum uias,ut ad ea optima fiat secundũ om-nem modum præparatio.Quapropter posteaquam cognueris membrorum interiorum optimam ualetudinem, si quid in ex terioribus impedimenti ad eorum nutritionem fuerit, illud uel illa,si plura fuerint,admouenda erunt. Sicq; optima nutri-catio sequetur.Quæ uero exteriorum membrorum nutrimen tum impedire possunt,sunt in primis temperies membrorum frigida,ita ut nõ possint nutrimentum attrahere, uel attractũ permutare, & uiarum quoq; aliqua obstructio impediens nu-trimenti transitum ad membra,& hoc uel à materia aliqua im bibita,uel à qualitate nimis extranea siue calida, siue sicca, si-ue alia qualiscunq; fuerit illa obstruens condensando inspissan do ue, aut nimis exiccando. Vnde neq; conueniens quantitas ad membra adducitur,neq; adducta conuertere in membrorũ substantiam potest.Quamobrem hoc in casu uellem ego prius has prædictas causas diligenter inuestigare,deinde medicami na contraria & natura opitulantia ad præscriptum opportuni tatem membris excarnatis applicare, præsupposita cibariorũ & potus optima substantia & quantitate. Etenim si à mẽbro-rum refrigeratione malum causam habere cognosces, ita ut membra refrigerata nutrimentum attrahere non ualeant, eo in casu optimum auxilium erit membra tabefacta mane à som no manibus inunctis oleis calidis,in quibus siccitas non sit,fri care, & nõ solum oleis,sed & pinguedinibus, ex quorum nume ro est oleum oliuarum maturarum,amygdalarum dulcium, si-sticorum,pinguedo gallinæ,castrati,& huiusmodi.Quòd si ali quod odoratum addere uolueris,illud sit, quale est laudanum, ambra,storax,macis,& similia.Sed in casu præter dicta pluri-mum mihi arridet decoctio capitum ueruecoirum atq; eorum carnium in aqua,& uini aliqua portione cum betonica, mace, & seminibus fœnugræci. Decoctióq; debet esse ad carnis fe-rè consumptionem.Post quam elixationem pingne totum su pernatans colligatur, & primo cum prædicto iure fricando

membra lauetur, mox ipsa iam dicta pinguedine inungantur manens post in lectulo coopertus pannis secundum temporis opportunitatem usq; ad horam prandii. Sic etiam ante cœnam facere optimum erit, qnoniam sic membra refrigerata calefacere modeste poteris, ut ex hoc nutrimentum ad ipsa attrahere ualeant. Hoc idem ingenium plurimum conferre poterit impedimento ab exiccatione & constrictione facto. Neque illustrium medicorum antiquorum, & modernorum quã plurima ingenia displicent, modo rationabilia sint, & modeste ipsis uti uolueris, inter quæ laudatur catulorum lactentium carnis decoctio à qua decoctione primo pinguedo supernatãs sumenda est, deinde in dicto iure membra lauentur fricando, postea inungantur dicto pinguedine. Hoc quidem fiat mane ante prandium, atq; uesperi ante cœnam, neq; dimittenda sunt auxilia quibus arida membra mollia reddere, atque nutrimentum modeste attrahere, & caliditate leui calefacere possint, ut sunt linimenta picacea è plurima quantitate olei, & modica pice, uel illinito cum melle & alia similia ingenia una cum regimine (ut paulo ante dixi) cibariorum, de quo Galenus. xiiii. Methodi, & .vi. De Tuenda ualetudine plurima dixit. Sicq; semper corpus mundum à superfluis, & malis humoribus sit atq; cibis conuenientibus nutritum: qui præterquam quòd optime nutriant, etiam nutrimentum ad membra distribuere uim habeant. Hanc particulam uolui repetere, quoniam si in cibariis error fuerit, proculdubio reliqua, aut parum, aut nihil profutura erunt, cui exercitia moderata semper associanda sunt. Plura alia ad te scriberem, nisi scirem me sapienti medico consulere. Igitur Vale, & optimæ ualetudini stude. Venetiis.

M. D. XXXXVI.

Die. XVI. Augusti.

AD DOMINVM VLRICHVM STEYDLErum. Epistola. XVII. De quam plurimis malis affectibus, scilicet destilatione materiæ a capite, tussi cum sputo purulento, & sanguineo, & uertigine, scotomia, dolore & prominentia oculorum, apoplexia, & etiam impotentia motus crurium.



CCEPI Literas quas ad me die nona Nouembris scripsisti, quibus lectis instante ostensore, ad id quod magis desiderare te uideo breuibus quantum potero respondebo. Petis in primis ut de agēdis in affectibus præternatura strenui uiri. xxxvii. annorum scribere ad te uellim, qui sunt (ut scribis primo destilatio a capite ad pectus) ex quadam euaporatione ex adustione, (cum calide, & sicce temperaturæ sit) sanguis, facta. Ita ut materia quædam subtilis ad pulmones descendat, quæ tamē materia per noctem ad perfectam suppurationem redigitur; quæ stimulando aliquando ante prandium, & etiam a prādio uomitum mouet, in quo plurimum illius materiæ eicitur superueniente ualida ac difficili tussi. scribis etiam ipsum pus album & copiosum emittere, ad quam euacuationem sequuntur, ii mali affectus, scilicet uertigo, scotomia, dolor, & prominentia oculorum, eiectio tamen saniei non est quottidiana, sed habet aliquādo duas, & tres septimanas, quibus nihil eicit saniei, quæ ut audio alba est, & post eiectam uomitum etiam sibi associat. Sed aliud symptoma perniciosum ex huiusmodi materierum retentione suboriri uidetur, & est apoplexia, cum in eo symptomate careat sensu, & motu per id tempus quo natura laborat dum huiusmodi materiam expulsioni præparat, in qua expulsione, præter saniem sæpe etiam ex ruptura uænæ pulmonis (ut scribis) sanguinis nō modica quantitas egreditur. Ego doctissime Vlrice non possum non laudare omnia quæ usque in hunc diem tam in regimine, quam in medicinalibus remediis exibitis egisti, sed uereor ne res male succedant, cū audiam affectus diuersos, & omnes qui Hyppocratē medicum expostularent, sed posteaquam ut meam sententiam tibi de agendis in futurum scribere uellim rogas, eam breuibus equidem scribo, scilicet primum reguletur aer ut nullo modo caliditas in eo ex

cedat,sed declinet ad aliqualem frigiditatem uicinam tempe-ramento,ita ut minime constipare possit. Sed quæ refrigeret aliquantisper sanguinem ita ut refrigerato minor fiat euaporatio ad caput,sit etiam ad aliqualem siccitatem declinas. Quare euaporatorium,siue hyppocaustum minime hoc in casu conueniens est,regatur igitur aer alio ingenio,& post quam uir fortis est,utatur aliquo leui exercitio (mane scilicet ante prandium) similiter,& uesperi ante cœnam,qui tamen sit leuis,utaturq; fricationibus mane antequam e letullo surgat: quæ sint fortes,& continuatæ quantum ipse sine ressolutione tolerare potest,& præsertim crura fricãda sunt. Sed prius studere oportet,ut aluus fluat,quod si nõ spõte fluxerit utere clisteris in quibus hiera ipsa ingrediatur,& præsertim hiera logodiõ,uel hiera pachii,quam scribonius scripsit,quoniam plurimum confert. Dormiat capite supino,neq; sint somni longi,nec proximi post assumptione cibi,custodiaturq; caput & a nimio calore & a frigore. Cibi autẽ sint illi qui in minori quantitate plurimum nutriant & minime uoporosi neq; ab aliqua siccitate expoliati sint. Igitur detur panis optime fermentatus,& non plurimum salitus mediocriterq; coctus. Similiter & carnes sunt meliores quæ non nimis humide sunt, ut sunt uolatilium quorundam,uerbi gratia perdices,coturnices,fasiani, pulli gallinarum capi,& similes & ex paruis,ut sunt merulæ,turdi, & similes,sunt etiam laudatæ carnes hedorũ tametsi hircorũ excitẽt epilepsiam,pinguiores,& humidiores dimittende sunt, ut est caro agnina porci,& reliquæ. Oua sorbilia darem etiã etenim plurimum nutriunt, nec ex eis excrementum notabile remanet. Ferculum etiam ex fare,uel ex ouo in iure capi cõtuso,potes etiam dare ei iusculum ordeaceum, scilicet decocto prius ordeo in aqua calibeata cum quo etiam adminiscentur semina portulacæ,aut mirti. Dimittẽda sunt salita omnia, & acuta similiter,& uiscosa q̃ nimis in stomacho morari possit, qualis est caseus,butirũ,& similia, Vinũ quoq; nullomodo exiberem, quod si ceruisiam bibit uellẽ,ut in ipsa mel decoqueretur. At si ipsi magis decoctum ordei,cum melle,& portiuncula zinzibere, & radice peoniæ placeret, mirum in modum iuuabit. Caueat tamen a nimio potu, & in aliis rebus necessarius eadem ratiõe regatur. Qui regimine dicto sic rectus Medicinali regimine

mine hoc modo etiam regatur. Et postea quam semel uena adaperta fuit, tam etsi tempus anni minime concedat, si uirtus erit fortis, postquam etiam, tam affectus, quam causæ consentiunt, iterum sanguinem a' iecoraria dextri brachii mitterem, hoc tamen obseruato quod si in aliqua parte pectoris doleret, ab ea libentius sanguinem mitterem. Vellem quoque præter sanguinis euacuationē cæteros noxios humores euacuare, prius illis digestis, cū syrupis uerbi gratia de betonica, de liquilitia, & oximellite in minori quantitate, limpharem tamen cum decocto mirtilorum, peoniæ, & melle, & præparata sic materia darem agaricum præpatatum (ut docet Ioannes mesue.) ʒ.ii. cum.ʒ.x.diacatoliconis, plus minusu'e secundum hominis tolerantiam, dissolueremque, cum decocto superius dicto, quo facto procurarem etiam, ut materiæ quæ impectore congeruntur per sputum euacuentur. Quare darem lambentia per os qualia sunt, loc de pino, loc sanum, & expertum, uerbi gratia ex singulo. ℥. i. cui adderem saccharum rosaceum, & etiam ex floribus boraginis ex singulo.℥.S. neque dimitterē bolum armenium orientalem sed ponerem. ʒ. ii. sicque cum syrupo mirtino facerem lambitiuum, quo ipse uteretur, & ad sputum facilitandum, & etiam ad sanguinem aliquantisper sistendum, inungerem quoque partes exteriores pectoris, cum oleo amagdalarum dulcium, butiro recenti.añ.℥.i. cui adderem boli armenii orientalis. ʒ. i. S. ut minus esset labor inespuendo, dabis etiam ei diadragantum cum bolo armenio orientali, uel diacodionem ad sistendum materiam a' capite, caute tamen istis uti oportet cum crassam reddant materiam, quæ postea in cerebro detenta obstruit meatus uentriculorum, a' qua obstructione sequitur accidēs illud terribile, & formidabile. At cum stomachum etiam nō bene affectum esse apparear, cum præter dicta etiam uomitu molestetur, regionē stomachi unguento aliquo ipsum roborante inungere optimum erit, quale esset factum ex oleo de absintio, masticino, nardino, & de menta, additis coralis, cinamomo, gariopholis, macis, & portiuncula ceræ. Et hæc ad te in primo casu scribere uolui, respondens tuis literis, quæ nō ex omni parte rē mihi declararūt, etenim nihil de febre in ipsis notasti, solent namque qui pus in pulmone, & stomacho habēt, febrem etiam pati, & fixam & putridam, quare si febris aliqua

(ut in istis contigit) hominem molestet, eam te non negligere oportet, remediis oportunis ei succurrendo, ita ut nihil non præcognitũ, nihilq; sine auxilio relinquas, quare tuũ erit moderare secundum rei præsentis oportunitatem. Porro in dies multa mutãtur in ægris, quæ etiã curatiuas intẽtiones mutãt. Quo'd uero ad puerum. xiii. annorum spectat, qui amborum crurium impotentia ad omnem motum laborat, a' causa Procatarticha, siue euidenti, scilicet ex lauatione cum rebus frigidis, equidem puerum primum oportunis euacuationibus expurgarem, deinde ipsum balneis ex decoctione, saluiæ, rosmarini stœchados, & similibus leuiter calefacientibus lauarem. Sed nunquid hoc malum ab aliquo affectu in ipsa spina dorsi, originem habeat animaduertere operæprecium est, scis enim ex scientia anatomiæ neruos a' spina ad crura descendere. Nunquid etiam contracta, & exiccata sint crura, uel potius humectata, & resoluta inspicere oportet. Quo'd si primo, Mollientia & temperate calida conueniunt, qualia sunt decocta ex carnibus, puta ouinis, uerueci, & similibus additis herbis, floribus, & seminibus quibusdam, quales sunt maluæ, altea, saluia, stœcados, semina fœnugræci, orobi, & similia a' qua decoctione colligere oportet pinguedinem natantem, cum qua post lotionem crurium, & excitationem cum linteo inungere mẽbra lesa oportet, & præsertim dorsum. Quo'd si secundo modo res se habet, uidelicet si causa fuerit ab aliquo affectu spine dorsi, uterer ego decocto puta ex yua artetica, saluia, rosmarino, costo, stœcados, camomilla, betonica, in uino potenti albo, & lauarem imprimis dorsum subinde crura, inungeremq; oleis uirtute calidis, ut est oleum de costo, liliaceum, camomellinũ, & similia, uel lauarem cum aqua sublimationis uini, quam aquam uitæ, & aquam ardentem uocant, & iisdem oleis inungerem. Similiter in regimine sex rerum necessariarum facere operæprecium est scilicet regere ipsum ita ut caueat ab omnibus quæ neruis contrariantur. Postremo de puero trium annorum qui & ipse a' causa procatartica scilicet a casu in cruriũ debilitatem, & impotentiam motus incidit, & ut audio multa applicuerunt medicamina ex calidis decoctis, & unciones, & emplastra, quæ tamen puerum sanitati non restituerunt, sed alter crus carne minor factum est, huic rei opus est diligenti

consilio,& ideo animaduertendum est ne forte applicentur ea quæ nimis calefaciunt, cum puerorum carnes sint tenellæ, & facile dissoluantur, quo fit ut eorum membra exiccentur ex calidis sæpe applicitis. Nam cum calor pueri exiccando procedat. Si hoc malum est, quoniam humiditates nimiæ ad membrum cucurerunt sperandum est quod natura in dies eas, humiditates exiccare possit, quicquid tamen sit, tam in uno, quã in altero, frigida omnia remouenda sunt. Etenim mirifice nocent, caueat itaq; non solum ab aere frigido uerum etiam à cibis, & potionibus, ut sunt pisces, poma, citri, limones, & acetosa omnia similiter aquæ frigidæ potus nocuus est, bibant igitur aquam mellis cum saluia, uel zinzibere, uel radice acori, & similibus. Hæc sũt doctissime Vlrice, ea quæ ex eis quæ ex tuis ad me scriptis, tum colligere potui, tum etiam quæ in enarratis affectibus faciundum conducere pro temporis angustia non solum ex negociis, sed etiam ex instantia tuarum literarum ostẽsoris puto. Vale & nos omnes ut facis ama Apollonius qui laborauit febre acutissima, & non sine maximo uitæ discrimine melius habet, qui te unà, cum tota domo salutat. Venetiis. M. D. XXXXIII. Die. VIII. Decembris.

AD REVERENDVM MAGISTRVM DOminum Ioannem Franciscum Marinum ordinis minoris Sãcti Francisci Prouincie Sancti Antonii de Padua Ministrum. Epistola. XVIII. De uertiginoso affectu, & doloribus intestinorum.



E Me Reuerende Magister negligẽtia accuses uacare à negotiis ægrotantium desidero, ut possim pro tua optima ualetudine aliquid te dignum scribere, præsertim cum firmiter sciam, nõ solum me abs te diligi, uerum etiam plurimũ amari. At quoniam tempus breue mihi ob uisitationem plurimorum ægrorum in præsentia est, ea propter, dimissis speculationibus quã possem ante regimẽ medicinale scribere: rem ipsam aggrediar. Et tam etsi plurime male dispositiones præcesserint. Duo tan

tum nunc in consideratione ueniunt, quarum prior est quidã intestinales dolores à materia crassa in uentum conuersa. Posterior uero, uertiginosa dispositio per consensum à stomacho & intestinis, qui tamen ambo affectus ab una causa pendere uidentur, quod cum ita sit eos sub uno ad te ordine medicinali regulandos scribere constitui, habita scilicet ratione, in primis huius aeris, hoc in tempore ad pestilentialem malignitatem. cum mea quidẽ sentẽtia in præsentia maioris discriminis sit, ad quam etiam animum primũ conuertere statui. Et tuam Reuerendam paternitatem in primis admoneo, ut caueat quam fieri potest ab ere crasso humido, & pluuioso caligno soq;. Quòd si contigerit forte fortuna aliqua necessitate, uisitare loca crassi, uel mali aeris. Quàm primũ recedere ab eo te quãtũ possũ præcipio, at si per aliquod dies ibi morare necessum fuerit. Aerem rectificare saltem camere in qua moraberis & præsertim nocte, & hoc facies acenso igne. Similiter nõ ægrediatur è domo tua paternitas nisi prius sol uapores aeris exiccando aliquã tisper rectificauerit, quòd erit duabus horis post ortum, tecũque habebis ea odoramenta quæ cordi, & cerebro conferunt, ut sunt laudannm, stirax, & ex herbis & fructibus, saluia, rosmarinum, menta, pulegium, laurum, & cum ipsis, rose, & uiole, aliquãdo mixte similiter, citri, limones, & quæ arantias uocant, alia similia istis. Similiter uesperi ante solis occasum domũ te recipias, & fenestre claudantum ne aer nocturnus ingredi possit. Cibi præterea sint boni nutrimenti & paucarum superfluitatum, qui potius declinent ad aliquã leuẽ siccitatẽ, ut puta panis bene fermẽtatus, ac mediocrites salitus, & carnes, sint quales sunt pulli gallinacei, & auium nemoralium ut sunt merule, turdi, perdices, coturnices, & cõsimiles, ut capones & relique istius generis, sunt etiam optime carnes ledinæ, uitulinæ, castrati unius aut duorum annorum, leporis iuuenis, & similes, oua quoq; recentia sunt bona presertim sorbila cum grano salis, aut in iure carnis, contusa, cum modico succi uuæ acerbe, similiter decocta in iure integra, uel in aqua cum sale & succo uuæ acerbæ, aut cum succo arãtiarum & modicum saccari, & cinamomi, cætere autem carnes, quales sunt bouine, agni, porcine, anseris, anatis, comedende, neq; oua dura aut frixa, similiter & pisces omnes sunt mali, quod si aliquando comedantur

sint

fint squamosi degentes in aquis claris ut sunt trotæ, lucii, te/
muli, barbi, ex maritimis, ut auratæ, barbi, lupi, scorpiones, den
tales, menæ, & similes. Ii tamen omnes humidi sunt, & ideo ra/
ro comedantur, & potius assi quam aliter, & aspersis aro/
matibus, ut est cinamomũ, macis, & similia uel sint, cum gario
phali conditi færcula quæ laudabilia sunt, & comedi possunt
sunt ut far in iure carnium, uel oua confusa in iure, cum mo/
dico aceti, aut succi uuæ acerbæ, & parum cinamomi ad tem/
perandum frigiditatem istorum. Panatella etiam optima est,
uel panis in iure lotus, similiter optima sunt færcula quæ ex
boragine, buglosso, feniculo, & similibus præparantur, sunt ẽt
optimi lupuli, asparagi, capares, etiam conditi, cum aceto, & ci
namomo, sapores quoq; facti ex amigdalis, saccaro, menta, zin
zibere cinamomo, aceto aqua rosacea, & similibus, qui cum car
nibus sunt comedendi, post cibum optimum erit fisticos ma/
sticare coriandros, uel semina anisi, sed si ante cibum etiã præ/
sertim mane radix, zinziberis conditi comedatur summoperæ
laudo, nam stomachum roborat, & fugat flatum. Ea uera ciba/
ria quæ nimis humida sunt dimittantur, ut sunt carnes omnes
pingues, & nimis humide, ut porcina, agni, anserum, anatis, &
similes, similiter laticinia omnia sunt mala, ut butirum lac, tã
coagulatum, quam nõ caseus, & similia. oua etiã frissa, uel du
ra sunt mala, & olera quoq;, ut brasica, & cætera humidiora, si/
militer fructus omnes, ut sũt poma, pira, & reliqui humidi. Vi
num illud laudabile est quod, neq; dulce, neq; acerbũ est, me/
dii coloris, boni odoris, non nimis potẽs, nec aquosum, ex quo
temperate bibendum est, non antequam comedatur, neq; post
sed comedendum sæpe, & parũ bibere oportet, quod si uinosum
fierit lifentur aqua dulci clara non paludosa, neq; malum habẽ
te odorem, uel saporem. nimia repletio, tam cibi, quam potus
nocuua est, & præsertim nocet plurimum comedere in cœna.
sit igitur cœna minor prandio. studendum est in quotidianis
superfluitatum expulsionum, & præsertim fecum, & urinæ. ad
hæc conducunt comestiones rerum quæ facilem reddũt uen/
trem ad secessum, ut sunt, iura mane sumpta, cum saccaro, &
færcula ex oleribus qualia sunt bonragines, & buglossæ, &
etiam passulæ mane ante cibum comesse, quoniam uentrem
mollem reddunt, quod si istis non facilitetur secessus, pilulæ

quas communes uocant sumantur, constant enim ex duabus partibus aloes,& una mirræ,& etiam croci una cum uino optimo,ex quibus sumatur una ante prandium per horam, quoniam præterquam quod mouet excrementa fecalia per secessum etiã præseruãt a febre pestilentiali. Ante cibũ tamẽ confert leuis deambulatio nam excitat calorem naturalem, tum ad residui superfluitatum expulsionem,tum etiam ad digerendum ingesturum cibum,calorem excitando. Quare nullus sit dies sine exercitatione non tamen sit illa quæ posit uirtutem dissoluere.Dormire etiam horis cõsuetis multum facit,& laudatur.Diurnus tamen somnus Reuerẽde pater tibi semper nõxius erit,nam implet caput,& facit ad rumatismos,& ad ægritudines catarales. Quo'd si uel usu, aut aliqua alia causa,puta quoniam nocte non dormieris,uel quia uentriculi calor imbecillis sit ita ut ægre cibum concoquat somnus omnino nõ denegatur,sed ille sit breuis,& saltem per duas horas post aceptũ prandiũ,nocte tamẽ dormiendũ est ad libitũ, ut puta usq; ad octo horas,non sit tamen minus septem.Vtilis est somnus matutinus usq; ad horam primam dici,nimia uigilia profecto nocet cum uirtutes omnes imbecilles reddat.postremo lætari,& esse cum caris amicis mirum imodum confert,& ideo,tristitia fugienda est similiter,ira,escadescẽtia,cogitationes male(quoniam ut dixit Galenus exterminant corpus,& mutant a consistentia quæ est secundum naturam .istis sic obseruatis poterit Reuerenda dominatio tua præseruari non solum a duobus iã dictis præternaturam affectibus,sed etiam a multis aliis qui affectus si acciderint(quo d deus aduertat)succurantur secundum eorum diuersitatem.Prior qui est intestinorum dolor, si a comestione rerũ malarum,aut a plurima superuenerit, curetur hoc modo.Primum abstinere oportet a malis, & pluribus cibis, mox, uentrẽ cum istis pilulis purgare, prius tamen lenito uentre clistere comuni,cum oleo camomellino. Pilulæ uero sumantur mane in aurora.℞.pilularum de benedicta.ʒ.i. alephanginarum.℈.ii. fiant pilulæ.v.tardetur prandium per quinq; horas post,locus dolens, post operationem pilularum fomẽtetur oleo camomellino,anetino, uel cum decocto florũ camomille,aneti,fœniculi,absintii,betonicæ,& similiũ.Panni similiter calfacti,& loco doloris apositi conueniunt. Cauendũ

est à frigore,& comestione, & potu rerum frigidarum.utere. quoque feniculo,uel aniso post cibum.At si uertiginosus affectus superuenerit,obseruato in primis regimne sex rerum necessariarum sumendæ sunt pilulæ hoc pacto.℞. pilularum alephanginarum. ℈. ii.aurearum. ℈. i.fiant.p.iii.sumantur mane in aurora tardetur hora prãdii usque ad quinque horas post acceptionem pilularum quo'd prandium sit ex cibis bonis,& facilis digestionis. Ad corrigendum hoc accidés accipiat post cibum coriandos conditos,cum saccaro,uel anisum, mane ante cibum accipiat rotulam confectionis diamusci dulcis, uel pliris arcorticum,& etiam tempore accessionis uertiginis, nam prohibent uapores ascendere ad caput.hæc pauca curreti calamo Reuerende Domine ad te scribere uolui,quæ continent in primis regimen uniuersale præseruatiuum a' duobus affectibus,& etiam particularum curam ipsorum. Vale ut optat tua dominatio cui quantum possum me comendo studio. Venetiis. M. D. XXX.Die.XXV.Augusti.

AD EXCELLENTISSIMVM MEDICVM Anchonitanum.Epistola.XVIIII.De affectu doloroso in maxilla dextera Nobilis Dominæ Ioannæ Landrianæ.



VMVLTVARIE Sane (ut ais) ad nos de affectu præternaturam Nobilis Matronæ Dominæ Ioannæ Landrianæ scripsisti. Doctisisme Doctor: etenim multa ad perfectionem informationis desiderãtur,quæ postea quam minime in prælentia haberi possunt rem ipsam,ex mutilatis scriptis sic rationibus, & coniectura,aperiam. Habes (ut scribis) Matronam ætatis quadragintaquinque annorum optimæ temperaturæ,quæ a' iustitiali temperamento, per calidum in actiuis, per humidum in passiuis declinat (ut ex sensatis signis habes) in qua ætate (ut plurimum) mulieres ab expurgationibus mensualibus cessare solent,cui Domine cum iam sint duo anni quod mẽsuales euacuationes suppresse sint, a' qua suppressione uisa est incidisse in quendam particularem affectum præternaturam dex

teræ ſcilicet maxillæ interioris partis oris,& illum quidem do/lorosum,cum manifeſta coloris loci ad ruborem mutationem citra omnem tumorem,a` quo affectu duę naturales operatio/nes manifeſtè lędunt,etenim (ut præſtantia tua ſcribit) nec dentibus cibum præparare ualet, nec etiam comodè degluti/re poteſt:quo'd malum ſexcentis rationalibus remediis ſanari hactenus non potuit.Equidem uir doctisſime,& ſi ægrotantē, ac etiam particulam affectam minime inſpexerim, ex tuis ta/men ſcriptis,ſic cauſam,aut morbū,a` quo hoc accidens, quo'd eſt doloruehemens, inueſtigare tentabo. Nam deficientibus menſtruis euacuationibus,quanquam non inſpecta tempera/tura,& ætate,in tempore,attamen,& ſi non in optimo tempo re:nihilominus,in ſatis propinquo illi,in quo natura ſolet (ut dixi) ab huiuſmodi euacuatione ceſſare. Verū & ſi natura eā materiā non amplius ſicuti ſolebat euacuet,non tamen poteſt ſanguinem ita purum generare ut mundus ſit a` tali ſuperfluo, & iutili ſanguine,qui dū retinetur,cū bona ſanguine,& nō am plius extra pellatur:ſæpisſime ea ratione morbi non pauci, & affectus præternaturam oriuntur,ut teſtatur Galenus quinta parte Aphor.comento.lvii.& ſexta comento.xxviii.nam reten to menſtruali ſanguine,tum ex uirtute in expellendo iam de/curſu ætatiuo imbecilli facta, tū etiam quoniam calor nō ita æquebene cōcoquere poteſt ſicuti antea,unde plurime,& craſ ſiores ſuperfluitates gignuntur:adde etiam quod mulieres, cū parum exercitentur,& plurimum comedūt:ſicq; omnibus his de cauſis multe ſuperfluitates in ſanguine retinentur quæ fri/gide ſunt,admiſte tamē calidis aliquibus ſuperfluitatibus,pri/mum in epate genite,quo'd aliquo modo per conſenſum ob/ſtructorum meatuum matricis non æque bene ut antea ſan/guinem aliis membris præparat,ſed crasſiorem.Qui cū a` mē/bris ſic attractus,& non correptus,& præſertim a capite, ſup/fluitates ipſius quæ in primis ſunt,admiſte tamē calidis,ad fau ces ſiue ad maxillam deſcendunt,cauſantq; dolorem illum ue/hementem,qui proculdubio ex dictis non niſi a` mala tempera tura diuerſa eſſe poteſt.Nunquid uero ſoluta,etiam continua/tas ibi ſit,hoc tibi decernendum relinquo.Ex his, duo habere potes.Prius mala ſcilicet iocinoris temperiem frigidā,non ſo/lum ex ſuperius dictis, uerum etiam ex diuturnitate affectus.

Poſte

Posterius quoque est capitis, siue cerebri secūdarie refrigeratio, quod si etiam uniuersi corporis refrigerationem addideris, nullus erit error: ex quibus morbum in temperatura uiciati epatis in primis apparet: sub inde capitis, & totius corporis, a quo sequitur accidens quod est dolor uehemens ex distilatione frigidæ materiæ cum admixtione etiam calidorum humorum. Nunquid uero salsus sit humor sic admixtus descendens, nec ne, non possum in præsentia affirmare, cum ad salsum saporem (teste Aristotele in libello de sensu, & sensato, & Auerois. in comento) præter caliditatem, requiratur etiam & humiditas, & siccitas: quod si ipsa Domina ipsum saporem sentire affirmet, nullam de hoc questionem habe remus. At quæ sensui se offert de colore rubro loci affecti: dixerim ego postea quam locus rubet esse mixtionem calidis alicuius humoris, facientis etiam ad doloris uehementiam. Sed diuturnitas affectus in particula, ætas primi senii, sexus, & reliqua cum semper crassiores superfluitates generare soleant: mihi dominiū frigidæ materiæ ostendunt, ita ut causam materialem huius affectus materiam frigidam a prædominio necessario ponam, admistam tamen aliquibus calidis humoribus, postea quam calidam temperaturam a principio generationis habuit. Cur uero natura has superfluitates potius ī maxillam, & illam quidem desteram trasmīnserit, & in dies quoque transmittat, facilis non est solutio: sed cum loci suscipientis dispositione, siue præparatione, uel ob imbecillitatem, aut ob uias, & meatus ibi latiores, siue ex aliquo alio accidenti, facile est questionem soluere: Vnum autem non prætermitendum est, uidelicet ne forte ut ī multis fit dolorificis pasfionibus nostris temporibus, aliqua occulta qualitas præter manifestas dictas in humore ita diuerso in epate ex aliqua cōtagione contracta sit, quam epidimialem, & morbum Gallicum uocant: etenim morbus iste cum sit primo complexionalis, non ostendit manifestum (ut dicebat Galenus primo de morbis, & symptomatibus) in patiente alterationem, sed occulte procedit ita ut unū (dum taxat) membrum inficiens cætera incolumia esse uidentur: in hoc nimis esset oratio longa si omnia quæ ad istius morbi cognitionem faciunt scribere uellim, sed ea signa te facile in cognitionem huius morbi ducere poterunt quæ in pri

mis ab ipsa domina petiente habere poteris: ex præteritis quæ sibi acciderunt, ac ex præsentibus symptomatibus, de quibus ego fusius in meo libello de morbo Gallico scripsi: tua uero excellentia in hoc sibi ipsi consulat, quod si quid boni ex superius memoratis ad cognitionem istius mali affectus præternaturam habebis. Deo Optimo Maximo dabis laudem. Alioquim post quàm tot facta fuere, & ea quidem canonice casum difficilem habes, ac non sine discrimine futuri alicuius tumoris mali moris atque ossis loci corosionis. His breuiter prælibatis: sic curatiuas intẽtiones elicere oportet. Primum quidem præmissa regula, sex rerum necessariarum per contrarium ut scilicet caueat ab aẽre frigido, & humido, & etiam ab humidis, & frigidis edulibus, à minima quiete, à repletione, & studeat ut superfluitates stomachi, & intestinorum quotidie per secessum euacuentur. Similiter caueat ab animi malis cogitationibus, cæterisque omnibus quæ corpus refrigerare possunt. Secundo uena iecoraria dexteri brachii aperienda est, nam etsi affectus minime à calida simpliciter causa, uel materia pendeat, nihilominus non sine admi stione calidorum humorum est. Etenim uenæ sectio: multitudinem, & malitiam sanguinis refrigeratis etiam (autore Galeno in libello de sectione uenæ & experientia comprobante) euacuat cõfertque extremis morbis non solum præsentibus, sed etiam futuris. Quare si uirtus tolerat postquam, & ætas, & tempus anni ad hoc inuitãt, & mensium sit suppresio post apertionem uenæ iecorariæ, secarẽ ego etiam uenam pedis dexteri quàm saphenam uocant ad tolerantiam uirtutis: sicque sperarem primo membra ista exonerando meliora reddere, & materiam diuertere, & minorare. dum uero ista fiunt præparetur reliqua materia ad euacuationem, cum illis quæ hæpar, & matricem, & etiam caput corroborare possunt: & inter cætera placet syrupus de betonica, & syrupus de capillis ueneris, cum aquis stilaticiis, puta absintii, cicoreæ, & betonicæ, uel cum decocto absintii betonicæ, capillorum ueneris, & similium: sic ego uellem materiam decoquere, seu præparare ad facilem euacuationem, & simul membra prius læsa roborare, ita ut apparente signo concoctionis in urinis, pharmaco leui minorando, & sæpe educendo, eam materiam per seccessum educerem. & quoniam materia crassa

(ut dixi) est ipsa non potest unica, & eradicatiua (ut ita dicã) euacuatione educi: ideo sensim uellem eam educere, uidelicet post aliquam coctionem, ut leuiter euacuetur, & iterum post dentur digerentes, & præparantes syrupi, & iterum pharmacum euacuatiuum. Porro inter cætera euacuantia quæ hoc in casu cõducere possunt, & mihi summoperæ placét, est agaricus, & electuarium lenitiuũ, quæ duo dissoluerẽ cũ decocto superius dicto, conducerent: etiam pilulæ aliquando ut sunt agregatiuæ, & simile: quo'd si etiam a' loco particulari aliqua essent necessaria (ob pertinatiã particularis affectus) euacuatio. Aperiantur uenæ quæ sub lingua sunt, & administrentur localia anodina qualia sunt decoctiones ordei, fenugræci, seminũ lini, florum uiolarum, cum sapa, & aqua solani, qũa cum os abluatur, & per aliquod tempus supra locum teneatur, lenĩedus est etiam locus exterius, cum oleo rosaceo, camomellino, & amigdalino: applicentur etiam exterius emplastra anodina, utputa facta ex farina ordei, fænugræci seminis lini, florum camomelli cum sapa, & aquis maluæ, & solani Vnum tamen non prætereibo ut animaduertas nunquid dens aliquis male affectus in occultis radicibus perforatus, uel corrosus causa sit istius doloris, uel potius corrosio ossi mandibullæ intrinsecæ paniculum tegentem infestet, qua'm princeps Auicenna uentosam spinam uocat, quo'd si uel alterum, uel ambos affectus in loco cognoueris, uera cura particularis esset permissis uniuersalibus, manualis operatio, uel dentis extractio, uel loci ossis corrosi apertio, & ossis mõdificatio. Istis omnibus uiis, factis, & consideratis, si dolor pertinax fuerit (ego ingenue fateor) uellem quod hæc domina biberet decoctum ligni Indici, cum ea uictus ratione qua'm ipsa tolerare posset. Et quoniam hæc copiosæ scripta sunt in meo de morbo Gallico opusculo, tua erit (si placebit) reliqua ex eo libello sumere, quæ ad perfectionem curæ, & postremo ad robur membrorum prius affectorum faciunt. Hæc sunt uir doctissime quæ pro temporis angustia in casu difficillimo ad te scribere uolui. Vale. Venetiis. Die .IX. Aprilis, M. D. XXXXIIII.

AD DOMINUM HIERONIMUM De mmira Arbensem. Epistola. XX. De malo affectu uentriculi cum inflatione ipsius.

PROXIMIS Diebus tuas accepi literas quibus narras te habere uentriculum repletum multo humore pituitoso, cum inflatione ipsius, & cum frequenti erutatione (insipida tamen) ac etiam multo exitu uentositatis p infernas partes, præsertim post assumptionem cibi. Quare petis, ut remedia salutaria tibi mittere in scriptis uelim. Ego uero qui te semper paterno amore prosecutus sum, non possum in re qua possum, tuis petitionibus non obtemperare, sed ut omnia ex ordine procedãt, primum, cum intentiones curatiuæ omnium morborum (ex sententia Galeni) ex cognitione morbi eliciantur, quæ cognitio non fit nisi causarum intelligentia, ideo primum, cum uentus, tam per os, quàm inferius continue appareat illum quidem non nisi ex stomachi, seu uentriculi refrigeratione ex imminuta eius naturali caliditate euenire dico, ut Auicenna testatus est. xiii. tertii dicẽs, cum quis post cibi ingestionem, uel ante, uẽtriculi inflationem, & extẽtionem sentiet, & non quiescit nisi cum erutatione is ex uentriculi refrigeratione prouenit, quàm auctoritatem pluribus rationibus confirmare possum, & primum quoniam senes decursu ætatiuo, & si à principio generationis calidissimam temperiem contraxerint in frigidam tamen, & siccam deueniunt, nam senescere nil aliud est quam consumptio humidi radicalis, & calidi resolutio, ex quo fit quod senes ex hac caloris natiui resolutione plurimas materias crudas primo in uentriculo agenerant, quæ postea materiæ ad membra senum, si cum nutrimento attrahantur, quẽdam modum pinguedinis agenerant, quæ tamen non uera est pinguedo, sed repletio quædam illius humoris crudi pituitosi. Et tametsi temperamẽtum iocinoris naturale plurimum per calidum declinet, non propterea potest in hac senili ætate in qua (ut dixi) plurimæ materiæ pituitosæ in uentriculo generantur eas corrigere, & ex toto consumere, cum in præsentia debilior facta sit, & maior etiam quantitas materiæ in uentricu

triculo continuæ præsentes existat, immo, iocinoris caliditas iritãdo uentriculi expultricem uirtutem efficit, ut plurima uẽtositas per inferiorem partem pellatur, etenim uentriculi calor cum (ut dictum fuit) sit imbecillis non regulatur a' calore iocinoris, sed potius eam dissipat, & dissoluit, quæ sic imminuta dum agit, & non ressoluit in uapores eam materiam conuertit, qui uapores, cum se se impellant flatus, seu uentus dicuntur cum uentus nil aliud sit, qua'm uapores impulsi. quo'd autem uentus fiat ab imminuta caliditate testis est Auerois Metheorum primo, nam reddens causam cur in æstate, & hyeme uenti non fiant fortes, & frequentes sicut in aliis temporibus, dicit hoc esse propterea quoniam nimia æstatis caliditate crassi uapores, a' sole eleuati exiccantur comburantur, & cõsumuntur. Et in hyeme frigiditate aeris condensantur, ita ut eleuari cum dificultate, & in pelli possint aliis tamen temporibus uidelicet in uere, & autumno, uenti maiores, & frequentiores fiunt quia caliditas aeris mitis est sicq; eleuat uapores qui dum impelluntur uentus est, quæ caliditatis operatio in minori cosmo, in homine scilicet etiam apparet. Nam si ualida est hominis caliditas potest utiq; uapores omnes consumere, si minus dum eleuantur, & impelluntur faciunt extensionem, & erutationes, & inferiores flatus, dum materiam pituitosam quæ in uentriculo, & intestinis est] consumere non ualet. Ex dictis habes inflationem uentriculi prouenire ex refrigeratione caloris, tum ex decursu ætatiuo cum senes sis, tum etiam ex malo regimine sex rerum necessariarum, nam audio te frigida qua'm plurima comedere, ut sunt lactucæ, cituli, siue cucumares pisces, & alias res humidas, ut sunt carnes porcinæ, & pingues ac etiã, plurimam butiri quantitatem, quæ omnes, uel calorem remittunt uel obtundunt, & replet quoq; plurimum uentriculum crudis humoribus dimissio exercitii, & studia prseærtim post cibum & nimia uigilia si addatur dictis omnia possunt plurimum calorem naturalem imbecillem reddere. his sic breuiter prælibatis. Remedia curatiua, & præseruatiua per contrarium sub scribam quoniam morbi omnes suo medentur contrario sicuti sanitas suo conseruatur simili.

Primum igitur quod regulare oportet est aer, ĩ quo manere semper necessariũ est, sit igitur aer domi siccus, & calidus, sed

nō plurimum excedat, nam frigiditas caliditatem destruit, & humiditas eam obtundit, & debilitat. Quare in hyeme & frigidioribus humidioribusu'e temporibus accendatur ignis in camera præsertim nocte, & horis matutinis, & tempore pluiæ, & aeris caliginosi nō ægred atur domum, sitque in camera ignis perpetue. Secūdum quo'd regulandum uenit est cibus, & potus qui, tam in quantitate, qua'm in qualitate indigent moderatione. Quare panis sit ex optimo tritico bene fermentatus salitus, & inclibano optime coctus in quo sint etiam semina feniculi, uel anisorum, uel cimini, uel apii in conuenienti, & non multa quātitate. Carnes quoq; sint optimæ non pingues neq; humidæ, sed sint declinantes ad aliquā siccitatē, ut carnes optimarū auium & quadrupedum, inter quas laudatissime sūt perdices, turdi, merulæ, coturnices magnæ, fasiani, gallinæ, capones, & similes, & quadrupedibus optimæ sunt hedinæ, leporinæ, ceruinæ iuuenes quoniam carnes tā leporis quā cerui senis humorē melancolicū agenerāt. carnes uero uetulinæ tam etsi humidæ sint non ex omni parte malæ sunt, nutriūt & optimū sanguinem gignūt. Reliquæ uero carnes quæ humidę sunt si comedātur sint cōditæ sale & feniculo. Similiter & piśces si comendantur præparētur cum sale, & feniculo, & aliis aromatis, & salsamētis, sed ouatarica cū pituitā exiccare possint optima sunt peæterea carnes assæ magis qua'm elixæ in casu cōueniūt. caseus etiam uitandus est, quo'd si aliquando comedatur sit uetus, & salitus attamē melius est eum dimittere, quoniam humorem pituitosum, & lētum generat. oua sorbilia uel in iure cōfusa, aut cocta molia nō indurata, cū cinamomo, uel alio aromatum, quoniam nutriunt sine uel cum paucis excrementis. legumina omnia mala sunt cum sint flatuosa, & etiam excrementosa. Similiter & olera, mala sunt præter quædam ut est feniculus, anetus, menta, ruta, apium. Fructus omnes intercidātur præter fisticos, ficus exiccatas, oliua, capares, cardones, & similes salsamenta, & salatutium, & lupulis, asparago, caparis, cretanomarino, sunt ex usu similiter salsamenta quæ ex petrosilino, menta, amigdalis cum cinamomo, & gingibere in casu conducunt. Similiter si post cibum comedantur anisum, uel feniculus, uel frustra cinamomi, cum saccaro cōdita, optime cōducunt, quoniam roborant calorem inatum uentriculi, simili-

ter & alia aromata si cũ cibariis permisceãtur, ut est piper, zinziber, gariophalus, nuxmu scata, macis & similia. Sed animaduertendum est in eorum usu ne ex immodica quãtitate nimis corpus calfacias eorum tamẽ usus si moderatus fuerit plurimũ roborando calorem uẽtriculi, & uentositatem dissoluendo ex usu erit præsertim si simul componãtur, & pistẽtur hoc modo. ℞. cinamomi. ℥. S. gariophilorum. ʒ. i. S. nucis musc. macis zedoariæ, gingiberis, cardamomi galange añ. ʒ. ßi. spicæ. ʒ. i. anisi, feniculi, nigelæ. añ. ʒ. ß. croci. ʒ. ii. omnia simul pistentur, & cũ ferculis & aliis cibariis usui seruetur. Potus uero sit uinum optimum odoratum, & clarum non dulce, nec acerbum: sed medii saporis, quod si potẽs nimis, & uinosum fuerit, diluatur aqua in qua decocta sint semina anisorum, uel feniculi, uel cinamomi frustra. Quãtitas sit autẽ mediocris quoniam plurimus potus cibum natare facit & etiam rectam concoctionem ipsius impedit. Hora autem sumendi cibum matutinum, sit hora tertia diei, quia in mane uentriculus melius ad concoctionem cibi dispositus est cum iam per nocturnam quietem calor unitus sit, & fortior ad omnes operationes naturales peragẽdum. Et cœna sit leuior prãdio, quoniam horis uespertinis calor ex labore diei sparsus, & debilior quãm mane inter prandium, & cœnam congruum tempus interponendũ erit, quod spacium non sit minus octo, aut decem horarũ. Notabis tamẽ quod nil est, tam contrarium bone concoctioni, quam diuersitas cibariorum in una mensa quoniam pugnant sæpe qualitates cibariorum inter se sicq; altera alterius præparationẽ prohibet, Possem equidem uir doctissime multa alia de cibo, & potu scribere, sed ne te longa oratione detineam, & ad fastidium redigam hæc satis dicta sint, tum quoniam ex his habes quod cibus huic dispositioni ille esse debet in quo multũ sit alimenti ad caliditatem declinantis, & etiam non plurimum ageret excrementi, aut plurimam nutriendo humiditatem multiplicare ualeat. Præterea uitanda est repletio omnis cum humores crassos gignat & studendum est euacuationi excrementorum, tum uentriculi, tum intestinorum. Etenim si non sponte uenter fluat, aloes si sumatur ante cibum per horam ad quantitatem dimidiæ dragmæ uentrem modestẽ subducit, & materiam pituitosam in uentriculo attenuat, & uẽtositatem etiam

discutit,& quoniam usus medicinarum soluentium aluũ exiccat corpus, & præsertim usus aloes ideo potest aliquo uti clisteri in quo præter lenientia permisceantur etiam illa quæ uẽtum discutiant,ut causa exempli,℞.maluæ, blitæ mercurialis, betonicæ,camomillæ,aneti,& similia buliant in aqua comuni ex quo decocto ℞.libram unam olei camomelini. ℥.iii.salis comunis. ʒ.ii. saccari rubei tantumdem, & imponatur. Cauendum est tamen a' nimia inanitione cum uires uentriculi deiciat, nihilominus tutius est abstinentia cibi qua'm repletio, quoniam cibi abstinentia species euacuationis est,sicq; per abstinentiam sæpe humores crassi absumuntur. Quare semel in ebdomada optimum erit cœnam dimittere. Quãtum uero prosit exercitationes modestè ad excitandum calorem inatum,& ad excrementorum expulsioné testis est Galenus in libello de ludo paruæ pilæ. Quapropter mane ante prandium per unã, aut alteram horam,deambulare,aut aliquo alio exercitationis genere uti optimum erit,quoniam adiuat ad descensum humorum crassorum qui in uentriculo sunt,ac etiã excitat spiritus, & calorem naturalé,ut ex eodé motu dilatatis meatibus corporis,& uapores facilius ægredi posśint,& excitato calore uẽtriculus melius cibũ conficiat. Sed post cibi assumptioné per aliquot tempus (puta per duas horas) quiescere melius est,ne calor per motum ex centro ad circũferentiam spargatur, & ista ratione uirtus intrinseca debilior reddatur,& etiam quoniam exercitatio post cibum indigestum descendere facit. præterea te scire oportet quod tametsi modesta exercitatio plurimum prodesse posśit Ideo ante digestionem ciborum qui in uentriculo sunt,non est utendum forti exercitatione, nam facit descendere cibum ingestum antequam concoctus sit, cum concoctio proba per quietem perficiatur. Somnus etiam regulandus est quoniam, tam somnus,qua'm uigiliæ si exceserint nocent,& tametsi uigiliæ exiccant cum tamen uirtutem imbecillem reddant,& præsertim digestiuam,ideo melius est somnus aliquantisper longus quam superflua uigilia. Etenim calor in somno concentratus fortior fit,& per consequens melior fit cibi concoctio,& supfluitatum expulsio. Cauendũ tametsi a' somno diurno,& ab illo qui immediate fit ab assumpo cibro, quoniam replet caput uaporibus,qui postea uniti, & in materiam aqueam

aqueam conuersi ad membra inferiora descendunt, præsertim ad uentriculum, & eum magis imbecillem reddunt. Plurimum etiam conducit situm corporis dormientis. Quare primum, cum decumbis super latus dexterum per duas horas iacere optimum erit, quia talis situs facit ad faciliorem descensum ingesti cibi, postea conueniés est super sinistrum decumbere, quoniam digestionem auget calorem uentriculi augendo, sed longe melius est somnum incipere super uentrem. Animi postremo accidentia plurimum, si bona sunt iuuát, ut gaudium, quoniam animam roborát, & calorem inatum excitant Quare dixit diuinus Hyppocrates particula ii. Aphorismorũ quod î quocunq; morbo confortari mente plurimum prodest, sicut contrarium huic plurimum nocet, & per contrarium intelligere oportet tristiciam quã exterminare corpus in libello paruæ artis dixit Galenus, & princeps Auicenna similiter dixit accidentia animi si fuerint oribilia concoctionem impedire. Similiter malæ imaginationes, & cogitationes mouent humores præsertim melanconicos, præterea nullo modo post cibũ legere, aut aliquam rem difficilem animo excogitare oportet, cum uirtutes inter se deseruientes dum una operatur dimittẽdo aliam illi inseruiunt, sicq; uirtute animali operante naturalis non ita ualidæ operatur, cũ alteri etiam deseruiat. actenus de rebus neccessariis dictum sit. Regimen rerum necessariarum sic institutum operepretium est ad medicinalia descẽdere quoniam in magnis morbis cum materia, ex Galeni sententia egemus etiam medicinarum purgantium exhibitione, & mẽbrorum naturalium confortatione, quare primum corpus purgandum erit bis saltẽ in anno uidelicet in uere & autumno, & hoc cũ illis quæ crassos humores educunt & uentriculũ roborare possunt, ideo ad primũ ueris hãc memoratiuã euacuationẽ accipere optimũ erit ℞. electuarii lenitiui. ℥. i. de dactalis. ʒ. iiii. specierũ hiere. ℈. ii. specierũ diacimini. ʒ. i. misce & cũ saccaro fiat bolus, & sumatur per quatuor horas in mane ante cibum. hæc est medicina quæ potest sine uiolentia educere materias crassas contentas in uiis comunibus, & uentriculum roborare flatumq; discutere, sequenti mane ad concoctionem residui materiæ, & ad uentriculi confortationẽ detur iste syrupus ℞. syrupi de betonica, de absintio oximellis ex melle rosato ana. ℥. S.

aquarum lupulorum, feniculi an. ℥. i. S. sumantur calidi per aliquot dies donec scilicet in urinis aliquod signũ digestionis apparuerit, quo apparente signo iterum assumenda erit medicina purgatoria hoc modo ℞. electuarii lenitiui, de dactalis, hieræ Galeni an. ʒ. y. dissoluantur, cum decoctione absintii, & betonicæ in aquis feniculi, & lupulorum, & sumatur in aurora, & accipiat prandium quinq; horis post. in istis omnibus potes secundum obedientiam uentris, & tolerantiam uirtutis addere, & minuere quantitatem, facta euacuatione, ut supra optimum erit uti roborantibus uentriculum, & intestina omnia. quare primum, tam ante prandium, quàm ante cœnam inunguatur regio stomachi, tã in dextera quàm in sinistra, & uẽter uniuersus usq; ad summem isto linimento ℞. olei de absintio, masticini de spica, an. ℥. S. camomellini. ʒ. iii. specierum diagalangæ. ʒ. i. specierum triasandalorum. ʒ. S. cere parum misce & fiat linimentum, & utere ut dixi. Præterea mane ante cibum per quatuor horas sumatur rotulam unam, aut duas istius confectionis ℞. specierum diagalangæ. ʒ. ii. specierum diacimini specierum triasandalorum an. ʒ. S. zuccari fini quãtum satis sit, fiat confectio in rotulis, cum aqua rosacea. Et quoniam hæc dispositio diuturna est quæ non potest toli nisi tractu temporis, & cũ maximo labore præsertim in sene ideo præter dictas euacuationes operæpræcium erit uti frequenti stomachi confortatione, & purgatione, quod poteris comode facere si aliquando puta semel in ebdomada. ʒ. i. uel unam cum dimidia pilularum alefanginarum mane per quatuor horas ante prandium accipias. conducunt etiam pilulæ de aloes, & mastichinæ, & de hiera, de benedicta, & omnes aliæ similes medicinæ educentes sine molestia & roborantes uentriculum. Et si opus erit uti fortioribus tam præparantibus, & digerentibus materiam, quam euacuantibus potes uti oximellitæ composito cũ duabus, aut tribus radicibus, uel etiã oximellitæ scilitico unà cum syrupo de absintio, & decoctione absintii, agrimonii betonicæ, & feniculi fortiores uero medicinæ purgantes sunt hieræ compositæ qualis est hiera pachi descriptione scribonii medici, electuarium indum, & aliæ consimiles fortiores medicinæ, Plura alia medicamina potuissem scribere, quæ cum consimilem uirtutem habeant dimittere uolui, ne idem repeten-

do,& in utilia scribendo uerbis tecum agere tantum uidear.satis hæc dicta scint, quæ primum essentia morbi declarant, & etiam regimen tam curatiuum qua'm præseruatiuum,& antiquorum illustrium doctrinam docét, per remotionem causæ, Reliquum est hieronime pater si non in omnibus tibi satisfeci,qui altioribus speculationibus assuetus hæc tibi forsam uulgaria uidebuntur ut temporis breuitati & mihi multis negotiis impedito ignoscas. Vale & me ut soles ama. Venetiis. M. D. XVII. Die.X.Octobris.

AD REVERENDVM DOMINVM Ioannem Maria plebanum Arquæ policinii. Epistola. XXI. De aqua inter cutem, seu hydrope.



PLVRA Mihi scribis Reuerende domine, quæ acta ex mea sentétia sunt,& mire profuerunt, ita ut te iam incollumen esse paulo post credas,si quę in futurum recte administrari possunt ad te scripsero.Equidem non possum nō tuis petitionibus satisfacere,sed ut omnia (ut aiunt medici) canonice procedát ac etiam,cum excellentissimo medico tuo comunicare possis rem ipsam ab his quæ præcesserunt sic exordiar casus ita mihi præpositus fuit.Nam cum ex d uturna febre,& malo quoq; regimine,tam dietatiuo,qua'm medicinali,in aquam inter cuté deuenisses,& hoc ex maxima iocinoris imbecillitate, ita ut non tantum uenter inferior ex multitudine materiæ aquosæ (cum qua,& uétus plurimus erat) uerum etiam & uniuersum corpus intumuerat:uidelicet crura,brachia,caput,facies scilicet,& pectorales partes:ita ut in tumorem omnia membra eleuata sint ex quo,neq; deábulare, neq; pedibus consistere,neque in lectulo iacere poteras,sed sedens tantum, & ille situs nō sine maximo incomedo erat,quoniá nec dormire, nec spirare, nec comedere,aut alia facere sine maxima angustia permittebantur,& ad illum ultimum christianis hominis remedium deueneras,ut post assumptam euchare stiam extremam etiá unctionem habere uolueras. Vnde & si plurimi seniores medici

addessent,ego acersitus uidés omnes,tam medicos,quàm affines sine spe aliqua salutis esse,iussi in primis ut cutis crurium, & coxarum, cum sagitella scarificaretur, non solum in tibiis, & suribus,uerum& in partibus coxarum scarificatione tamen leui,& parua,ita quod cutis prior illa proforaretur sola,ex quo factum fuit ut tota illa materia aquosa quæ in uentre inferiori,& ambitu totius corporis erat sensim egresa sit, & hoc spacio diei naturalis,sicq; uisus es emanu mortis euasisse, cum maxima omnium illorum medicorum, & cæterorum abstãtium admiratione,& stupore,ita ut me hominem a' mortuis suscitasse dicerent,cum paucis post horis tu qui,nec loqui,nec comedere,uel alia aliqua operatione naturali uti poteras, expedite loqui cœpisti,& cibum petiisti,quo ingesto in lectulo te decumbens colocare uoluisti,& dormire cepisti,post quam somnum deambulare potuisti,quæ omnia certe sunt digna,ut literis mãdentur,ut sciant homines quantũ ingenia medicinalia in morbis etiam,siue spe aliquando posſint,& ualeant. Verum quoniá sic sanari nõ ex omni parte causas tollit,cũ dixerit Gale.uerã curã p remotionẽ causarũ esse & istap remotionẽ affectus fuerit.Quare etsi plurimæ naturales opationes fere' ĩcolumes, reddierint.Nõ tñ ex toto optime,& iculpate sunt,neq; omnes, qm̃ prima illa iocinoris uis cõcoctiua adhuc ibecillis est,ut sanguinem bonum minime generare posſit,& hoc (ut dixi) ex refrigeratione caloris naturalis ipsius,sed id quod generatur pro maiori parte aquæ,seu sanguis aquosus inspiatur, quæ iocinoris refrigeratio toti corpori iam comunicata est. Quare,tam iecur, quàm alia membra egent auxillis,ut ad proprium temperamentum redigantur,sed primo iecur, quod non sine temporis longitudine,& maxiomo etiam labore fieri poterit, cum iam morbus habitum contraxerit. Quicquid tamen sit, cum cura non sit imposſibilis, tametsi difficilis, remedia salutifera sic tibi scribam,& a' regimine sex rerum necessariarum incipiens,dico illud contrariũ morbi esse oportere.Vnde cũ hyẽs sit,& satis humida,studendum est in rectificatione aeris calfaciendo,& exiccando,& hoc comode facies si continuo ignem in camera accẽdes,nam ignis calfacit,& exiccat aerem facilius & melius cæteris rebus artefactis,in super cauendum est ab aere nocturno,& pluuioso,seu caliginoso. Quare melius est manere

nere domi, ne ex humidi, & frigidi aeris inspiratione mala temperies corporis iam dicta indeterius procedat. Præterea exercitationes plurimum conferunt, tum quoniam calorem naturalem excitant, tum etiam quoniam corpus exiccat, & ideo mane ante prandium ambulare cõducit ad corporis calefacionẽ. poteris etiam, ut aliquo alio genere exercitationis, ut est ludẽre ludo paruæ pilæ, uel alio consimili, & in æstate quoniã aer siccus est, libere potes domum egredi & deambulare per loca arenosa, uel saxosa usque ad corporis defatigationem plurimũ conducet. Neq; ullo pacto quies huic malo ex usu esse potest cũ corpus humectet, & refrigeret atq; excrementa omnia incrassset. Cibusq; & potus si non debite administrentur plurimum nocet, cum tam secundum quãtitatem, quàm secundum qualitates in morbis, cum materia qualis est iste magnifice nocere possit. Ideo primum panis sit ex optimo tritico optimè fermentatus, & salitus, & benè in clibano coctus, neq; farina ex qua fit sit ab omni furfurea parte ex toto munda, sed aliquid furfuris omnino habeat, in qua etiam ponantur semina feniculi contusa, uel anisorum quoniam talis panis, & calfacere, & exiccare modestè potest, & etiam optime nutrire. Similiter carnes sint ille quæ optime nutriant non tamẽ sit nimis humidæ, ut sunt carnes porcinæ, & agninæ. Quare eligantur sicciores, ut perdices, turdi, merulæ, fasiani, capones, gallinæ. & ex terestribus optime sunt carnes hedinæ leporis iuuenis, & etiam uitulinæ. Oua & præsertim sorbilia, uel in iure confusa mire laudantur. Pisces omnes sunt mali. Attamen ouatarica optima sunt, sed laticinia, olera & legumina cum malum succum gignant, & plurima excremẽta habeãt, sintq; difficilis concoctionis plurimũ nocẽt. Similiter & fructus omnes mali sunt, præter pineas & fisticos & aliquando amigdalas, cæteri omnes cũ malũ generẽt succũ admittantur, capares sunt boni nam roborant uentriculum, & aperiunt obstructiones hepatis, & lienis, & præparat materiam pituitosam ad expulsionem. Potes etiam uti, cum iã dictis carnibus salsamentis, & saporibus (ut uocant) ex petrosilino, menta, saluia cum amigdalis, & gingibere, & ante cibum optimum erit, si accipias radicem unam, uel minus gingiberis conditi, quam gingiberem uiridem nominant. Et post cibum etiam plurimum conducit comedere semina anisorum, uel fe-

niculi, aut cinamomum cum saccharo conditam (confectum uulgo dicitur) & passulæ optime conducunt quomodocunque comedátur, sed præsertim ante cibum. Vinum postremo sit album, boni odoris, & saporis nullo modo acidũ, quod si aliqua de causa dilautur, id fieri oportet cum decocto cinamomi, uel feniculi, neque post cibum bibere conueniens est, quoniam natat in uentriculo, & digestionem bonam impedit. Cauendum præterea est à repletione, & diuersitate cibariorum in una mẽsa: quoniam talis permixtio malum succum præparat, & quantitas uirtutem sufucat. Quare modestè comedẽdo melius uirtus instauratur. Procuretur etiam ut sit quotidianus secessus quod si non sponte fuerit fiant clisteria cũ decocto, maluæ absintii, betonicæ, in quo adde olei cõmunis, cum melle rosaceo añ. ℥. iii. & salis communis. ʒ. ii. & supponatur mane, uel fiat suppositorium ex melle, & sale, & quoniam somnus plurimum ad perfectam concoctionem facit ideo sit nocturnus per duas horas post cœnam, neque sit minor septem horarum, nec maior decem, quoniam somnus nimis logus calorẽ obtundit corpusque refrigerat. Similiter diurnus caput replet & ægritudines catarales generat. Et ideo dimittendus nisi forte in nocte non dormiueris. Post regimen sex rerum non naturalium eges etiam regimine medicinale, tam cum alterantibus, quàm cũ euacuãtibus cũ morbus talis sit ut plurimã materiã crudam gignat, quæ euacuatione eget. Ideo primum minorabis materiã quę in uiis comunibus est ista leui medicina potẽs etiam uentriculum, & iecur roborare ℞. electuarii lenitiui. ʒ. vii. de dactalis. ʒ. iii. reubarbari optimi maturi. ʒ. i. misce & cum zuccaro fiat bolus, & sumatur quatuor horis aut quinque ante prandium, deinde residuum præparetur isto syrupo ℞. syrupi de cicorea, cum reubarbaro. ℥. i. acetosi diarodum. ℥. S. mellis rosati. ℥. S. aquarum betonicæ absintii, añ. ℥. i. S. misce & sumatur singulo mane in aurora, & comedatur quinque horis post & hoc donec aliquod signum concoctionis in urinis apparuerit, quo apparente optimum erit sumere hanc medicinam. ℞. rabarbari electi maturi. ʒ. i. S. squiuanti gr. vi. uini maluatici. ʒ. iii. Decoctionis absintii, betonicæ, cicorei, & agrimonii, quantum satis est, confundantur simul ꝑ decem horas deinde exprimantur expræssione optima, in qua

dissoluantur hiera Galeni. ℥. i. agarici præparati. ʒ. i. S. oximellis simplicis. ℥. S. misce & bibe eam hora matutina quinque, aut sex horis ante prandium. Postquam purgationem tota intentio erit procedere cum alterantibus, & roborãtibus, tam hepar, quàm uentriculum. Quare utere singulo mane hoc syrupo ℞. syrupi de absintio. ℥. i. de cicorea cum reubarbaro. ℥. S. misce & sumatur cum cocleario tota quantitas, & hoc per plures dies, quod si egueris aliqua euacuatione, ut puta quoniã aluus non sponte fluxerit summe pilulas de tribus, cum reubarbaro. ʒ. i. & fiant tres, & hoc semel in ebdomada mane cum quibus optimum erit comedere unciam unam passularum uel duas, & sumere cibum quinque horis post. Interim dum hæc fiunt inunguatur uenter inferior hoc linimento ante cibum ℞. olei amigdalarum amarum. ℥. vi. uini albi uinosi. ℥. iiii. absintii eupatorii añ. manipulos. ii. buliant ad consumptionem uini. Præter dicta sunt plurima alia quæ iecur roborare possunt, ut est diacurcuma, & dialaca unà cum zuccaro rosaceo hoc modo ℞. diacurcumæ, dialacæ, zuccari rosati añ. ℥. i. syrupi de corticibus citri. ℥. i. S. misce & sumatur. ℥. S. mane per quatuor horas ante prandium, ad eandem intentionem mirũ immodum conducit electuariũ de passulis descriptum ab Auicenna. xiiii. tertii cap. iii. quod assumpsit à Galeno. viii. de medicamenti secundum locos, & est ultima edicina in succurrendo, tam naturalibus, quàm uitalibus membris, & præsertim iocinori imbeciliori, qua uti necesse est plurimis diebus mane scilicet ante prandiũ. Postremo quod scribis de leuibus exulcerationibus, crurium, nihil est quod ex illis timeas, nam emanatio illius materiei subtilis uirulentis plurimum confert. Sed si aliquid super ipsas exulcerationes apponere desideras ponatur tale unguentum mixtum ℞. unguenti de litergirio de cerusa, de tucia, rosati mesue añ. ℥. S. misce & simul incorporentur, & utere super ulcera. Plura alia Reuerende pater scribere potuissem, sed hæc satis esse iudicaui quoniam si diligenter administrata fuerit procul omnidubio, tã iecur quàm uẽtriculus ad priorem temperamentum redibit Deus Optimus Maximus te dirigat, & custodiat. Vale. Venetiis. M. D. XVIII. Die. XXIX. Nouembris.

AD PRÆSTANTISSIMVM DOMINVM Ioannem de Vlmo. Epiſtola. XXII. De imbecillitate uentriculi, cum doloribus colicis, & exulceratione renum, & colli ueſicæ, cum ardore urinæ, & plurima quantitate lapillorum renum, & lapidis etiam in ueſica, cũ febre continua.



ACCEPI Literas tuæ præſtantiæ unà, cum informatione Excellẽtisſimi Domini Aloyſii Mõdele, ex qua intellexi uarios affectus præternaturam quos iam dudum paſſus es ſeries uerborum informationis talis eſt. Vir præſtantisſimus ætate. xxxviii. annorum: temperaturæ calidæ, & ſiccæ ut ex cordis, & iocinoris notis, & operationibus liquido, aparet, tã & ſi cerebri humiditas, atq; uentriculi frigiditas in quo plurima materia pituitoſa generatur non parum cõtra opperentur. laborat, in quam, in primis febre ſine intermisſione ex putredine coloræ quàm notam, uocant intra uenas putreſente, & coli ueſicæ exulceratione, unà cum calculis renum, & inteſtini coli uehementisſimi s doloribus, ex materia pituitoſa in uentriculo genita illò tranſmiſſa, quibus cum adeſt frequens mictus, cum uehementisſimo dolore, qui iam per quinq; antea annos, & nunc in emiſione locii eum ſæpisſime crutiat hic tamen dolor aliquando præſtantiam ſuam per aliquod dies minime moleſtat, in quo locio inſpicitur putridum, atq; graue olens non modicæ quantitatis ſedimẽtum. Ad quorum effectum præter naturam medellani Vir doctisſimus plurima, & ſaluberrima remedia nõ ſine maximo leuamine adminiſtrauit, ita ut dolores magna ex parte amoti ſint, & tametſi ſedimentum, & ſubſtantia locii in præſentia laudabile ſatis appareat, ille tamen nõ credit ſe ſanitati integre reſtitutum, ut tutus ſit à recidiua dictarum præternaturam affectuum. Quapropter quærit à me nũquid ligni indici decoctum, cum ad plurimos difficiles morbos medicina ſaluberrima ſit, illud etiam posſit tuam præſtantiam à prædictis præſeruare. Cui petitioni ego facilius reſpondebo, ſi prius quædam quæ ad præternaturales dictos affectus faciunt in memoriam reuocauero, Recolo me uidiſſe tuam nobilita

bilitatem (& sunt iam plurimi anni) pacientem tumores quosdam duros, tum in tibiis, tum etiam in labiis, qui suborti fuerunt post diuturnam & difficilem febrem, quibus sanatis, suborti sunt renum dolores, & lapillorum in renibus generatio atque intestini colli dolor, & etiam ulcus colli uesicæ, cum frequenti mingẽdi desiderio, & intensissimo dolore in meatu urinario. Quos præternaturam affectus concomitatur febris putrida ex choleræ nothæ intra uenas putredine. Et quoniã (ut dicebat Galenus in libello de morbis) ea quæ in nobis præter naturam eueniunt, uel sunt morbi, uel causæ, uel accidẽtia morbos in sequẽtia. Primum igitur dicam de primario morbo quẽ ex illis quæ præcessere, frigidam temperiem cum materia esse operæprecium dicere est. Nam affectus qui antea fuerunt frigidam materiam, & illã quidem non modicam in membris naturalibus generarũt, & posteaquã ex ea apostemata] frigida suborta sunt, hæ materiæ non nisi a frigiditate membrorum naturalium generantur, quod si recte quis discureret per ea quæ (in præsentia) tuam præstantiam molestant, cognoscet eandem materiam frigidam in causa esse, cum dolores renum qui non uehemẽtes sunt, & lapilli qui non rubri sed cinerici coloris existunt, materiam pituitosam ostendant. Similiter intestini colli dolores, ex dictis non nisi a materia pituitosa in uentriculo genita ob eius ĩbecillitatẽ dico. Etenim pituita, seu materia pituitosa, primo in uentriculo ex eius refrigeratione gignitur, sicq; dicendum erit totam rationem prædictorum a iam dicta frigida temperie cũ materia esse, cũ qua] tẽperie cũ conseruetur iocinoris calidi, & sicci, in robore caliditatis, ac etiam ex quibusdam obstructionibus a materia frigida in ipso factis calor augeatur, neq; seruet natiuam dispositionem, fit mala temperies illa diuersa, ut scripsit Galenus fuse, & pulcherrime in libello de mala temperatura diuersa, hanc eãdem diuersitatem reliqua accidentia attestantur, ut est albedo, & crassities, tum in urina, tum etiam in sedimento ipsius, & ardor in mingendo, atq; febris quæ ex putredine choleræ nothæ. Etenim albedo, & lentor atq; crassities in lotio, & eius sedimento, plurimã materiam pituitosam in uenis, & iocinore cum sanguine denotant, quæ pituita ob refrigerationem uentriculi (ut dixi) in ipso generatur, ardor uero ob iocinoris, & renum super calefa-

tionem prouenit. Præterea si materialem causam febris quę bilis nota est ex admistione pituitæ crassæ, & bilis ad unam formam redacta consideremus, supra dictam diuersitatem temperaturæ necessario ponere oportet. Porro ex uentriculi frigiditate materia pituitosa, & ex iocinoris caliditate bilis non naturalis generari omnes antiqui affirmant. Hæc materia crassa obstruens meatus ex qua obstructione cum euentatio prohibeatur sequitur putredo in humoribus a qua eleuantur uapores qui cor ipsum calefaciunt sicq; dictam febrem causant: quæ cum in corpore iam excarnato diu morauerit non sine discrimine est ne impressa caliditate insolida membris substantia in habitudinalem transeat, ut sæpe in similibus casibus conspeximus. Ex dictis liquido apparet morbum primarium esse malã temperiem diuersam uidelicet uentriculi refrigerationem, & iocinoris super calefationem. Causæ uero dictorum fuere & exteriores, & interiores, nam exteriores cause sunt si rerum necessariarum non proba fuit administratio, & interiorum fuit uirtutis imbecillitas, & inequalitas, ob morbi diuturnitatem agenerans materiam non naturalem iam dictam, namq; dum Dominatio tua arduis, & plurimis negotiis intenta, neq; in cibo, neq; in potu, & horis congruis, neq; in motu, & aeris uniformitate regulam obseruet, uirtutes omnes debilitantur unde fit ut affectus præternaturam difficiles orti sint, & tametsi dolores particulares quales sunt renum, & coli uesicæ in sequantur particularem membri in temperim, uel solutionem continuam, uel utramq;, isti cum pendeant a priori iam dicta diuersa in temperie hoc in casu accidentia prioris morbi dicũtur, neq; hoc repugnat Galeni doctrine in libello de morbis simptomatibus & ex his habes quod dolores, tã i dorso, quam in intestino colo, & etiam in pene mingendo sunt accidentia in sequentia priorem malam temperaturam diuersam. Et quãquam febris temperiem calidam in corde toti corpori comunicatam dicat cum tamen a prioribus causis pendeat illa ex parte accidens, & parte morbus essentialis statuenda erit. Sed quoniam exulcerationem colli uesicæ superius Vir excellentissimus affirmauerat, quod cum non ex omni patte sit clarum, cum audiam iterdum, & per plures dies urinam egressam fuissem sine aliquo dolore: Ideo crediderim ego ulcus omnino

adesse non in uesica sed in renibus & illud nō paruum, etenim lapilli insignis quantitatis, & plurimi in renibus geniti in uri-nis uisi sunt, qui cum quantitatem habuerint maiorem qua'm pro ratione meatus renum sint, dum egrediuntur renes lacerā do soluunt eorum continuitatem, quam solutam continuitatē ulcus uocant, a' quo ulcere una' cum lotio materia saniosa, & putrida & male olens ad uesicam descendit, una' cum plurima etiam materia pituitosa, neq; negnauerim aliquā leuissimam colli uesicæ alterationem, seu excoriationem a' materia sanio-sa quæ cum sit putrida, calida est, & pariter ab acredine urinæ aquisita ex temperie præternaturam, tum iocinoris, tū etiam renum. Hæc uero leuis excoriatio, neq; tantam saniei quantitatem agenerare potest, neque dolorem illum plurimū infestantem. Est igitur dolor, & ardor qui non (semp cū min-git molestat) tametsi sæpe potius in cōsumptionem caruncu-larum adenosarum quæ stragulum colli uesicæ sunt reponen-dus, qua'm in creditam exulcerationem colli uesicæ, & etiam ex contactu aspero lapillorum per locum illum transeuntium. Nam ut audiui lapilli, & magni, & inequales fuerunt, ut mea-tum uesicæ potuissent excoriare. Adderem etiam alteratio-nem ab acrimonia urinæ transeuntis, & mutantis loci tempe-riem subito dolorē facere posse, quod facile persuaderi potest si locium sine aquisita acredine mingitur, nam cum non acris urina est tunc sine labore libere, atq; sine aliquo dolore egredi tur. Sed cum audiam mictum frequentem, atq; dolorem, & gra uedinē in sumine esse, crediderim ego præter dictos affectus, lapidem insignem in uesica esse. Et quanquam morbus renalis sæpe hominē ad mingēdū excitet si Principi Auicennæ credi-mus. xviii. tertii de morbis renū, non tamen dolorē, & grauita-tem in sumine associare sibi solet, Rotio autem quæ me ad cre-dēdum lapidem in uesica esse præter id quo'd dixi est. Quoniā morbus primarius antiquus est, qui plurimam materiam len-tam generauit, quæ postea cum materia urinali ad uesicam de scendit, quæ dum ibi diu residentiam fecerit, facile est dacta renum, & iocinoris caliditate ut in lapidem conuerti possit, neq; est signum non adesse lapis in uesica aliquando sine dolo-re mingere, quippe cum plurimos uiderim qui expidite minge bant in quibus ardor urinæ, & grauitas & tenesmus erant, &

cum,neq; medicinis ab antiquis scriptis,neq; termarum aquis sanari poterant,inciso loco inuentus est, lapis 4. atq; extra/ctus sicq; sanitati restituti sunt,ut cōtingit anno præterito Venetiis Domino Ioanni peroto, qui per multos annos urinam cum sedimento fetido ac ardore in mingendo reddebat,sæpissime tamen expedite, & sine dolore, neq; potuit ex assumptis per os,aut extra aplicitis liberari. Tandem cū ex grauedine,& aliis signis existimarē lapidē in uesica esse,accersito opatore in tali operatione expertissimo,hominem in loco incisit,& in eo lapide eum extraxit,sicq; sanitati restitutus uiuit,neq; ab ardore urinæ amplius molestatur.Quicquid de hoc sit consulere in hoc difficili casu,oportet,uiros qui sepissime in tali secandi genere se exercuerint,ita ut instrumento in uesica intromissio rem dubiam declaret, qua declarata de reliquis quæ ad curam spectant docti Medici terminent. Habes ex dictis declarata hæc omnia scilicet primum morbum qui est uentriculi, & iocinoris mala temperies diuersa, habes & febrem continuam morbum per se, tametsi a prioribus causis iceperit,habes quoque renum exulcerationem,& frequentē mictum cum ardore atque dolore,ac plurimorum lapillorum in ipsis generationem cum urina in qua sedimentum saniosum,& putridum est, & etiam caruncularum adenosarum in collo uesicæ consumptio colliq; uesicæ,& meatus urinarius excoriatio. Qui lapilli reuera non sunt rubri quoniam materia ex qua generantur pituitosa est. Et tametsi antiqui locum generationis lapillorum per colorem ipsorum ostendat,res non semper ita se habet,quippe cum sæpe in renibus albi,& citrini,& cinerici coloris lapilli inuenti sint. Habes etiam,& intestini colli dolores ex materia pituitosa.Sed quod dixi de lapide in uesica, de quo etiam dubitauit uir excellentissimus,sensus & instrumēta experti in hac re operatoris,ostendet.Quæ omnes dispositiones cum iam inueteratæ sint curam difficilimam reddunt non tamen impossibilem præsertim si reliqua,tam exteriora, quam interiora recte inspicio, quę plurimum ad sanitatem in morbis faciūt.Etenim in primis anni tempus saluberrimum est,ætas etiam uigoris,& corporis natiuum robur,atq; prompta,& parata uoluntas ad omnia faciendum,ut pristinæ sanitati restituatur, unacum doctissimi,ac diligentissimi Medici saluberrimorum remedio

mediorũ continua administratione, hæc omnia sanitatem etiã in difficillimis morbis promittunt, quàm per contrarium regimen, tam rerum necessariarum, quàm medicaminum, & manuum operationum medici perficiunt. Sit igitur regimen post custodiam aeris in cibo, & potu, ut primum utentur omnia frigida, & lenta, quæ uentriculo noxia sunt, atq; materiam pituitosam agenerare possunt, nisi causa febris, uel aliqua alia causa urgente ad extinguendum calorem præternaturam, frigida dare necessum fuerit. Interdicantur ergo pisces & lacticinia, ut caseus, & fercula quæ ex farina tritici fiũt, atq; oriza, & similia. similiter & acria urinam prouocantia interdicantur inter quæ sunt cicer, & alia legumina, uel ea quæ cum aromatibus præparantur. Pastilia quoq; ex ouis caseo, & similibus dimittantur. Quæ autem pro cibis conducunt sunt in primis panis fermentatus, & mediocriter coctus, & etiam carnes optime quales pullorum gallinaceorum, perdicum, fasianorum, turdorum, atq; uituli, & hedi lactentis. Oua quoque sorbilia in iure carnis cõfusa sunt optima, præterea ferculum ex fare, & amigdalis, & etiam ex boragine, buglosso, & similibus est optimus cibus. Vinum sit mediocre in colore, sapore, & uirtute, ita ut eius color sit medius quem aureum uocãt, & sapor, neq; acerbus, neq; dulcis sit, sed potius stipticum, ut uentriculum roborare possit, quod si aliqua ratione aqua cum eo permiscenda sit, id cum decocto cinamomi fiat. Etiam omnis replectio, tam cibi, quàm potus fugiẽda est, atque uentris excrementorum quotidianæ euacuationi studere oportet. q; si non sponte uenter fluat utere clisteribus lenientibus in quibus sit uis aliqua dolorem leniendi, qualis est hic ℞. foliorum maluæ, uiolarum, corticum papaueris, grana alkakengi, añ. manipulum unum buliant in aqua communi ebulatione optima, postea accipe dicti decocti libram unam olei uiolarum recentis, amigdalarum dulcium añ. ℥. ii. butiri recentis. ℥. i. S. uitelli ouorum numero. ii. misce & imponatur parum supra tepidum, ut diutius in uentre detineri possit. Nam præterquam quod uẽtrem mollit, & superfluitates intestinorum educit mirum immodum dolorem, & urinæ ardorem, siue acredinem obtundit, præsertim si per horam, aut p duas detineatur. Somnus etiam si moderatus sit, plurimum uentriculum roborat, &

doloribus opitulatur, & hac ratione dormire plurimum dictis malis opitulatur, præsertim horis matutinis quoniam uirtutes omnes instaurat. Exercitatio leuis sit, & ante cibum, neque a' cibo deambulare, uel equitare conducit. Quare melius est per aliquot horas quiescere. Postremo sicuti gaudium uirtutes omnes auget, & roborat, ita tristitia, & animi perturbatio sanitati contraria est, ita ut omnes uirtutes imbecilliores reddit præsertim uetriculi digestiuã, quapropter, lætari animo, & occasiones tristiciæ & meroris omni ingeno si amoueant plurimũ cõducit. Similiter & uenerei amplexus plurimũ, & magnifice nocẽt. Quare eas dimittere operęprecium est una cũ omnibus arduis negotiis, & ualitudini primum studendum est. Post dicta sequitur medicinarum administratio, quæ fit cum illis quę in primis uentriculum roborant, atque acredinem urinæ obtundunt. Quare singulo quoque mane utile erit accipere syrupum hunc ℞. mellis rosati syrupi de absintio ana. ℥. i. decoctionis glicylize, passularum, florum uiolarum, maluæ, alteæ, granorum alkakengi, in aquis stilaticiis cicorei, & agrimonii. ℥. iiii. & sumatur mane in aurora & dormiat ut melius a' calore uentriculi actuetur, in quo plurimæ iam dictæ materiæ generantur, & in uenis propinquis resident atque eas obstruunt sicque prohibendo respirationem, seu debitam humorum euentationem causat febrẽ, & ut omnia unico uerbo complectar, hæc materia quæ in uentriculo generatur, est causa materialis doloris intestinorum, & lapillorum qui in renibus & in uesica generãtur, & nisi quæ genita est tolatur, & prohibeatur ne uẽtriculus eam gignat, calorem roborando reliqua quæ administrãtur parũ, aut nihil proderũt. studẽdum est igitur post præparationem euacuationi, cum medicinis leuibus, hoc modo ℞. diacatoliconis. ʒ. xii. specierum hieræ. ʒ. i. misce & fiat bolus cum zuccaro, uel fiat potus, cum iã dicto decocto, quo'd si etiam rabarbari dragma in dicto decocto infusa adderetur plurimum mihi placeret, cum in tali permixtione fere' omnes requisitæ intentiones sint. Nam in hac medicinæ compositione cassia, & reliqua ingrediuntur quæ materiam acrem educere possunt, atque etiam calorem febrilem, & urinæ ardorem obtundunt. Sunt præterea rabarbarum, & hiera, quæ uentriculo, & intestinis plurimũ cõducũt, & materiã crassam depo-

niunt. Sed rabarbarum præterquanquod choleram putridam educit, & obstructiones apperit, est etiam ulcerum intestinorum singulare præsidium, præsertim renum, & uesicæ. Postquam euacuationem, equidem, uenam ped s qua'm safenam uocant secarem, atq; sanguinem mittere ad quantitatem qua uirtus ipsa tolerat. Nam hæc uena si incidatur in affectibus colli uesicæ plurimum prodest, & tamen etsi Vir excellentissimus alias uenam secuit, & sanguinem euacuauit semel, quodsummoperæ laudo, iterũ (ut dixi) sanguiné mitteré. Interea dum ista administrantur doloribus succuratur, primo cum in iectione lactis per siringam in meatum urinæ, aut cum decocto plãtaginis, alkakengi, & semperuiuæ, uel cum albumine oui confuso in aqua alkakengi, aut cum sief albo, cum aqua rosacea comixto. Vẽtriculus uero exterius roboretur fomẽtis, emplastris, & linimẽtis, ut puta cum unguento comuni uentriculum roborante, aut cum oleo mastichino, de absinthio, & nardino simul comixtis, uel fiat decoctum ex coma absinthii, menta, pulegio, & rosis cum uino stiptico, & aqua fontis equali portione, aut accipiantur res prædictæ, & fiat cataplasma, seu emplastrum, & aponatur uentriculo. Postremo ad ardorem urinæ primum experiatur (ut dixi) superius positis instrumentis per meatum uirgæ usq; ad uesicam nunquid in ea lapis sit. Qui si inueniatur, præstantissimum remedium, & sola saluus est locum incidere, & eum extra ducere. Et quoniã uir doctissimus dixit regimen quod ipse iniũxit, optime p̃stantiam tuam leuare, non tamen morbos tollere potuit, & hac de causa quærebat nunquid ligni indici decoctum dictis malis ex usu esset, ita ut per potum ipsius tua præstantia liberari possit, cui petitioni respondeo. Medicamen ex ligni indici decocto plurimis de causis placet, primum quidem quoniam plurimos antiquos affectus præternaturam sanare solet. Placet etiã quoniam in eo sunt, qualitates manifeste quæ contrariantur imbecillitati uentriculi, & ipsi refrigerationi. Et etiam quoniã præter quanquod per manifestas qualitates operatur, habet & proprium temperamentum quod plurimos morbos difficillimos sanare potest sed cum febris continua sit & alii affectus præternaturam, ut dolor colicus, renum exulceratio, & lapillorum in eis insignis quantitas generatio, frequens mictus, cum

ardore dolor in loco. Ideo commune modū decoctionis, & administrationis sic mutarem. Primum ligni decoctum fiat cum aquis stillatitiis, cicorei, & absinthii, de qua prima decoctione bibat mane calida & uesperi etiam ante cœnā, cū syrupo de liquilitia seu de glicyrhiza, & melle rosaceo, fiat insuper secunda decoctio, ligni semel ebuliti cum prædictis aquis, quam etiam interdiem bibat, cum aliquo roborante uentriculo, puta cum geleniabino zucarino, siue cum syrupo ex succo rosarū & saccharo, quantitas uero potus sit ad tollerantiam uirtutis uentriculi permutātis, Potus igitur sic præparatus (mea quidem sententia,) est medicina singularis conferens uentriculo, iocinori & reliquis membris naturalibus, sanguinis expurgatiua, & obstructionum operitiua. Et ea ratione humorum refrigeratiua, quæ est ulcerum renum præstantissima medicina quæ lapillos educere facillime potest. Et ut omnia unico uerbo expediam est medicina totius corporis, & omnium uirtutum roboratiua. Et quoniam membra particularia habent plurimas medicinas sibi peculiaria, & propria. Ideo cum diuersa membra affecta sint, & affectus particulares sint diuersi, ita ut præter commune potum necessum sit particulari membro, & affectui consulere, optimum erit ad renum, & uesicæ affectus alternis diebus propinare hora matutina unà cum primo potu. ʒ. i. trocisсorum de alkakengi in puluerem redductam, uel aliquod aliud consimile medicamen quod primum ulcera renum, & uesicæ sanare, & urinæ ardorem obtundere possit. Et in hoc insistere oportet quoniā isti trocisci habēt, ut ad renes, & uias urinæ reliquas medicinas dirigant. Neq; dū hoc decoctū præstantia tua biberit esum optimarum carniū re dimittere uolo, & iam dicti uini potum, cum secundo decocto diluti. Et hoc quoniam ut dicebat Hyppocrates consuetudini dādum est aliquid. Et etiam quoniam in diuturnis morbis in tenui uictu est error aliquando grauis. Tempus uero bibendi dictum potum sit quadraginta dierum, quo transato termino, atq; aliqua mora per aliquot dies facta, & uirtutibus instauratis, optimum erit patauinas termas, seu balnea petere, atque etiam aquas illas bibere in ipsisq; lauare, præsertim partes, & regiones renum, & uesicæ, sicq; ex potu ligni indici, & aquæ patauinorum balneorum roborato uētriculo ac etiā reliquis

affe

affectibus opitularis, tute, & comode ut præstantia tua desiderat, diebus calidioribus aquam balnei calderiani bibere, & in eis membra male affecta, & dolentia lauare poterit, & in hoc est ultima spes sanitatis. Sed in omnibus sunt necessariæ aliquæ precautiones, præsertim in calderianarum aquæ exhibitione, tam intus bibite, quàm extra lauando. Etenim quoniã frigidæ sunt, Ideo mane antequam eam bibas optima precautio erit accipere rotulam unam, aut duas aromatici rosati, & etiam regionem uentriculi exterius fouere oleis puta de absinthio, & masthichino, & fomentis, & emplastris superius scriptis. Et quoniam uir doctissimus petiit etiam nunquid exhibitio lactis in casue ex usu esset, Ideo ne nostræ literæ aliqua ex parte deficiant. Respondeo lac in casu nullo modo in præsentia cõducere quoniam præter id quod febricitantibus febre putrida magnifice noceat, etiam usus lactis lapillos, tam renum, quàm uesicæ gignit, & auget, coli quoq; doloribus plurimum nocet. Et quanquam lac remedium præstantissimum sit, tam ulceribus renum, uesicæ, quàm exulcerationi amborum membrorum in hoc casu nullo modo poterit prodesse, cum augeat lapillos qui exulcerationis unà causarum est, sed ut superius dixi primum inquirendum est an in uesica lapis sit, ut credo qui si inuenitur sola extratio per incisionem sanare potest. Hæc sunt uir nobilissime quæ tibi his literis pro tua ualetudine significare uolui. Equidem plura alia scripsissem, quæ consulto prætermisi, quoniã uideo præstantiã tuã habere medicum doctum, & expertum atq; tui amantissimum, qui in omnibus ita se gessit ut nihil ad tui salutem in excogitatum admisit. Summus ille deus eternus omnium bonorum auctor, & incollumitatis largitor, dirigat omnia ut desideratam, & primã ualetudinem consequaris.

Vale. Venetiis. M. D. XXXXVI.

Die Tertia Aprilis.

AD APOLLONIVM MASSAM.

Epistola. XXIII. De descensu intestinorum ad oscheum, & de tumore in ima parte uentris prope didimum, deque testiculorũ monstrosa positione.



PTABAM Equidẽ, & animi, & corporis quietem longe maiorem quanquod mihi in præsentia sit, ut doctissimo Ioanni Dryandro tuo, ac ob eius non uulgarem doctrinam mihi amicissimo, quanquam minime de facie cognouerim; ad interrogationes non minus doctas quàm egregie se lectas, ex ingenti aceruo problematum, ac questionum grauissimorum medicorum, tam ad theoricam, quàm ad practicam speculationem attinẽtes, ad animi usque tranquilitatem respondere possem. Quoniam id mihi in præsentia non datur quippe cum ob corporis ualetudinẽ cum etiam ob negotia medica nullum ferè supersit ad scribẽdũ tẽpus. Attamẽ: ea pro tẽporis angustia scribere conabor quæ præcipuè ad negotium spectare uidebuntur. Quare si illa pro hominis dignitate ad desideratas questiones, & responsiones minime orationes elegantia ornauero, & ex omni parte uiro doctissimo non satisfecero, his cognitis, non dubito me apud prudentissimum hominem nõ excusatum fore. Aggrediar igitur tumultuarie negotium ipsum: ac in primis quæ mihi de proposito casu uidentur dicam. Mox ad quesita quædam breuibus rescribam. Casus sic proponitur Vir quidã eruditus, & nobilis, diuersos affectus malos patitur: Et primo à teneris annis in sinistra parte, uel ex sifaci ruptura, uel dilatato didymo, per quem intestina ad oscheum descendere possunt in ima uentris, tumorem habet molestum ualde, ac etiam habet paulo inferius circa didymum tumorem capitis magnitudinem superantem, qui ante fuerat ad anserini oui quantitatem, sed mollem, & diuersum, qui dum tangitur globi funium instar sentitur. Et hic perpetuus est; is habet, & præter dicta, quod in latere dextro, nullus sentitur in oscheo testiculus suspensorio alligatus, sed in sinistro potius in ima uentris parte tactus deprehendit testiculum, ita ut in sinistro latere ambos testiculos uidere liceat, alterum scilicet qui à morbo male se

habet in oscheo, alterum in ima uentris eiusdem sinistri lateris parte tactus descernit, ita ut duo in uno latere collocati sint testes. Non tamen ex his dictis maximum malum uir doctissimus credere ex literis suadet, cum æger ipse non solum potens sit in uenereo amplexu, uerum & liberos utriusq; sexus procreauerit. Scribit enim uir oculatissimus priorem tumorem in præsentia ad trium librarum pondus sensim deuenisse; quibuscum neq; uehementes dolores sunt, tametsi aliqui sit dolor, qui dolor fit aut materia ad locum præcipitata, aut aliquo intestinorum descendente, uel a' nimio potu, aut labore. Hic tamen tumor facile' delitescit, si supinus iacuerit æger, in qua tumoris dissolutione sentitur gurgulatio, & rugitus quidam. Duo in hoc casu uir doctus affirmare uidetur ex superius narratis, alterum descensum intestini cuiusdam, alterum uaricosum in didymo affectum. De primo igitur cum sit in latere sinistro: coli intestini partem ibi descendere credere operæprecium est. Neq; zirbus, siue omentum esse potest, cum omentum si descenderit non habeat quo sursum eleuari possit, ut intestina habent, quæ incontractionem dum una' pars mouetur, relique partes consequuntur. Præterea si daretur ascensus omenti post præcipitationem ad oscheum, aut ad scrotum, quem ascensum ex se negant antiqui omnes illustres, dico si datur utiq; ille non fieret cum gurgulatione, & rugitu cum in omẽto, neq; uentus, neq; aque a' materia cõtineatur, ut ex eius motu gurgulatio, aut rugitus fiat. Secus in intestinis est, cum semper ea sint referta humiditatibus diuersis, ac etiam uentositate: & ne in nominibus aliqua sit esitatio animaduerte quo'd arabes oscheum; interiorem pellem quæ testiculos cooperit uocant, sed exteriorem scrotum, uel scortum dicunt. Didymũ uero suspensorium testiculorom appellant. De posteriori uero uaricoso affectu. Is nihil aliud est quam uenarum ibi existentium dilatatio, & repletio, etenim multæ ibi sunt uenæ nutriẽtes, & descendentes ad uicinas partes, tam intra, qua'm extra didymum. Quare ex his secundum affectum esse patet, uenarum dilatationem, ac repletionẽ uaricosam, tam intra, qua'm extra substantiam didymi existentium, & quoniam molles ex dictis sunt, a' sanguine nõ nimis crasso, uel nõ ualde terrestri repletio ipsa est. Nam uarices ut plurimum sanguinem melan-

cholicum continent. Sed secundum maiorem, uel minorem duritiem, magis & minus terrestre & melancholicum esse dicere oportet. Quo'd autem dictum est in dextero latere, non esse testiculum, sed in sinistra uentris parte extrema reperiri, monstruosum proculdubio esse credendum est. Neq; hoc fuit naturæ recte' plasmantis, sed errantis potius. Quo'd si in illo loco uenularum, aut arteriarum tumidarum annexus appareat, hoc in uaricosum quendam leuem affectum referendum est. His sic affectibus declaratis, quos Latini ramices intestinorum, aut inguinis, & uaricosos uocant, cura nõ facilis est, tametsi antiqui omnes illustres eos curare doceant. Nam cum affectus non unus sit, sintq; magni, atq; antiqui, qui non sine periculo tractentur, & ex complicatione difficultatem habeant, scilicet a' quo incipiendum affectu sit, & dixerit Galenus.x.methodi, &.xi.eiusdem, hoc idem meminerit etiam comento.xvi. primæ particulæ Aphorismorum, & passim in aliis libris, quo'd in ægritudinibus complicatis operæpreciũ est, incipere a' ualidiori, uel magis periculosa, uel ab alia, quæ est causa alterius, aut qua non sanata reliquæ sanari nequeunt, & reliqua: & hoc in casu uideatur intestini descensus habere maius discrimem, ac etiam impediat suo descensu curam uaricosi affectus, ab eo intestini descensu incipiẽdum esset. Attamen mea quidem sententia contrarius hic procedendi ordo necessarius erit, ac in primis a' uaricoso incipere operæptium est, quoniam sic incipiendo possumus ambas ægritudines unica operatione sanare. Nam uaricosus affectus non aliter in isto sanari potest, nisi cutis incidatur, ita ut tumentes uenæ appareant, quas scalpello incidente aperire oportet, & sanguinis omnem quantitatẽ in ipsis contẽtam extrahere, & euacuare, mox locum, & uenas incisas candenti ferro (ut aiunt) cauterizare diligentissime tamen ne aliqua uena adaperta relinquatur. Sunt tamen, qui post uenarum incisionem, & euacuationem sanguinis uenam filo uinciunt, quo'd ingenium mirum immodum placet, quoniam seruat proculdubio a' fluxu sanguinis. Nam fluxus sanguinis sæpe est causa insignis mali, & aliquando perdit hominem. Non tamen post ligat'onem cauterizatio (ut appellant) dimittenda est, cum ex ipsa duas intentiones, curator habeat. Prior est uaricosi affectus exiccatio, & sanguinis constrictio:

posterior

posterior didymi ex ustione constrictio, ita quo'd si ex didymi laxati ramex fit, proculdubio ex tali ustione & exiccatione, uni tis partibus, interdicetur intestinorum descensus. At si ex ruptura peritonæi descensus intestinorum fuerit, eodem ordine in cura incipiendum est, scilicet ut repositis prius intestinis in uentre, incidat cutem ubi ruptura est, usque ad locum uaricosum inclusiue. Sed antequam uenæ uaricosæ incidantur, locus rupturæ peritonæi, intropositis prius intestinis suatur diligenter, accipiendo in una' parte peritonæum, cum mirach, idest cum hypogastrio, uel abdomine, & in alia dimittendo, quem modum suendi in libello, meo de discectione corporis humani distincte', & clare' scripsi. Peritoneo igitur cõsuto operator cõuertat se ad uenas uaricosas, & eas aperiat, quibus incisis, & sanguine euacuato, ac uenis (si libet) deuinctis, ac loco candenti ferro exusto (ut supra dixi) cutis reliqua superior suatur, ac medicaminibus, & ceratis, tum ad sistẽdum in primis, tum etiam ad intentiones reliquas appositis curam ultimam, quæ loci est prosequatur. Hæc sane uia, mea quidem sententia melior, ac minus periculosa est, tametsi nõ sine maximo dolore, ac discrimine in similibus, procedat Medicus. Et ne forte in re magis necessaria defecisse uidear, an scilicet testiculus euellendus sit in iam dicta operatione, ut empirici faciunt, nec ne, huic dubitationi respondendo sic, dico semper abscindere testiculum malum esse, cum præter alia nõ parua incõmoda uirile robur, & sexus amittatur, testimonio Galeni in Libello de Semine. Quare, si testiculi sani sunt, quod credendũ est, sumpto argumento ab operationibus. Audio enim ipsum non solum in uenereis ualidũ esse, uerum etiam liberos utriusque sexus procreasse: id quo'd etiam sensus ostendit: cum testiculus in ima parte scroti, seu bursæ ad tactũ sanus appareat, nõ enim tãgẽdo ipsũ affectus aliquis ægritudinalis deprehenditur. Igitur studẽdum est in hac operatione, ut nullo pacto testiculo noceamus. At si aliqua pars uicina corrupta fuerit, ut ex scriptis dubitare uidetur, qualiscunque fuerit illa abscindatur, etiam si testiculus esset. Quoniam frustra in aliis laboraretur. Et quoniam quæsitum fuit de cura eminentiæ umbilici, atque inguinis sic respondere oportet, quo'd cum cura umbilici cum uulnerum uentris conuenit, nam umbilici eminentiæ inguinis etiam cura est, ad

eundem scilicet modum, ut fit in uulneribus uentris, cum incisione peritonæi, nam facta in primis cutis superioris incisione suere oportet rupturam, qua'm cruentam circa labia interiora in primis facere operæpretium est, & eo modo suere oportet, sicut uulnera iam dicta, uidelicet accipiendo in una parte mirach cum peritonæo, & dimittendo peritonæũ in alia hunc modum suendi uide in libello meo iam dicto de sectione corporis humani. Potest etiam eminentia umbilici, & inguinis cauterio sanari, sed in adultis, neutra conducit illarum curatio & in quacunq; ætate, talis operatio facta fuerit, non sine maximo fiet discrimine. Hæc igitur satis sint, quæ ad curam propositi casus pertinét. Nunc ad dubiorum, atq; interrogationũ solutionem accedam. Primo in descensu intestinorum, uel omenti uel humoralis materiæ ad oscheum, uel ad scrotum animaduertédũ est, an peritonæum, siue sifach tãtum ruptum sit, an etiam tantum didymus dilatatus sit, uel simul, & didymus relaxatus sit, & peritonæũ ruptum. Quo'd si scissum sit peritonæum, & omentum, aut intestinum aliquod, aut materia humoralis descenderit, non ad substantiam testiculi descédit, ita ut ipsam immediate tangat, sed ad scrotum descendit inter oscheum, quo'd est ex substantia peritonæi cooperiétis testiculum, & inter cutem exteriorem, qua'm scrotum uocant. Et sic siquis incideret cutem exteriorem bursam scilicet testiculorum, illico apparet id, quo'd descendit, & est causa tumoris, siue illud omẽtum sit, siue intestinum, aut aliud, ita ut oculis uideri, & manu tangi possit. At si materia humoralis fuerit, illa continue extra flueret. Hic notabis ex sciẽtia incisionis, qu'od præter cutem ubi non est pinguedo, una' cum cute incidere oportet panniculum carnosum, siue totius corporis inuolucrum quæ est pars corporis antiquis ignota, mea tamen diligentia in præsentia omnibus in sectionibus exercitatis notissima. At si sine peritonæi ruptura didymi relaxatio fuerit, quæ descendẽt, ad testiculi substãtiam ut descédent, ita & ipsum testiculum tangent, sine medio, siue fuerit omentum, siue intestinum, siue alia humoralis materia, cum dilatato didymo, quæ descédũt, in oscheũ descédet, quod oscheũ esse testiculi coopertorium dicitur. Fieri tamen potest, ut humor subtilis, uia resudationis (ut aiunt) ab oscheo ad scrotum ueniat, ita ut incisa

cute exterius humor egrediatur. Si uero & ruptura sifaci, & di- dymi dilatatio simul fuerint, poterunt membra iã dicta, & hu- mores & ad unam, & ad alteram partem descendere. Quærit deinde uir doctissimus nũquid in rupturis in quibus scrotum durius tractu temporis factum fuerit, Medicus studens sanare hunc affectum per incisionem, una cum ipsa indurata cute, te- sticulum etiam amouere debeat, nec ne, & carpit curam Ale- xandri Benedicti. Dico, (quicquid dixerit Alexãder uir alioqui doctissimus: non est autem meum taxare mortuos) quòd, ut superius dixi, non debet Medicus in similibus agere, nisi quan- tum ad amotionem rei præter naturam, sine spe, ut rectificari posit, facit. Quare ubi fuerit apostema insanabile, aut ulcus, aut corruptio in ipso testiculo una cum cute destituta à calo- ris naturalis regimine, testiculum necessariò amouere opor- tet. Quòd si nihil ex dictis fuerit, sola cutis amouẽda est. Quę uero tertio loco in dubium mouet doctor, scilicet, an Ramex, quæ ex aquæ descensu ad testiculorum bursam fit, posit ad hi- dropis speciem referri: dico uerum esse, cum ex nomenclatura, nihil aliud significare posit, & etiã ex materiali causa, siue con iuncta (ut Medici dicunt) quòd si, an ex eadem efficienti cau sa fiat, quæsitum sit, respondeo, quòd, & si ex dictis à Galeno. xiiii. methodi manifestum sit, non desunt tamen rationes, quæ sine iocinoris noxa, aqueam materiam aliquando in scrotum colligi, probare posint, cum uia resudationis per meatus ab in testinis, & aliis locis, præsertim ubi cibi humidi comesti sint, facilè fit, materiam posse descendere, & ibi sensim colligi. Quæ materia qualiscumque fuerit causa generationis, in cauam par tem uentris resudans per meatus colligi potest, & ad ipsam te- sticulorum bursam ultimò descendere. Sed cum quæritur, un- de est, quòd magis dolebat in huiusmodi tumore, cum tumor longè minor erat, quam in præsentia fit. (Refert enim, quòd dum ad oui quantitatem fuit, maximi & acuti fuerũt dolores. Nunc uero cum iam capitis hominis magnitudinem superet, minores, & mitiores sine comparatione sunt dolores, ita ut fe rè sine dolore sit.) Ad hoc dimissis quæstionibus, an mala tem peratura tantum, an sola, continui solutio, an utrunque simul, quòd magis ueritati consonum est, sit causa doloris, quæ cau- sæ, qualescunq; fuerint, si causas dolorum considerabimus, nõ

alio modo faciunt dolores, quam dum agunt & (ut dicunt) cũ sunt in fieri, in facto autem esse non est dolor, testimonio Galeni in libello de inæquali temperatura, & passim in aliis libris. Igitur cum in primis illis diebus materia, quæ descendebat, cõplexionem membri mutabat, quæ non erat similis suæ complexioni, dolorem faciebat. Nam mala temperies habet maiorẽ uim in faciendo dolorem, quàm solutio continui, quòd non negant illustres antiqui. Quare cum huiusmodi materia ex toto particulæ temperaturam mutauit, remissa est qualitas dolorosa, quæ à mala complexione causabatur, remanet dolor ille, qui à solutione continui causari potest, quòd si qua materia continuè descendit ad affectum locum (ut patet per loci augmentũ) illa similis in temperamento loco affecto est, aut non multum distans. Quare & si in præsentia tumor maior sit, cum non sit actio materiæ descendentis ob similitudinem, & iam etiam separatio continui in fieri minima est, minor & minimus dolor est. Postremo quærit, cur est, quòd in affectibus scroti adultorum, qui affectus ortum à teneris annis habuerunt, testiculus ille, qui male se habet aliquando imminuitur, ita ut ad quantitatem fabæ, auellanæ nucis, ac minorem deueniat, & etiam sursum ad uentrem trahatur, sanus uero ad oui quantitatem augeatur. huic quæsito, & si plurimæ responsiones accommodari possunt, attamen una mihi in præsentia satisfacere uidetur, quoniam, cum testiculus tractu temporis, malè affectus ex natiua tẽperatura mutatus, nõ possit nutrimentum secundum exigentiam attrahere, atq; in uiis propinquis obstructiones quædam coarctatiuæ fiant ex nutrimẽti defectu, sequitur nutrimenti defectus, ac per consequens membri exiccatio & imminutio. quæ exiccatio cum non tantum sit in testiculo, sed etiam in suspensorio suo, quod exiccatum contrahitur, uel conuelitur in se, sicq; sursum trahit testiculum, & ita, quoniam nutrimeutum nõ atrahitur, exiccatur, tam testiculus, quàm suspensorium ipsius. Alius uero testiculus cum propriam habeat, temperaturam attrahit nutrimentum à natura paratum pro ambobus sicq; augetur ad maiorem quantitatem, ita ut possit ad oui quantitatem aliquando uenire. Causæ uero cur membrum aliquod non nutriatur, possunt etiam plures aliæ esse, ut puta si uiæ per quas nutrimẽtum

tum transit, malæ affectę sint, & hoc aut in temperatura, uel in plasmatione, uel in figura, uel in uia, ita ut minime nutrimentum transire possit, non enim ex defectu nutrimenti potuit casus dictus fieri, quoniam consimilem affectum in altero testiculo fecisset. Igitur fuit à mala tẽperatura, à qua secutæ sũt aliæ causæ, scilicet defectus uiis ducẽtibus nutrimẽtũ. Hæc sũt, quæ pro temporis breuitate in casu, & quæstionibus ad te scribere uolui, ut Excellentissimo Domino Ioanni Dryandro aliqua ex parte satisfacere possis. At quoniam uir egregius petit, ut quos de cura horum affectuum scriptores legerim, eos indicare sibi uelim. Et si minime credam eum auctores non omnes in hac materia scribentes legisse. Attamen, ut Viro doctissimo morem geram, quosdam (quos me legisse memini,) tum Græcos in primis, tum Arabes, tum etiam Latinos illustres, in calce indicabo, inter quos multa ex Hypocratis dictis in libello de officio Medici uulnerarii, & in aliis, qui sequuntur libris, & præsertim ex comentariis Galeni in eos libellos sumi possunt. Scripsit etiam Galenus. xiiii. methodi modum curandi hos affectus per incisionem, qua in parte fatetur scripsisse modum huius operationis in iam dictis libris, quos de Chirurgia uocat. Paulus quoq; per belle de cura omnium dictorum affectuum scripsit. Aetius etiam inter Græcos illustris de hac re scripsit. Non desunt præterea scripta doctissimorum arabum, ut Principis Auicennæ, Aliabatis, Auenzor, & Albucasis uirorum doctrina præclarorum. Qui diligentissime rem docent. Sunt & latini præstantissimi Medici qui pulcherrime de cura horum affectuum scripserunt: ut est Gẽtilis subtilissimus Auicennæ expositor. Ioannæ mattheus de gradis super. xxii. fen tertii canonis Auuicennæ, Guilielmus de saciletо. Guido de cauliaco, Petrus de Argilata, & Nicolaus Florentinus: Qui omnia ab aliis in unum congessit. Sunt & alii quamplurimi, tum antiqui, tum etiam moderni: quos breuitati studens dimitto. Satis igitur erit hos meliores ostendisse. Etenim si omnes qui de re medica scripserunt, tam antiquos, quàm modernos hic scribere uelim, tediosa esset oratio: præsertim cum bibliopolæ omnes eos semper in promptu habeãt. Reliquum esset respondere ad ea quæ uir excellẽtissimus ad te de utero, & uulua scripsit. At quoniam febre detentus non po-

tui dryandri literas examinare,satis erit in præsentia ualitudi-
nario:si hoc unum tibi dixero,scilicet me minime legisse anti-
quos,aut modernos, qui foramina duo illa in extremo uuluæ
mulieris uiderint.Nam ut scis mortuas quamplurimas mulie-
res secui,ut uteri & sibi annexarum partium naturam,& ope-
rationes cognoscerem.Attamen foramina illa in uuluæ extre-
mo (ut ipse dixit) minime me uidisse fateor. Quo'd si uir dili-
gentissimus in uiuentibus mulieribus hoc sæpissime uidisse af
firmat,cum plurimas mulieres tractare i eorum secretioribus
locis sibi contigisset(tametsi hoc ad rem medicam parum ,aut
nihil faciat,speculationis tamen gratia,ut secreta mirabilis na
turæ aperiātur) gratiæ illi agendæ uidirentur, quo'd tam co-
mis se mulieribus ostenderit,ut secreta loca, tam solerter per-
scrutari tanta diligentia ipsi concesserint. At si iam dicta fora-
mina semel aut aliquoties se uidisse (& non in omnibus dicat:
mostrosum aliquid uidisse ipsum dixerim). Etenim ī mortuis,
ut dixi hoc minime uideri potest,& uiuentes mulieres nolunt
omnibus fœtida loca (generationi quanquam necessaria) ostē
dere. De hac re cum ualetudo,& corporis,& animi melior fue
rit scribam. Vale. Venetiis Die.XII.Aprilis. M.D.XXXXII.

AD REVERENDVM DOMINVM Lucam Bonfium,Epistola.XXIIII.De ulcere in intestino recto.



ON Possum quicquam tibi Riuerendissime Do-
mine negare ob tuarum uirtutum, singularitatē,
atq; etiam propter tuum in me amorem. Quare
rogas quod ut de modo procedendi, in hac decli-
natione tui morbi, postquam Patauium petiisti
allectus,tum domus propriæ comoditate, tum eius aeris nati
ui optimi probitate,tum etiam aliis multis non hic recensen-
dis causis,aliquid scribere uelim:id libenter hac epistola faciā.
Et ut de more ordinate procedam ægritudo præsens est ulcus
in extremitate intestini recti,in latere sinistro prope' musculū
sphyncteris declinans tamē uersus natem,quo'd ulcus profun
dum est,fistulosum,& calidum,cum sanie non omnino lauda-

bili,sed subtili,& cum aliquo dolore,si quis id extra tangat: & in tactu percipitur durities, siue callositas manifesta uergens (ut dixi) uersus natem sinistram. Sanies uero, quæ egreditur notabilis quantitatis est,a' qua potest sumi indicium, sinum etiam esse notabilis magnitudinis Etenim sæpe uidi sanié una uice exeuntem ad maiorem quantitatem,qua'm sit quantitas contenta in ouo gallinaceo,uidelicet uitellus,& albumen. Causas uero ipsius iam dicti ulceris tametsi in præsentia non sint ipse amouendæ,nihilominus utiliter recensebo. Etenim (ut a' tua dominatione audiui) euidens,siue primitiua (ut aiunt Medici) illa fuit,quo'd cum gratia leniendi uentrem,eo' quod nõ bene se haberet, minister quidam clysterem imponeret, per imprudentiam cum cuspide canule clysteris laceratum fuit intus intestinum laceratione dolorosa cum multo exitu sanguinis unde ex dolore,& ex corporis repletione secutũ est apostema magnũ, siue abscessus,cũ febre maxima a' qua febre p quadraginta dies,& amplius tua dominatio detenta fuit tamen cõsilio Medicorum,qui tunc medelam præstabant, a' principio apostema fuit ruptum intrinsice',sicq; ex ruptura ad ulcerationem deuentum est,quo'd quidem ulcus in præsentia cauum, fistulosum (& calidum ut dixi) est,cunq; non posit tua dominatio,neq; a' febre,neq; ab ulcere,ab illis qui medelam præstabant,liberari,& ego uocatus circa quadragesimum diem, & ulcus,& febrem adhuc affligentem notassem,una' cum ipsis Medicis adhibito ordine quodam in regimine, & potione, febris recessit,unde & tua dominatio, & tota domus me uerum Medicum esse dicebant. Sed quoniam ulcus etiam in præsentia te aliquo modo cum mitioribus tamen accidétibus infestat ideo in hac declinatione,quæ necessaria sunt, & canonice' fieri debent,sic scribere statui,prius tamen superius dicta nõ sine utilitate uolui enarrare,ut ab essentia morbi ex doctrina Galeni, regimen curatiuum sumendi ansam habeamus. Sit igitur regimen in rebus nobis necessariis tale, uidelicet aer sit temperatus,& quoniam febris non amplius te notabiliter molestat, declinet regimen potius ad siccitatem, qua'm ad humiditatem. Cibus,& potus prætere a sit eiusdem qualitatis, uidelicet ad siccitatem aliquam declinantes. Panis sit igitur bene fermentatus,mediocriter salitus,& coctus. Carnes sint iuuenes, ex ani-

malibus,quæ non sunt multum humida,& caro hedina pullorũ magnorũ oua uero:& si non siccitatis participent,illa sorbilia possunt canonice sumi,quoniam tantum nutriunt, quantũ ponderant,& ideo sunt non habentia superfluitates ex sententia Auerrois in canticis.Similiter & perdices, & aliæ aues nemorales sunt optimæ. Et fercula sint etiam talia, ut est far,& oua confusa in brodio carnis,cum paulo succi uuæ acerbæ, sed olera omnia,quoniá humida sunt actu,nõ sunt bona. Similiter & fructus.Vinum præterea sit pauciferũ,boni saporis, & odoris non dulcæ,neq; acre,sed mediocre,quo'd si uinosum fuerit lymphetur,aqua in qua aliquantulum rosacei zuccari sit decoctum.Quantitas cibariorum sit secundum indigentiam, & uicinitatem consuetudinis,quoniam ab eo quo'd cõsuetum est, non fit passio,immo sæpe iuuamur.Similiter de quantitate potus dico.Qui tamen potus sit proportionatus quantitati cibariorũ.Horæ uero cibādi sint horæ,aut magis cõsuetæ,aut post completam digestionem,in qua solet appetitus naturalis insurgere,& hoc est,quo'd dicebat Princeps Auicenna. Quo'd tũc est hora comedendi,cum appetitus insurgit &c. Fugienda est repletio,& etiam inedia,siue inanitio,quoniam ambo nocent. Nam tolerare famẽ implet stomachum malis, & putridis humoribus dicebat Auicenna·Dormire multum confert:quoniã somnus naturam corroborat intrinsecam. Quare sequuntur meliores,& incoluniores operationes: sed sit horis debitis, & in quantitate etiam debita. Nam dormiat i nocte, idque pòst cœnam saltem per duas horas,sitq; per spacium octo horarum longus,& non transcendat decem,non sit tamen minor quàm sex horarum: neque sit diurnus, aùt meridianis horis, quoniam multum nocet, & humectat corpus, & sic contrarium erit ulceri a' quo sermo ortus est,uigiliæ exiccant quidẽ tamen,quia nimiæ uigiliæ magnoperæ nocent,ideo tutius est dimittere uigilias,& temperate' dormire. Et quoniam maior pars sanitatis fit temperato exercitio:& quies corpus hebetat. ideo hic caute' agdẽum est,quoniam etsi exercitium cõferat: excitando calorem, tamen nocet motus, & corporis humores prouocat ad locum declinem,& debilem,& ideo loco exercitii fiãt quotidiane fricationes ante cibum,cruribus i primis, & brachiis,deide cæteris corporis partibus quod si animi cau

sa

si deambulare uoluerit tua præstātia leuis sit deambulatio ante cibum, uel sit uehitio leuis i curriculo in loco plano, aut uectio in cymba, quæ species leuissimi exercitii est, laudat etiam ludis tabularum, & alıis, in quibus brachia exercētur. Et denique sciēdum est, quo'd nimia quies corpus infrigidat, & cum anima operetur calore, nō erit sine noxa notabili. Animus sit lætus cum amicis i locis amenis, ut sunt uiridaria, & sint soni, cantus, & cōfabulationes lætæ, & etiam cum Matronis pulchris, honestis tamē: quoniam uenereum usum secundum Epicurum, dicebat Galenus salubrem non esse, maxime, cum corpus conualescens est, confert tamē in aliquibus, qui sunt repleti. Hæc de regimine dicta satis, & ad medicinalia descēdam. Et quoniam quæ relinquuntur in febribus, & maxime diuturnis, solent sæpe ad partes exteriores, & ignobiliores trāsmitti, causare'q; diuersas ægritudines, aut malas dispositiones, ut sunt dolores, apostemata, & multæ cutaneæ ifectiones: hic est, quo'd non sine ratione posset quis tuæ dominationi persuadere, ut sæpius pharmacum sumas debile ad euacuandas has superfluitates derelictas ab ipso morbo, ne tales superfluitates tranmissæ ex intentione naturæ ad ulcus, foueant ipsum, & sic prorogetur sanatio ipsius, quæ res mihi etiam summoperæ placeret, nisi & ratio, & Galeni autoritas libro. De arte curatiua obstarent. Nam dicebat Galenus quo'd oportet ad contraria diuertere, neq; ad ægritudinis locum adducere, quoniam ex tali modo euacuationis augebitur malitia ulceris. Quare quantum fieri potest, fugiendæ sunt medicinæ educētes superfluitates corporis, per inferiora, quoniam nocet ulceri, ducendo tales superfluitates eo. Quod si aliq̄ euacuatio est necessaria, illa fiat (si facilis est uomitus) per uomitum, quoniam attento anni tempore, & etiā modo ægritudinis uniuersalis, quæ febris fuit de genere cholericarum, poterit plurimum conferre, & minime nocere. Quo'd si is non est facilis, & corpus egeat omnino aliqua euacuatione, cum simus in uerre, phlobotomia euentatiua (ut aiunt) mihi non displiceret, tametsi sexagenarius sit. Quo'd si timetur: dixit Auerrois. vii. colliget, & Galenus. iiii. Aphor. abstinentia cibi totum corpus æqualiter purgare. Quare abstineat a' multo cibo, & erit loco leuis euacuationis. Ducere etiā ad uias urinæ non erit absque utilitate, & exercitium esset con

ueniens consumendo superfluitates:nisi ulcus esset in sede,si/ue in loco intestini.Quare fiat frictiones:mane,et sero,quæ di uertent superfluitates,& proderunt ulceri.Sed , quoniam reu/barbarũ confortando mẽbra intrinseca euacuat: ideo si aliqua necessitas cogat per inferiora euacuare,non est dimittẽda reu barbari assumptio,uel infusi,uel etiam in substantia (ut aiũt) hoc tamen fiat intermisso tempore:ne ex deriuatione super/fluitatum ad ulcus maior fiat sanandi difficultas. Sed hoc stan/te regimine curæ particularis ulceris attendendum est, quo'd per localia fieri debet.In primis autem cum ulcus habeat orifi/cium intrinsecum , ideo ne fieret maior dilaceratio, si cum in/strumento ipsum inuestigare uoluissem, atq; etiam quoniam sanies cõtinuo post applicationem abstersiui cuiusdam ex de/coctione hordei,& mellis,melior facta est,& in minori quan/titate exiit,dolorq; remissus est,& durities diminuta,abstinui ab huiuscemodi inspectione,& persequẽs dictam lotionẽ,una' cum applicatione unguenti diachilon parui admixti,cum ter/tia parte medulle uituli super duritiem exteriorem, uiso iuua/mento,fui contentus. Sed cum iam tua dominatio illuc acces/sit,& ulcus iam egeat maiori exiccatione. Ideo postquam qui tuæ dominationi inseruit,uiderit duritiem dissolutam, saniem que diminutam magisq; cõdensatam(cum æqualitate tamen) optimum erit per syringam imponere decoctionem rosarum, centaureæ,cimarũ rubi,hordei,& mellis in uino stiptico,quo/niam abluendo,& cum exiccatione abstergendo sic procurabi tur consolidatio. Et ne quis me dimisisse aliquod necessarium putet,cum dixerim ulcus sinuosum , siue cauernosum fuisse, quo'd eget carnis regeneratione,animaduertant, quo'd sinus non fuit ex deperditione carnis, sed ex relaxatione particulæ ubi recepta fuit materia apostemans, & cum iam appareant partes inter se coalescere ex signis iam dictis,hinc est quo'd suf ficit sola, mea quidem sententia , hæc ultima intentio, neq; ad fortiora exiccãtia ascenderẽ ex præceptis Galeni ,tametsi Princeps Auicẽna ausus fuerit etiã ad fortiora deuenire,ut est erugo æris,& alia fortiora medicamina, quale autem medica/men exterius,quãdo decoctio uini iam dicta administrabitur ponendum sit,ut una' sit intentio in omnibus iam dictis.acci/perem ego unguentum de pelle arietina usuale quod etiam ap/

positum fuit, & illud optimum erit, quoniam in ipso sunt ea quæ faciunt, & ad partium coitu, & ad domesticam exiccationem attenta loci complexione, & reliquis. Hæc Reuerende domine pro tua dispositione in præsentia annotasse satis esse pro rei necessitate putaui, tametsi pro tua non solū inter bonarū literarum cultores mira ingenii promptitudine, & acrimonia, uerum etiam ob eximias, innumerabilesq; alias animi, & corporis dotes, plura, & elegātiora scribere debuissem; cuius rei ueniam me facile consecuturum esse spero: cum ipse pro tua prudētia uideris uerborum ornatum multo minorem esse rerum dignitate ac etiam si simul urbis nostræ, & mei rationem perpenderis. Deus Optimus Maximus, a quo omnia bona prodeunt, sanitatem & uitæ diuturnitatem concedere tibi dignetur. Venetiis. Die. XX. Settembris. M. D. XXX.

AD APOLLONIVM MASSAM.

Epistola. XXV. De superfœtatione.



SCRIBAM Nunc ad te rem, quā pollicitus sum per eas literas, quibus duabus Epistolis uno tempore acceptis respondi, tametsi (ut arbitror) res non sine maxima difficultate exponi potest, cum si antiquos inspicere uoluero, paucula quædam, uel non ex omni parte clara scripserint. Quare non solum ea quæ Aristoteles eminentissimus, ac etiam Hippocrates, Galenus, Princeps Auicenna, & alii sapientes scripserunt, enarrare cōstitui: uerum etiam, & meam in hac re scitu dignam sententiam addere profiteor, ut ab homine occupatissimo fieri poterit. Scripsisti igitur excellentissimum Doctorem D. Ioannem Triandrum petiise a te superfœtatio in muliere, qua ratione fieri possit, cum ex Galeni, & aliorum illustrium doctorum sententia, ac ex meis in libello de sectione corporis humani dictis, uteri os post receptum semen prolificum claudatur, ita ut neq; acumen acus ingredi possit. Res profecto sapienti, & studioso non mira est, si ea quæ Aristotiles. iiii. de animaliū generatione scripsit, audire uoluerit. Cæterum homo ideo per fœcundum animal est, quoniam in utero spatium aliquod

habet,ut præter unum,alios etiam fœtus gestare possit,ac etiã nutrimentum,ut plures alat,ei præsens sit. Quæ cum natura sagax ac prouida,& ad conseruationem speciei in quantum fieri potest semper intenta cognoscat, etiam post imprægnationem,in muliere coitum admittit,quod si & equis,& leporibus hoc commune sit, non eandem rationem habent, Cum equa hoc ex partium ipsius uuluæ soliditate, & naturæ ipsius caliditate,quæ eam ad libidinem stimulat,detento in ipsis uenis sanguine feruenti contraxerit. Non enim equa menstruas habet expurgationes sanguinis,ut mulier. Lepori uero quoniam hirsutum animal multique excrementi est,ita ut cum ipsis excrementis,etiam plurimum semen generet,superfœtatio accidit,genitalibus ad libidinem seminis multitudine stimulatis. Nam cum hirsuta omnia animalia à caliditate ad libidinem stimulentur:Lepus ista ratione scilicet seminis abundantia,& caliditate superfœtat, non tamen secundum fœtum nutrire potest.Neq; leporem non calidum animal esse quis dicere potest,cum uelocissimum ac agile sit. Mulier uero, tametsi calidum animal sit,habet menstruas sanguinis purgationes,& uulnam laxiorem,& minime solidam,si equarum uuluas ĩspicias. Quare diuerse libidinis appetentiæ causas assignabis. Ex quibus colligere pulcherrimum erit superfœtationem in muliere ex loci uteri congruitate. Etenim ex Prophyrii sententia, locus necessarius est in generatione, quemadmodum pater, & etiam ex alimenti copia,quod plures fœtus nutrire possit,cum calidum animal sit. Studet enim natura mulierem ad libidinẽ promouere pro conseruatione speciei in procreatione indiuiduorum,& ratione in primis,caliditatis scilicet, eas mulieres ad superfœtationem paratiores esse dices, quæ calidiores, ac solidiores sunt,quemadmodum illæ, quæ cum sanguinea temperatura choleram permixtam habent. Hæ uero partes exteriores genitalibus propinquas calidas, ac solidas multis pilis abundantes habent,unà cum abundantia seminis,siue sit mẽstruus ille sanguis, ut Aristoteli placuit, quòd minime credere possum, cum uterus manifestos testiculos habeat internos,& uasa seminaria ab eisdem locis orta,quemadmodum in uiro. Nam sanguis menstruus pro maiori parte excrementum sanguinis est, neq; per ea uasa, quæ seminari dicuntur ad lo-

cos

cos defertur sed per alia, ut ex incisionis scientia habetur: siue sit semẽ prolificum (ut Galenus dixit.) Adde etiam muliere si illas superfœtationes facilius habere, quæ in utero spacium ali quod etiam post conceptionem habent, & sanguinis euacua/tionẽ, minus aptæ sunt superfœtationi. Sed id quod d magis uos ambiguos tenet, est uteri constrictio, quæ semen minime in ipsam prohicere permittit, si ad quæstiones initium inspi/cio, sed neq; hoc difficultatem nobis indissolubilem affert. Cũ teste Aristotele, Galeno, Auicenna & quotidiana experientia, mulieres quam plurimæ robustæ prægnantes euacuationem sanguinis menstrui habeant, post quam euacuationem ex loci spacio aptiores ad superfœtationem sunt, quæ euacuatio in ro bustis mulieribus fit, quoniam nutrimentum superfluit, ita ut fœtus minime ipso egeat, & ea potissima ratione superfœtant, & secundum etiam fœtum nutriunt. ad istam autem intentio nem concurrit fortitudo membri genitalis in omnibus natu/ralibus potentiis, scilicet in attractione, retentione, concoctio ne, & expulsione. Quare etsi superabundans nutrimentum ex/trapellatur expulsiua uenarum suo tempore operante, non ta/men id quod in utero est nondum expulsioni paratum expelle re ualet. Similiter (cõtrario tamẽ modo fit) ex uteri robore, & naturæ ad prolem procreandam propensione, ut tempore coi/tus grauida etiam existẽte muliere os uteri aperiatur, dum ex confricatione uterus descendit, ita ut semen suscipere possit, ac subinde sine temporis intermissione clauditur, post seminis receptionem corrugato utero, cum uterus eo delectetur, faci/le fieri potest. Huiusmodi mulieres sunt, ut dixit Princeps Aui cenna. xxi. tertii cap. decimo septimo, carnosæ, calidæ, & pin/gues, ut est castigatione ab Andrea Belunense est uidere. Nam hæ mulieres solida habent membra, ac minime laxa, sunt enim sanguineæ temperaturæ, cum cholerae permixtio ne. Quare & plurimos (ut dixi) pilos circa genitalia habent, qui ex materia excrementi fumosi a caliditate excitati fiunt. Accidit & aliquando ad hoc desiderium libidinis ex membri caliditate, quæ causa non aliena a supra dictis est. Nunquid uero fœtus plures numero, plures etiam cellulas (ut plurimi in hac re ignari moderni scripserunt) postulent, turpis ac lu/dibriosa quæstio est, semper uterum sensata sectionis cogni/

tione unam tantum cauitatem habere uidisti, ac ex sapiētum sententia me sæpe dixisse, te memoré esse credo plures fœtus gigni, uel diuiso in utero primario semine, aut superfœtatione. Multa equidem alia ad huiusmodi negotii intellectum utilia scribere possem: quæ quoniam in recognitione libelli de febre pestilentiali, ac ægrorum curationibus obruor, ut ad illa minime tempus supersit, dimittam: ac ea ad aliud fauēte Domino, tempus differre proposui. Vale. Venetiis. M. D. XXXX. Die. XII. Iulii.

AD DOCTISSIMVM DOMINVM Vincentium Ricium Illustrisſimi Dominii Veneti a' secretis. Epistola. XXVI. De balneis calderianis.



PETIS Doctissime Vincenti, qui etiam iure, & merito compellere potes, ut ad te quid de balneis calderianis sentiam, a' quibus nuperrime discessisti, ac patauium te contulisti, scribere uelim, cum te plurima ab incolis de eorum operationibus audisse p literas tuas declares, quæ quoniā non ex omni parte rationi cōsona sunt, nō parū te suspensum tenēt. Ego uero tametsi rem difficilem literis mandare rogas (ut pote de qua illustres antiqui Medici) nihil traditum in suis scriptis relinquerint, ut tibi nihilominus morem geram, & aliqua ex parte satis faciam: rem ipsam tumultuario stylo negotiis non paucis impeditus, sic exordiar. Balnea Gauderiana, siue ut uulgo dicitur calderiana, scatent in uico Gauderii in agro Veronēsi per decem fere' millia passuum ab urbe remoto orientem uersus, ad radices quorundam monticulorum, qui admodum ameni, & iocundi existunt, & ut uidisti duo sunt loca, ubi scatent aquæ balnea facientes, alter locus est qui in teatri modum muro cū gradibus cinctus est, a' quo loco bibentes sumunt aquam. Alter uero apertus, & nullo munimento septus, in quem ingrediuntur qui lauatione indigent. Distat autem alter ab altero, quantum quis lapidem manu iacere potest, plus minusue' parū, fundus quorū arenosus est, quæ arena rubiginosa uidetur,

a qua non continue, nec in uno loco, sed in pluribus frigida uel potius tepida scatet, quæ clara admodum est, & in sapore non excedés, cum nec dulcis, nec amara sit, attamen aliquid salsedinis leuis ostendere uidetur, quod si quid præter id quod dictum est in ea ad notetur ad sulfuris odorem & qualitatem referi potest. Est igitur aqua hæc mineralis clara, (non manifeste calida) scaturiens ab arena, sapor cuius non dulcis nec salsus admodum, aut amarus existit, sed medius cũ aliqua sulfuris admixtione, atq; gustui lmoso sensui. Minera uero, a qua uel super quam transit, & fluit ferrea proculdubio in maiori parte est, quæ non caret modico quid sulfuris & nitri. Quod autem minera & loca per quæ transit, & moratur ferrea existat, testãtur rubigo in ipsa arena, & lapilli rubiginosi commixti, ac etiã experientia per ebulitionem facta, etenim post ebulitionem dictæ aquæ resider pars erug ni ferri ĩ omnibus similis. Est ẽt ad hoc confirmandum, id quod incole dicunt, uidelicet sæpissime reperiri frustula ferri cum arena commixta, sed sulfureã illam, & nitrosam qualitatem, quã m dixi etiam esse in ipsa facile cognoscere poterimus per odorem, & gustum in ebulitione forti ipsius, nam exalatio odorem sulfuris aliquem ostẽdit, & siquis eam gustauerit leuem aliquem salis saporem sentit. Cum igitur aqua sit, & transeat super minerã ferream, non priuatam sulfuribus, & nitrosis partibus, nemo sane est principia rerum naturam constantium recte intelligens, qui secus dicere recte possit, quamquod hæc aqua in primis frigida sit: & hoc quoniam, aqua est, & etiam quoniam per loca ferrea transiuit, & ibi morata est. Præterea hæc aqua non pura elementaris, sed corpus aqueum est quod etiam cæterorum elementorum aliquid, & substantiæ, & uirtutis continet: ex quo fit, ut præter quamquod frigida ex sui natura in primis sit, etiam ex mora, & transitus loci ferrei, sulfurei, & nitrosi, insignem satis siccitatem acquisierit, habet quoq; ex eadem minorali parte sulfurea, & nitrosa caliditatem satis moderatam, & humiditatem ex propria aquæ substantia. Neq; hoc fieri non posse te credere uelim, cum alia mixta corpora quamplurima diuersas has qualitates contineant, ita ut una, & eadẽ res p diuersas partes & calfacere, & refrigerare, humectare, & exsiccare ualeat, quẽadmodum uidere est exempli causa, in semine psilii quod se-

men compositum est ex diuersis partibus, scilicet calidis, & frigidis, quæ separari possunt. Etenim pars quę calida, & sicca existit in eo semine est substantia intrinseca medularis. Pars uero exterior, cortes scilicet, frigida, & humida est. Sunt & plura alia quæ diuersitatem in partibus, tam in substantia, qua'm in qualitatibus habēt (ut est uidere in lacte) neq; desunt res quæ diuersas partes habent quæ minime separari possunt, ut testatus est Galenus de aceto, & aliis. Quare cum hæc clare pateát, in eis nō plurimum laborabo. Neq; credendum est hanc aquā habere has diuersitates congenitas, uel ex sui substantiæ natura, sed (ut dictum est) acquisitas ex transitu, & mora in loco calido, & sicco, & ex permixtione alterius rei in loco minere existentis. Sicq; per se primo aqua humida, & frigida est quemadmodū omnes aquæ naturales, & sine permixtione sunt. Quo'd si aliam, uel alias qualitates contrahunt, ex accidenti, & ab extrinseco illis adueniunt (ut dixit Aristoteles, & Auerois secundo Metheorum.) Etenim quicquid habēt aqua præter humiditatem, & frigiditatem, ex accidenti ei euenire necessum est. Quo'd uero aquæ calderianæ siccitatem ex accidenti aquisiuerint, facile' persuaderi potest, cum ex dictis loca per quæ trāseunt, & morantur, ferri naturam præseferant, ex rubigine, & frustulis ferri in eis repertis (ut dixi) quod si ad odorem sulfuris per ebulitionem exalantem, & ad saporem nitri spectes, nihil est quod in hac re dubites, nam tam sulfur, qua'm nitrū præter caliditatem etiam siccitatem insignem habent. Et quoniam partes, tam sulfuris, qua'm nitri in minera non omnino plurimæ sunt: Ideo minorē qualitatem calidam ab illis acquisiuit, neq; te ignorare credo, ea quæ Aristoteles, & Auerois loco citato de causa salsedinis maris a' sole ex corporibus cœlestibus dixerint, quæ quoniam huic aquæ non accidunt nolui ea narrare, satis enim est quod ex iam dicta mora, & transitu siccitatem plurimam, & moderatam caliditatem sibi accidisse uerisimile sit. Sed ex ferri plurima, & sulfuris, & nitri permixtione i minera minor, tametsi aqua in cauis terræ possit a' pluribus aliis causis (præterdictam) calefieri: ut puta ab exalatione alicuius uaporis calidi, & sicci ab ipsa terra euaporantis, & cū ipsa aqua permixti, uel ex motu uaporum, & uentorum cōcussione in cauus terræ, aut ex compressione caloris alicuius, uel a' ra

diis

diis solis impressa, uel a' frigiditate constipante illam, & detinente calorem, ut minime spirare possit, ita ut sic locus incalescat, & ea quoque quæ in eo continentur. Sed quicquid de aliis modis calfactionis sit. Equidem primum magis approbarem, uidelicet aquam transeuntem per locum ferreum cum sulfurea, & nitrosa portione aquirere siccitatem, & caliditatem accidentalem, per permixtionem uaporum a' minera eleuatorum, & cum aqua subinde permixtorum. Sicq; dicta aqua odorem sulfuris, & saporem nitri habet, ut ex dictis experimentis patuit. Et quanquam apud eminentissimos medicos nō desint difficultas de natura, & temperamento ferri, scilicet an sit calidæ, uel frigidæ temperaturæ respectu corporis humani, quod nil aliud querere est; qua'm an operatio uirtutis ferri possit corpus nostrum calfacere, uel refrigerare, non est propterea aliter credēdum (quam id quod paulo ante dixi) uidelicet ferrum habere temperaturam frigidam, & siccam primo, cū eius operationes idē atestentur, cuius opinionis fuit Doctissimus Auerois, & cum eo multi illustres modernorum. Ex dictis habemus aquam calderianam quoniam aqua est, primo refrigerare posse, & eo magis quia a' minera ferri roborata fuit, deinde exiccare, non tamen ex propria uirtute, sed per accidētalem & a' minera dicta ferri aquisitam siccitatem, ac etiam a' sulfurea, & nitrosa, a' quibus quoq; aquisiuit, ut possit modeste' calfacere, hoc est non supra humanum temperamentum, cum non plurimæ, tam sulfureæ, qua'm nitrosæ partes in tali minera sint. Et hac ratione aperit uias urinæ & sudorem aliquando mouet, atq; alios effectus leuis caliditatis operatur, præter id quod per primariam eius operationem moderate' refrigerat, & exquisite' exiccat, cum qua diuersa tēperatura, diuersas uirtutes, & operationes habet. Nam præter operationes a' dictis qualitatibus pluribus etiam morbosis dispositionibus usui est, exceptis quibusdam febribus, nam prodest omnibus morbis antiquatis, qui ex immodica caliditate fiunt, & illis etiam qui a' nimia humiditate a' colore imbecilli nō regulata, uel humori bilioso, aut salso permixta proueniunt. Et hac ratione prodest pruritibus, & scabiosis affectibus, atq; omnibus cutaneis infectionibus, & maculis in quacunq; parte corporis fuerint, ut sunt (gratia exempli) exantemata capitis diuersa, quæ uulgo

tineam nominant, & depilationes capillorum capitis, & aliorũ membrorum, ac etiam scabies, & lepræ, & aliæ infectiones cu tis corporis, ut est elephantiasis non confirmata. Prodest præ terea, uentriculo semper, sed maxime illi unice auxiliabitur cũ imbecillis fuerit ex nimia materia humida in eo contenta, & eius concoctricem uirtutem roborat. Item iocinori, & renibus super calfactis prodest, præparatq; humiditatem præternatu ram in ipsis membris contentam, & à corpore educit, tam per secessum, quàm per urinam. Prodest etiam ulceribus renum, & uesicæ, & sæpe ea sanat, sanatq; uisicæ scabiem, & mollifica tionem, atq; urinæ acredinem, & ardorem emulcet, & sæpe ex tinguit. Opitulatur etiã stilicidio urinæ, & insensibili exitui. Sistit etiam seminis genitalis fluxum, & matricis quoq; sangui nem, & alios cursus præsertim hemoi rhoidarum. Similiter, si immoderatus fuerit retinet, exiccat quoq; humiditates super fluentes in quacunq; parte corporis. Podagricis, & reliquis ar ticularibus morbis auxiliari dicunt. Sanat præterea ulcera co rosiua serpentia, & formicosa. Item capitis dolores, & etiam de stilationem tollit, lacrimas oculorum sistit, gingiuarum, & dẽ tium humiditates exiccat, confert quoq; anelosis, & asthamati cis tabefactis, & sanguinem à pectore expuentibus. Sanat sin gultum, nauseam & uomitum. Iocinoris caliditatem aufert, & eius imbecillitati opitulatur, & medetur fluxui antiquo hæpa tico. est præterea aliquando medicina conueniens cachesiæ, seu corporis malo habitu, & hydropi causa hepatis factæ, ob structiones omnes, tam lienis, quàm iocinoris, & uentriculi resignat, tumoresq; eorum extenuat, secessum ex diuersitate humorum rectificat, & urinam retẽtam ex primaria (ut dixi) sui uirtute educit, & eius uias aperit, Aremulas, lapillos, trum bos, & al as materias crassas, & pituitosas educit, atq; ne lapis in uesica gignatur prohibet, & præseruat, redditq; hominem in uenereis potentiorem. Vtero etiam imbecilli ex nimia hu miditate auxiliatur, si cum ea aqua calida lauetur, & impregna tioni confert si nimia illa humiditas eam prohibuerit, opitula turq; ut dixi, cursui matricis & menstruis albis, ac etiam inte stinorum morbis prodest, ita ut si debilia fuerint, ea roborat, & eorũ dolores mitigat, & uermibus est singularis medici na, si per clisterem intropolita fuerit. Quibus omnibus dispo

sitionibus dicta aqua succurrit, primo epota, deinde si morbus exigat membra affecta in ea lauando, ut paulo post dicam. Verum his qui morbo Gallico laborant, nullo modo, nec potus, nec lauatio ex usu est, nam semper, tam potus, quam lauacrum dictæ aquæ nocuit istis, non enim qualitates istius aquæ possunt materiam morbi Gallici ad benignum reducere, cum sint debiles respectu resistentiæ materiæ, imo est medicina fere contraria si omnia diligenter considerare uolueris. Possem quidem plurimas alias consimiles ægritudines, & præternaturam affectus enumerare, quibus tam potus, quam lauacrum dictæ aquæ proficiunt, quæ quoniã ex dictis facile intelligi possunt consulto prætermittã, ne nimia orationis longitudine sim tibi molestus, & etiam quoniam iis satis respondisse primæ parti tuarum literarum puto. Quod autem dicis, aut nullum, aut nimium beneficium ex potu, & lauatione in dictis aquis te sentire, non est quod mireris, etenim sic in multis fieri assolet, præsertim ubi cutaneæ defedationes, & crurium exulcerationes suborte sunt, quæ diu homines molestarunt, cum in eiusmodi affectibus, duo præcipue ad sanitatem requirantur, quorum prius est, ut membra intrinsica, & mandantia (ut ita dixerim, qualia sunt uentriculus, & iecur) rectificentur. Posterius uero ut partialia membra, ad quæ materiæ deriuatæ sunt, & non a calore regulate, roborentur, atque etiam ea quæ in membro materia detenta est, absumatur, quæ duæ operationes in extrinsecis membris non nisi per multos dies compleri possunt, ita ut sẽsibilis appareat exteriorum membrorum deffedationis rectificatio. Credo equidem intrinsicam causam amotam esse, atque uentriculum, & iecur ad pristinam rediisse ualetudinem, cum audiam melius te ad oblata cibaria habere, ac etiam ĩ uenereis potentiorem, quam antea factum esse, sed ea materia quæ in membris a calore natiuo longinquis, & debilibus (ob moram, & residentiam ipsius materiæ malæ) non potest breui tempore dissolui, ita ut membra omnino ab ipsa exonerata posfint ad primam ualetudinem, & robur deuenire. Nam ad hanc operationẽ requiritur calor inatus naturæ instrumentum intrinsecum, qui sensim per meatus ad ipsa ueniens illam ressoluat, quam proculdubio ressoluet, postea quam ab intrinsecis, quæ incolumia facta sunt non amplius recipient. Ex quibus habes

unde, seu qua ex causa dicant incolæ sæpe nõ percipi præsidiũ dictæ aquæ ab ægris, nisi post unũ aut alterum mensem. Quapropter hoc animo esse debes, ut expectes naturæ complemẽtum, quod procul omni dubio erit, neq; in contrarium aliquid uideo cum omnia quæ scribis diligenter & accurate examinare uoluero. Primum ut audio uentrem cassia fistulari expurgasti, mox aquam illam per plures dies bibisti, deinde te non semel sed pluries in ea lauasti, & tam cibum, quam potum modeste & parce sumpsisti, atq; regiminem aliarum rerum necessariarum optime moderasti, ita ut existimes si qua eleuatio facta sit, illam fuisse ex moderato regimine. Ego uero alleuiationem factam esse dixerim ex ambobus, uidelicet ex regimine quidẽ, Sed magis ex uirtute aquæ epotæ, quæ non solum eduxit per urinam, & secessum plurimas materias non regulatas à natura: uerum etiam membra intrinseca rectificando moderauit. Præterea cum etiam lauatione in dictis aquis per plures dies usus sis, ex illa membra exteriora plurimum roborata sunt, ex quo te meliuscule habere rationabile esse dixerim, ex aquæ usu magis, quàm ex regimine solo. Neq; hoc in te admirabile est, quoniam in multis aliis morbis ab ista aqua sanatis. Hoc idem uisum est, scilicet ut nõ potuerint, semel bibendo sanari, sed necessum fuit iterũ, atq; iterũ se ad hæc balnea conferre (cum ut aiunt) in magnis morbis semel sumpta aliquid prodest, non tamen ex toto sanat, postea uero si iterum sequẽti anno illam bibant, omnino optimam ualetudinem aquirunt. Et quidam fuerunt qui in cõsimilibus affectibus antiquatis potu illius aquæ, & lauatione per multos annos usi sunt. Qui mirificè, & optimè tádẽ sanitati restituti sunt. Porrò in huiusmodi usu aquæ tam bibendo, quàm lauãdo omnia à te obseruata fuere, ut uirtus, & dispositiones præternaturam postulabant, etenim sic illustres Medici in aliis, & consimilibus dispositionibus ægritunalibus facere præcipiunt, ita ut secundum diuersitatem patientis, & morbosi affectus diuersa diuersimodè administrari iubeant. Quæ omnia, tam de usu dictarum aquarum, quàm etiam de dispositionibus, quibus dictis aquis medẽtur, ut tibi satisfaciam sigilatim ordine quodam subscribam, atque ad rationalem usum redigam. Siquidem si quis ab aliquo ex superius dictis affectibus præternaturam ista aqua curari deside

rat, in primis antequam aquam istam bibat, si necessum fuerit eam bibere, uel ante ingressum balnei, si lauare i ea aqua oportuerit, operæprecium est aliquibus leuibus medicinis uetrem subducere, atq; superfluitates communes (ut aiunt Medici) euacuare. Vt gratia exempli si fuerit morbus in pectore, uel iocinore, uel renibus, uel uesica, fiat alui euacuatio cum cassia fistulari, aut cum simili leui medicina. Quo'd si lien patiatur euacuetur cum electuario lenitiuo, aut cum diasena, uel cum alia medicina sibi conuenienti. Similiter si uentriculus patiatur, utatur ad euacuãdum diacatolicone, cum hiera Galeni, & huiuscemodi leuibus medicinis. Quo'd si scabiosus fuerit, aut aliquam aliam defedationem cutis habuerit, eodem modo euacuetur, scilicet cum electuario lenitiuo, uel cnm cassia fistulari, & reliquis quæ faciunt ad euacuationem humorum ex bili, & pituita permixtorum, uel ex pituita salso, quibus potest addi rabarbarum, præsertim si fluxus sanguinis fuerit, uel a' uenis sedis, quas emorrhoidas uocãt, uel ab utero in mulieribus, qua purgatione facta, incipiat ægrotans aquam balnei prædicti bibere ex fonte muro septo, nam in alio fonte non circundato muro bestiæ bibunt, & scabiosi, & qui exulcerationes habent lauantur. Quare cum immunda sit, eam bibere non laudo (& ut superius dixi) prodest plurimum illis, in quibus iecur super calfactum fuerit, a' qua excalfactione urinæ ardor sæpe euenire solet. Similiter & renibus supercalfactis prodest, & exulcerationibus colli uesicæ, si ex iam dicta supercalefactione, & iocinoris, & renum prouenerint. Tempus uero idoneum ad bibendum hanc aquam, & lauandi in ea est æstas, scilicet post medietatem mensis Iunii, usque ad dimidium mensis Augusti, uel usq; ad finem eo quod hoc in tempore calidissimi, & siccissimi sunt dies, uel cœlum ex rectitudine, & mora solis super terram aerem plurimum calefacit. In frigidis autem, & in tepidis temporibus istæ potus ex usu non est, neque si pluuiæ fuerint tempore æstatis. Præterea si dicta aqua immediate' a' fonte ipso sumpta, si fieri potest, bibatur fortius, & melius operabitur, & e' contrario si per aliquod notabile tempus post quam a' proprio fonte sumpta fuerit manserit, eius operatio imbecilior, & non ita eficax erit. Nam uirtus, & proprietas, qua'm a' minera habet plurimum imminuitur, postquam per aliquod tempus

a' loco proprio austa fuerit. Porro' eius uirtus aquisita quæ est siccitas manifesta, & temperata caliditas facile' euanescunt, si diu extra propriam mineram permanserit. Quare minus proficua erit, & debilius operabitur, ut puta si ea asportata fuerit ad aliquem locum longinquum, uel ad aliam regionem. *Dixi* quidem illam sic habere debiliorem uirtutem, non tamen dico non operari omnino, siquidem extra proprium locum amittit pro parte actionem uirtutis accidentalis aquisitæ, & primariam retinet ad sui ipsius conseruationem, quæ uirtus (ut ait Aristotiles) suum subiectũ conseruat ex propria uirtute a' cœlo data. Quo'd si forte' scire desideras quorsũ hæc dixerim, rẽspõdeo ea ratione dixissem quoniá sæpe uisum fuit, si hæc aqua bibatur, uel cum ea lauetur quando asportata fuerit, ad alia loca longinqua, ita ut diutius in uasis permanserit, uel si non sua hora, & tempore a' fonte auriatur, illam quidem debilissime' operari. Neq; in tali casu aquæ uirtutem incusare oportet, cũ iam causam, cur minus, & debilius operata sit intellexeris. In super sumenda est aqua si fieri potest, ubi scatet, hora matutina, sole iam orto, & in eo loco bibẽda. Similiter si lauare necessum fuerit in fonte ipso lauandũ est, quod si ægrotás, ex aliqua causa, ad fontem accedere non poterit, eam domi calidam bibat, & etiam domi se lauet calida, si lauatione indiguerit. Hora uero bibendi est hora prima diei habito prius uentris beneficio spõte, aut clistere supposito ex decocto herbarum comunium, cum aqua dicti fontis. Præterea obseruandum est ne assumés febricitet, aut fuerit corpus natura debile ex omni parte, ita ut uires imbecilles sint, aut neruorum in potentiam, & debilitatem habuerit, quoniam tales, nec bibere, nec lauare se sine maximo descrimine possunt. Quãtitas uero potus dictæ aquæ erit secundum ægroti, & etiam uentriculi tolerantiam. Nam qui uentriculum imbecillem habent, minorem quantitatem sumere debent, sed qui fortes sunt incipiunt primis diebus bibere quinq;, uel sex, uel septem calices poculau'e, põderis octo, aut decem unciarum. Et inter bibendum si fieri potest, leuiter deambulare oportet, ut calor excitetur, & facilius aqua e' uentriculo descendere possit. Etenim quidam non multum postquam epota est, aut plurimum mingunt, aut multum egerunt, quibusdam etiam, & urina, & secessus simul mouetur, quidam

uero easdem operationes habent,uel separate,uel simul,sed tarde,& post aliquot horas.Quicquid sit,deambulare leuiter per q̄tuor horas (si ægrotās potest) oportet,quæ deābulatio sit talis quæ neq; sudorem moueat,neq; laxum,aut languidum corpus reddat. Post quam leuem deambulationem quiescere aliquantulum conducit,mox cibum capere,& post cibum quiescat etiam.Nec inter diem dormire oportet,sed cum amicis iocundis ludere confabulare,& legere ea, quæ possint animum hillarem reddere,aut sint instrumenta musica, & cantilene iocundæ,& ea omnia quæ lætum animum faciunt,exercere cō ducit.Procedat potio dictæ aquæ augendo quotidie unum,uel alterum poculum,& tertium etiam,& hoc secundum tolerantiam uirtutis ægroti,& exigentiā morbi. Neq; temere in exhibitione huius aquæ procedendum est,sed omnia perpendātur & ratione regulentur,quoniam sunt quidam qui ex uentriculi imbecillitate,uel ex alia aliqua causa plurimum ab ista aqua leduntur,& eam regulare nō possunt.Et quidam sunt qui, nec mingere,nec eam per secessum pellere ualent, sed retinent ipsam,qui si pertinaciter bibendo procedant facile in dispositionem uentris quandam similem hydropi incurrent.Quare ubi aliquid tale acciderit à potu dictæ aquæ abstinendum erit. uentriculum,& alia membra (si imbecillia fuerint) roboranda sunt ingeniis in processu dicendis. Quod si uirtus, & reliqua tolerent procedat,ut dictum est augendo quotidie, usque quo uentriculus eam regulare possit (& mea in hoc sententia est) ut ægrotans non transcendat numerum uiginti poculorū etiam si fortis,& robustus uir esset,quod si transactis sex, aut octo diebus uentriculus ex potu fastidium, aut aliquod aliud accidens senserit, abstineat ab aquæ exhibitione per unum, aut alterum diem,deinde sedato fastidio iterum ad bibendum redeat,& illa sit semper quantitas,quam tolerare possit. Prosequatur bibendo uiginti diebus ad minus, eo quoniam cum hæc aqua debiliter,& sensim operatur,non potest paucis diebus opus suum perficere,tam euacuando superfluitates,quam alterando membra male affecta, ut ad præstinam redeant ualetudinem,& in hac uia curandi meum est consilium, quando uirtus eam tolerat,& uentriculus ab ea non aborreat,ut per integrum mensem eā bibatur.Et quoniam multi sunt qui ad hos

fontes minime accedere possunt plurimis de causis, & paulo ante dictum fuit uirtutes huius aquæ imbecilliores fieri si per aliquod notabile tempus in uase aliquo detineatur postquam à propria minera austa fuerit, ex quo difficultas oritur nunquid si transportata ad alias ciuitates bibatur ab aliquo possit conferre iam dictis affectibus, & etiam qualis regula debet seruari ab illis qui non in proprio loco bibunt. Huic dubitationi sic respondendū erit, uidelicet, quod tametsi uires dictæ aquæ ex mora, uel temporis spacio extra proprium locum minuatur non tamen ex omni parte resoluuntur, quin aliquid operentur, & hoc plus, uel minus, secundum tempus, quo à minera, & fonte asporta fuerit: sicq; dico aquam hác asportatam ad alias ciuitates posse operari. Sed non ita ualidæ sicut si assumeretur in loco ubi scatet, si quis igitur eam bibere uoluerit extra proprium locum obseruet regulam (ut dictum est) scilicet, ut mane eam bibat calfactam aliquantulum, dixi aliquantulum quoniam ex forti calfactione ad ignem uirtus à minera aquisita plurimum resoluitur, neq; tutum est eam frigidā sumere, præsertim si uentriculus imbecillis fuerit, uel si ægrotans ex morbi diuturnitate languidus extiterit. In reliquis uero seruetur ordo deambulationis, & cibi, & potus (ut dictum fuit de illis qui bibunt dictam aquam à fonte immediate sumpta) semper tamen obseruare oportet, ne ægrotus eam bibat, nisi prius illo mane aluus spōte, uel à clisteri adiuta operata fuerit. Et hora accipiendi cibum est per quinq; horas post. Cibus autem sit panis ex optimo tritico, & bene fermentatus, unà cum carnibus paruorum pullorum, aut hœdi, aut uitulli lactentis, uel cō similium animalium, & sint elixæ in ea met aqua sine, aut cum modico sale, neq; ad saturitatem comedendum est. Vinum uero sit pauciferum aquosum album potiusquam nigrum, quod si potens fuerit diluatur dicta aqua, & si album haberi non potest, sit saltem medii coloris rufum scilicet, neq; dulcæ, neque accidum. Reliqua uero genera cibariorum interdicantur, ut sunt pisces, & lacticinia, & reliqua uiscosa, & mali succi. Oua tamen sorbilia, uel ex iure confusa, panatella, & panis loctus ex iure sunt optima cibaria. Post prandium quiescendum est & ut etiam superius dixi nullo modo dormire conuenit, quoniam somnus inflamationem facit, & mictum, & secessum si-

stit,

ſtit,unde ſequuntur febres reuocato,ſcilicet calore ad intra,& euaporatio ad caput eleuatis uaporibus à uentriculo, ut contingit ſæpe præſertim in ſomno diurno. Similiter & ueſperi cœna ſi mediocris, & parca decumbat deinde duabus horis poſt: Dormiatq; ad libitum ſecundum propriam conſuetudinem. Illud tamē in tali potu aquæ operæprecium eſt obſeruare, uidelicet ut ſi in prima, & ſecunda, & tertia die, & quarta nihil, aut parum operata fuerit per urinam, aut ſeceſſum, a potu ſuperſedendum omnino erit, & ſi quid mali, aut in uentriculo, aut in aliquo alio uiſcere acciderit, illi ſucurrendum erit, cū ſuo contrario, ut puta, ſi aluus aſtricta fuerit, cliſtere molliente aperiatur. Similiter ſi ſuppreſſa fuerit urina, cieatur cum illis quæ urinam prouocant. Sicq; in aliis procedere oportet, ita ut ſecundum diuerſos affectus, particularia & propriata remedia exhibeantur, & etiam bibendi dictæ aquæ regimen imponatur (ut gratia exempli) in difficultate anhelitus, & aſtmathæ, detur dicta aqua calida, & lambendo, & in uentriculi debilitate. Similiter calidam bibere eam oportet, neq; plurima ſit quātitas ne faſtidiū, & nauſeam gignat, atq; etiam poſtquam ſex, aut pluribus diebus biberit unum, uel alterum diem interponat. Similiter in fluxu hæpatico nō plurima quantitas ſumi debet, ſed quantitas ſit ea quæ poſſit iecur, & uentriculum roborare, & ad naturalem temperiem reſtituere. Eodem modo in podagra, & aliis articularibus doloribus à materia calida uenientibus faciendum erit, ſed in talibus primum aluus leui medicamento expurgāda erit, deinde ſenſim dictam aquam bibat poſt quem potum membra quoq; affecta lauare, ſeu balneare dicta aqua conducit, & non tantum in caſu iſto, ſed etiam in aliis affectibus præternaturam ſuperius enumeratis ſi lauatione indiguerint. In ſcabie uero, & aliis cutanei affectibus, cum fortitudine uirtutis plurimam quantitatem bibere oportet, non tamen ſit nimia, quoniam in omnibus modus, & menſura quædam obſeruanda erit: bibantq; eam ſcabioſi per plurimos dies, & uniuerſum corpus in ipſa fonte ingrediēdo lauet, nō ſemel, ſed pluries & pluries quotidie, uel īterpolatis diebus. Et qm̄ non omnes qui ad hos fontes accedunt aquam bibunt, ſed plurimi ad lauandum ſe in illlis accedunt. Quare ubi opus fuerit lauare in dictis aquis, Primum operæprecium erit uentrem a

superfluitatibus communibus uentriculi, & aliorum membrorum uicinium mundare, leui aliqua medicina pro materię exuberantis necessitate, & quoque si sanguis abundauerit uenam prius incidere, ita ut non nisi prius corpore mundato balnea ingrediatur, post quam corporis mundificationem quiescat per unum, & alterum diem, deinde ad lauandum se balneum ingrediatur, & lauet totum, uel partem, & unũ, & aliud membrum secũdum morbi exigentiam. Hora uero conuenientior est hora matutina duabus horis post ortum solis, die clara, & sine nebulis existente. Neque in coniunctione, uel oppositione lunæ lauare, aut bibere oportet, sed illa die supersedendum est. post sunt etiam qui balnea ad lauandum ingrediuntur horis uespertinis se lauare post tamen prandium octo horis, ut cibus in uentriculo concoctus sit, siue mane, siue uesperi lauet, prius aluus subducenda est, quæ si non sponte clisteri moueatur, & in ea aqua moretur, aut lauetur per dimidiam horam, aut unã ad sumum. Quo'd si fastidium, aut aliquod aliud accidens superuenerit ægrediatur, siue cesset a' lauatione, & accidenti succurretur secundum oportunitatem, ut ad roborandum uentriculi os, detur offa panis infusa in uino aromatico, uel aliqua ex confectionibus uentriculum roborãtibus, quales sunt aromaticũ rosatum, diarodum abbatis, dia muscus, dia margaritum, & consimiles. Similiter si fuerit fastidium, aut lipothymia ex bilioso humore in ore uentriculi, detur offa panis infusa in uino granatorum, uel de citonis, aut in succo uuæ acerbæ, uel dentur confectiones quales sunt diatriasandalorum, uel ex saccharo rosaceo, cum coralis, & margaritis, & similes. At si uentris stipticitas fuerit, utatur clistere leniente ex decocto herbarum comunium in aqua dictorum balneornm, uel supponatur ex melle glãs, aut detur casiæ fistularis bolus, uel alia leuis medicina iuxta exigentiam ægroti. Quo'd si capitis dolor acciderit fiant fricationes cruribus, & brachiis aponanturque cucurbitulæ natibus, & spatulis. Similiter in aliis accidentibus succurere oportet secundum rei indigentiam. Sed cum non semper totum corpus lauatione indigeat, cum aliquando unũ tantum membrum, uel particula male affecta sit. Ideo in hoc casu si membrum non est aptum ut intromitatur in dicto fonte, ut ibi balneetur, fiant fomenta, cum spongiis membro lan-


guenti, in dicta aqua calida madefactis, si uero uterus, uel uulua laborauerint puta sterilitate, aut profluuio sanguinis, uel cursu materierum albarum, lauetur locus dicta aqua calida, uel in ea sedeat, quoniam mirifice, & plurimum prodest. Postquam uero ægrotus lauerit se totum, uel partem abstergat se, & induat uestimētis, custodiat etiam se ab aere extrinseco donec domū redeat. Mox lectulū intret, atq; linteaminibus, & sudariis iterū tergat, & fricet, ut omnis humiditas balnei exiccetur, & per horā ad minus coopertus in lectulo quiescat. Quod si dormire contigerit, dormiat parum, deinde postquam surrexerit, leuis deābulatio plurimū cōfert. Nam sic melius meatus corpus aperiuntur, ut si aliqui uapores calidi detēti, egredi ualeant. Postquam leuem deambulationem (si mane fuerit) prandium accipiat, si uesperi cœnet, & a cœna duabus horis in lecto quiescat, dormiatq; usq; ad matutinas horas. Cibi uero sint ut superius dixi illi qui facilis sint concoctionis, & optimi nutrimenti; ut sunt carnes eo in loco dictæ, & oua recentia. Pisces uero non comedantur nisi ubi intētio fuerit minus nutrire, & frigidum alimentum generare, quo in casu meliores erūt squamosi in aquis claris degentes, ut sunt trotæ, carpiones non saliti, barbi, auratæ, & similes. Interdicantur item fructus omnes, legumina, olera, lacticina, & sallamenta, ab immodica quoque quantitate cuiuscunq; cibarii, & potus abstinere oportet, ne uentriculo lesio inferatur, in omnibus tamen consuetudo, & tolerantia regula sit. Præterea, tam in potu, quam in lauatione dictæ aquæ a ueneris omnibus modis abstinendū erit, & etiam ab ira, & omni immoderata exercitatione. Porro in omnibus his plurima fit spirituum alteratio, & ressolutio, & in uenereis humidi radicalis exiccatio. Nemo tamen si indiguerit potu dictæ aquæ, & balneatione, balneum ingrediatur nisi prius per plures dies aquam biberit, ita ut cognoscat uiscera intrinseca a superfluis excrementis mundasse, & ea roborasse, signum cuius habetur. Si tam per secessum, quam per urinam clara, & impermixta reddatur una cum assumpta quantitate, quod non semper fit uno determinato spatio temporis, etenim aliquando paucioribus diebus, & aliquando pluribus hæc operatio perficitur, sed ut plurimum, post quartum decimum, uel uigesimum, cognoscitur quamobrem antequam dicta si-

gna appareăt in excrementis,nemo tutè balneum ingredi po
test,uel aliquo alio modo se lauare.Præterea illud perpetuo ob
seruandum erit,ut scilicet,ea die qua aquam bibunt nullo pa/
cto,nec mane,nec uesperi balneum igrediatur, & ea die etiam
qua lauarit se nullo modo aquam bibat, sed una tătum opera/
tio in una die satis erit,uidelicet uel bibere,uel lauare ,quòd si
necessum fuerit,& lauare,& bibere ex aliqua causa , altera die
bibat,& altera lauet , sicque secundum rei indigentiam proce/
dere oportet,ut scilicet aliquando per aliquot dies bibat, & ali
quando per aliquot post lauet,uel continue lauet (ut dictum
est) & bibat aliquot,uel continuis diebus.Ea tamen lege obser
uata,quòd ubi cutaneæ infectiones sunt, ut est scabies , lepra,
& aliæ consimiles,uel fortiores,in membris extrinsecis : pluri/
mum,& bis etiam in die lauare melius est.Quòd si aut pluuiæ
aut frigiditas aeris ex aliqua causa superuenerit,nullatenus la/
uare se tutum erit (ut dictum est) de coniunctione , & oposi/
tione lunæ cum sole.Similiter qui ex corporis labore defatica/
ti sunt,'uel qui animi perturbatione, uel curis,uel ira , uel ex/
candescentia,languent,nisi prius robur , tam corporis , quàm
animi redeat illis nullatenus balnea cōueniunt . Et quoniam
ad hos fontes sæpe accedunt qui distilationem à capite ad pe/
ctus,& alia membra supposita patiuntur , quæ destilatio est à
materia subtili calida ex permixtione alicuius humoris acri,
qui aut in capite genitus est ex mala aliqua tĕperie , aut si alio
genitus est ad caput currit,neq; ibi propter imbecillitatem mĕ
bri regulatur.Tales patientes, si hanc aquam moderatè calidă
in situla positam , & per canulam super caput destilando ad/
miserint,& hoc hora matutina ante prădium per duas saltem
horas:præstantissimum est auxilium:in roborando caput,atq;
eius temperaturam rectificando , ut ualeat suum nutrimentŭ
concoquere,& assimilare,ac etiam ne excremĕta,& superfluĕ
tes humores ad supposita membra præcipitare ualeăt . Et hæc
aquæ destilatio super caput,scilicet super locum suturæ coro/
nalis,& super locum suturæ laudæ propè ortum nuchæ con/
fert,hac ratione etiam confert astmathi,& aliis præternatură
affectibus à destilatione materiæ à capite,hăc aquæ per canu
lam destilationem quàm duciam uocant continuare oportet
per plures dies,puta per quindecim,aut uiginti dies, nam raro
in

in minori tempore possunt dictam operationem perficere. Postremo' illis qui, uel aquam solum biberunt, uel tantum se lauerint, aut & biberint, & lauerint secundum dispositionis praeter naturam exigentiã, necessaria est per aliquod dies in omnibus sex rebus necessariis accurata diligentia. Quare non illico a' loco fontium recedendum erit, sed post potum, & balneum per aliquot dies quiescere utile erit. Caueant etiam ab aeris caliditate, & auentis refrigerantibus, & a' nimia exercitatione, & repletione, tam cibi, qua'm potus, & a'reliquis, quae corpus ualitudinarium alterare possunt. Et cum domum reuerti uoluerint, ea sit regula ut inter peragratur, sine molestia, & corporis defatigatione, uerbi gratia equitando modeste', uel in curru, uel pedibus, quo'd non laudo, cum nõ ex omni parte sit tutum conualescentibus, & medicinis inanitis: pedibus iter longum agere. At si deambulare necessarium fuerit, sit leuis, & partiatur ad plures dies, ne uirtus debilis ex iam dictis causis absumatur. Et postquam ad propriam domum deuenerint, quiescendũ erit a negotiis, & aliis, quibusdam diebus, sed utantur leui deambulatione ante prandium, & uesperi ante coenam. Fugiantq; omnem repletionem, & diuersitatem, tã cibariorum, qua'm potus, fugiãt etiam somnum meridianum, & uenereos amplexus, sint denique iocũdi, & hillares cum amicis. Haec sunt doctissime Vincenti quae tuis respondens literis de balneis calderianis ad te scribere in praesentia uolui, ut pro posse tibi satisfacerem, quod si feci tibi satis, gratissimum mihi erit, si minus; satis sane' ego habeo tuas'petitiones non negligisse. Vale. Venetiis. M. D. XXIIII. Die. XXVII. Augusti.

AD APOLLONIVM MASSAM.

Epistola. XXVII. De modo quo morbus Gallicus a' natura sanatur, & diuersis etiam applicitis auxiliis.



VO'D Per literas a' me petis, tametsi maiorem quam quae mihi nunc est exigeret quietem, tamen ut aliqua ex parte tibi satisfaciam' sigilatim partes quaesitas ut potero, breui expediam. Audiui historiã

Iuuenis laborãtis morbo Gallico. Qui haud dudum infectus fuit ita quo'd nouus morbus proculdubio erat, quanquam dolores uehemẽtisſimi eum per uniuerſum moleſtabãt corpus, qui artus omnes,& caput etiam comprehẽdebant, ut minime nocte dormiret:aderatq; faucium, & Vuluæ exulceratio non parua, cui iuueni ſuperueniente tertiana febre, ex pharmoco leui,quod illi exibuiſti, quarto die non tantum ab ipſa febre, ſed a' doloribus omnibus,gutturiſq; exulceratiõe liberatus fuit ac ita incolumis factus eſt,ac ſi nunquam aliquid mali paſſus eſſet. Qua'm rem non ſine admiratione ſcribis. Sed mirari deſines,ſi ea,quæ compendioſe admodum ſcripſi i libello de morbo Gallico tractatu. 2. cap.ſeptimo circa principium, & poſt medium,& cap.immediate ſequenti memoria tenes: ubi quæritur an apertio uenæ, ſiue misſio ſanguinis conducat gallico morbo,quæ dicta ibi paucis,perſtrinxi breuitati ſtudendo,hic (ut tibi morem geram) latius expono. Dixi igitur locis citatis, ægritudinem nouam a' materia minus craſſa pauca,uel admixta calidis,uirtute forti exiſtente poſſe ſanari unica etiam euacuatione,ſiue illa fuerit per exhibitam medicinã, ſiue per misſionem ſanguinis,parum refert. At hoc in recto iudicio medici erit,quod non ſepe uidimus,teſtimonio Hippocratis dicentis primo Aphoriſmorum iudicium difficile,ſed qua ratione ſanatus fuerit tuus ille iuuenis,dicam. Si prius naturalem intrinſecam,& extrinſecam (& præternaturalem diſpoſitionem dixero)quibus prælibatis non difficile erit ſcire mirabilem naturæ,&artis operationẽ. iuuenis ille(ut ſcribis)erat i primis,optimæ habitudinis ſubide tẽperaturæ,calidæ ſcilicet,& humidæ quo'd ſi aliqua declinareparte ab optima temperiæ uideretur, illud erat per ſiccitatem:ita ut i actiuis caliditas æqualis eſſet, in pasſiuis uero minor humiditas, & declinaret ad aliqualem ſiccitatem,quam temperaturam,ut plurimum iuuenesGermani ſolent habere,mediam ſcilicet inter ſanguineam, & cholericam. Vides igitur duo ad expeditam ſanitatem: & ſunt iuuentus,&optima temperatura,cum quibus uirtus pollet,ſed etiam tempus anni,quod æſtas fuit abbreuians omnes ægritudines (teſtimonio Galeni.ii. particula Aphoriſmorũ comento.xxv. & experiẽtia,)ad hoc non parum iuuit. Iſta etiam alia cauſa ad dita cito liberatus fuit. Adde ægritudinem fuiſſe a' materia

pauca,& illa quidem admixta sanguine subtili bilioso ex propria temperie,& ex tempore anni genito,quam admixtionem declarant dolores uehementes,qui non nisi per admixtionem materiæ subtilis pungentis subtiliantis crassos humores fiunt, ita ut dolores tales & pungentes, & extendentes dici possint, quem modum doloris optime declarauit Galenus in libello de inæquali intemperatura,& in secundo de locis affectis,& i methodo curandi,ac passim in aliis libris. Eandem admixtionem cõfirmat superaduẽtus tertianæ febris,nõ enim superuenisset febris illa tertiana nisi materia biliosa multa supdominãs materiæ pituitosæ admixta fuisset.Quare,si omnia,q̃ faciũt ut ex pedite Medicus ægrum sanitati restituat, inspicias, nihil est quo'd mireris si tã cito,& bene,a' tã leui auxilio medicinali ille sanitati restitutus sit:cum si id quod dixit princeps Auicenna prima quarti de cibatione febricitantium in genere,diceris sci licet uirtutem in primis sanare.Igitur id factum fuit,quoniam uirtus fortis fuit in ætate iuuenili cum optima temperatura tẽ pore æstatis coadiuuante febre ad subtiliationem materiæ in ægritudine noua cum multa admixtione humorum subtilium calidorum,qui apti sunt euacuationi sensibili,& insensibili, ne que a' pricipio materia morbi Gallici tantæ uiscositatis est in omnibus,quin possit per omnes meatus deferri a' uirtute cor corporis sola et adiuta a' medicamine aliquo,sicq; tota euacuari nulla relicta parte terrestri,& crassa notabili in membro.At secus est in morbo antiquo,in quo partes subtiles iam resolutæ sunt.Dicta quidem superius animum tuum possent quietũ reddere,nisi modus sanationis,per linimenta iuncturis,uel per suffumigia,parti,uel toti corpori applicita illum suspensum te neret.Etenim ex huiusmodi linimentis,& suffumigiis materia in membris subtiliatur,& per os euacuatur,quo'd fit sæpissime per multos dies,ac etiam copiose. Aliquando etiam per secessum materia illamet crassa alioquin,sed sincera,& exquisita,& & etiam mixta cum bonis aliis humoribus: & nonnunquam per sudorem euacuatur. Qui modi duo non frequenter fiunt: sed præter dicta uideo te quærere,qua ratione hoc fieri possit, ac etiam tibi met respondendo,dicere materiam,quæ per uniuersum corpus est non posse per os educi,nisi iterum per easdẽ uenas per quas ad membra transiuit ad hæpar,& uentriculum

reuertatur:(& est doctrina Galeni in libello de potentiis naturalibus)& sub inde per os,aut per secessum pellatur, qui modus sane uerus est,tametsi in illis,qui per sudorem sanatur materia minime ad ista membra reuertatur, sed ibi subtiliata per meatus corporis in substantiá postea aqueá cõuersa euacuat, sic etiam fit in illa insensibili euacuatione:nam materia à calore naturali adiuta à medicamine conuertitur in subtilissimos uapores qui sic p meatus corporis insensibiliter exeũt. Quòd si aliquando contigerit, ut materia morbi subtiliata in aquosam substantiam conuertatur,& ad hæpar deducatur, potest ipsa per urinam ægredi,ut in aliquibus apparet, præsertim in illis,qui sanantur per potionem decocti ligni indici. Sed adde id quod sæpe uidisti,scilicet non tantum materiam, quæ in uenis est per uniuersum corpus,retrocedere uerum etiam,& illã quæ extra uenas exiuit,& in cauitatibus,ac(ut ita dicam)partibus uacuis corporis residet sub forma apostematis duri, & in iũcturis quoqȝ quæ causat dolores, retrocedere ad membra iam dicta,& euacuari per os,& secessum, sudorem, & alias dictas euacuationes:uirtute adiuta à medicaminibus iã dictis, ita ut subtiliata iterum ingrediatur uenas paruas, deinde magnas,& sic ad iecur,& uẽtriculum,& intestina deducatur,quæ subinde,aut per os ut sæpissime fit,aut per secessum, uel urinã extrapellitur. Necȝ hic modus operationis naturæ ab arte adiutæ inconsuetus est,cum dixerit Galenus quarto de tuenda ualetudine materiam facientem phlegmònicã lassitudinem posse iterum ad uenas remeare per reiteratam uenæ apertionem. Scire præter dicta etiam te uolo,quod etsi iecur sit minera, in quo materia morbi Gallici primo,& pro maiori parte generetur,non esse necessarium urinam ostendere aliquam manifestam alterationem,uel aliquid residentis fecalis,cũ ratio morbi,& materiæ,sit imminuta quædam uirtus à qualitate occulta complexionali;& accidentium causa,sit erratum quoddam naturæ post iocinoris infectionem, ita ut non euacuetur nocuum per conuenientia loca expurgationis, sed ad alia membra corporis cum ipso sanguine: ex qua materia generantur pustulæ,& apostemata, dolores, & alia accidentia secundum eius diuersitatem. Et tametsi per illinitionem iam dictam, aut suffumigia,uel aliud quoddam medicamen auxilians, materia

crassa

crassa est, quæ non mutatur ad aqueam substantiam, illa trahit ad renes, sed ad alias uenas, quæ ad stomachum trāseunt. Nō enim membra trahunt ad se quancunq; materiam, sed determinatam, ut docte dixit Galenus primo, & secundo de potentiis naturalibus, ubi affert exemplum de renibus attrahētibus materiam aqueam ad uias urinæ ex sanguine. Sed uentriculus indifferenter omnem materiam trahit uacuus existens, & præsertim superfluitates uicinorum membrorum, ut idem Galenus testatur tertio de potentiis naturalibus. Quare cū ad uias urinæ materia crassiuscula minime à renibus p uenas emulgentes attrahatur, non est necesse in urinis apparere manifestam mutationem. Attamen si quis recte urinam patiētis morbum Gallicum inspexerit, signa cruditatis omnimodo aliqua in ipsa uidebit, nisi, ut sæpe contingit, febricula aliqua complicata fuerit. Sic habes quod neq; à materia in iocinore genita, neq; à materia, quæ ab aliis membris per illinitionē, uel aliud medicamen ad uenas, & iecur reuertitur fit aliqua manifesta in urinis alteratio, præter iam dictam, & in aliquibus corporibus ualde plethoricis, ac malis succis plenis, ut i nephriticis, cū materia illa raro ad subtilitatem aqueam à uirtute mutetur medicamine iuuante naturam: non tamen hoc imposibile aliquod ponit, cum sæpisime (ut dixi) qui decoctum ligni Indici bibunt materiam morbi subtiliatam per urinam extra pellunt. Postremo quærere te uideo, qua ratione fiat ut aliquando peluis in quam spuum ægrotantes, dealbata ab ipso argento uiuo īspiciatur. Ego ut ingenue fatear, uideor mihi somniū uidere, dū ista & multa alia narrant, neq; aūt fieri potest, ut substantia argenti uiui pmeet in primis cutē, deinde loca uacua, mox subtilisimas uenas, ac magnas subinde & tandem iecur, & uentriculum, & postea per os fluat, cum eius substantia sit grauis tendens deorsum. Imo, siquis ipsum deuorauerit in quātitate modica, tametsi uenenum sit, quoniam sua grauitate cito descendit, minime mortiferum erit. Non enim recipitur ex iam dicta causa à uenis meseraicis, ut ad principia membra deferarur, quanto autem minus stante hypothesi poterit penetratre. Et si daretur penetratio, non tamen mearet ad iecur, & uentriculum ac ad os ascenderet, quod confirmatur, siquis quantitatem argenti uiui singulæ unius diei illinitioni consi-

deraverit, quæ minima quidem est, & etiam si sciet loca inuncta, ut sunt plantæ pedum uolæ manuum, genua, cubiti, & reliqui articuli, quæ loca ipsa habet cutem densiorem, tametsi ueræ in artibus manifestentur magis, & hac ratione facilius uirtus, & non substantia intus penetret. Etenim sæpe sanantur multi a' morbo Gallico ex illinitione plantarum pedum, & uolæ manus, ita ut sit uirtus adiuta a' uirtute linimenti, & non a' substantia. Quare quod dicunt, est figmentum quorundam nebulonum, qui promittunt multa, & suis delusionibus homines decipiunt ponentes aliquid clandestino, quod sic tingat peluim, uel quod æger ipse, dum est illinitus suismet manibus, aut linteis tingat peluim. Quare cum hoc sit fabulosum reijciatur a' nostra oratione, & illa digna scrutemur, quæ sapienti, & ingenuo animo digna sunt in hac ægritudine: & est, qua ratione unguenta, & suffumigia, uel alia consimilia medicamina possint materiam crassam, uiscosam adherentem, & in membris imbibitam per os expellere. Hæc etiã scripta sunt in meo de morbo Gallico libello tractatu quarto cap. 1. quod est de cura morbi per illinitionem. Igitur, quoniam uirtus unguenti est calefacere, subtiliare, ac fluidam facere materiam pituitosam, uel aliam admixtam, quæ in membris, uel uenis, & aliis partibus corporis est, ita sic subtiliata materia, uirtus, quæ semper immundificatione sanguinis intenta est, & in expulsione nocui (ut dixit Galenus) in libello de attrabile, eã extra ducit per faciliorem quã'm possit uiam. Et nisi in libello proprio plura scripsissem, & nunc essem per occupatus, plura alia scriberem, sed quoniam tempus deest hæc satis sint. Vale. Venetiis. M. D. XXXXI. Die. VIII. Decembris.

AD EVNDEM APOLLONIVM Massam. Epistola. XXVIII. De causis dolorum morbi Gallici.



SCRIBAM, Quæ de causis doloris morbi Gallici tuis literis petiisti: quanquam siquis libellum meum de morbo Gallico legat, eas omnes facilime' habere possit. Nam capite quinto primi tractatus, dolores fieri a' malitia complexionis diuer-

se, uel a solutione continui scripsi, testimonio Auicennæ secunda primi. Quod dictum potest corroborari rationibus, quam plurimis antiquorum, & presertim Galeni in libello de inæquali temperatura. Dicit Galenus dolor fit, si mutetur natura: mutatur uero si frigescat, uel calefiat, aut humectetur, uel exiccetur, uel eius soluatur continuitas. Neque dicere quis potest, hos duos Medicine Principes ex dictis non idem de causis doloris sentire, quemadmodum ipsemet Auicenna, & multi scribentes dixerunt. Enimuero siquis etiam dicta duodecimi artis curatiue Galeni diligenter legat, hoc idem uidetur dixisse: cum ait. Porro naturalis notitia nos docet, uitium id corporis, ex quo fit doliturum, aut continuitatis diuisionem esse, aut alterationem aliquam, & paulo post concludens inquit, necessarium esse, ut affectus, qui dolorem excitet, uel diuisio sit, uel alteratio: sicque per longum examé clare patet, & subitam alterationem, & cõtinui solutionem credidisse Galenũ esse causam doloris. Quod clarius expressit cométo primo secundi libri de ratione uictus i morbis acutis, ubi inquit. Corpora sensibilia quam primum subito mutãtur, dolent, fit autem immutatio bifariã, quandoque uiolenter subito mutatis qualitatibus, quandoque soluto continuo: alterantur ab istis illico, cum calescunt, infrigidantur, humectantur, uel exiccantur. Quæ dicta sæpissime repetit Galenus in suis uoluminibus, ut patet secundo de locis affectis & quarto simplicium pharmacorum, & aliis in locis, in quibus conatur omnia reducere ad genus solutionis continui, nec propterea dixit dolorem fieri sine mala temperatura. Quibus dictis non desunt rationes sapientum aduersantes. Dicunt enim totam rationem doloris fieri causa malæ temperaturæ: quod si aliquando uisum est ex solutione cõtinui accidisse dolorem alicui, dolor ille non fit, nisi quoniam ex separatione cõtinui mutata fuit loci temperatura, cum separatio cõtinui minime fieri potest, sine malo motu in parte, a quo motu mutatur complexio, siue temperamentum. Dicuntque dolorem non esse ab ambabus causis, scilicet a soluta continuitate, & a mala temperatura, cum teste Aristotile secundo de anima obiectum sensus tactus sint quatuor primæ qualitates i mixtis, uidelicet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, quæ cum superfluũt aliqua de causa tristem causant sensationem, quam dolorem


uocant. Neq; credere oportet dolorem per sensum tactus tantum animantibus euenire, cum ab omnibus sensibus dolorem causare uideamus, non tamen sine tactu. Etenim dolor est tristis, uel contrariæ rei sensus. Nec etiam fit dolor à duabus qualitatibus actiuis tantum, caliditate scilicet, & frigiditate, cum siccitas, & humiditas, tametsi primo, & per se non agant, attamen mediante naturali calore, uel alio in animali causant tristem sensationem. Clarè igitur patet, quomodo causetur dolor à mala temperatura diuersa, siue fuerit cum materia, siue non, uel præcedente solutione continui, uel subsequēte. Quod uero dixit Hippocrates de causis doloris in libello de flatibus non deuiat ab istis superius dictis, si rectè perpendas. Ad causas igitur morbi Gallici reuertēdo, præsupposita ea, quæ dixi in eodem libello cap. quarto, & quinto primi tractatus, & in aliis, de materia scilicet faciente morbum Gallicum, quoniam ibi statui ipsam morbi materiam pro maiori parte phlegmaticam non naturalem, nec simplicem, sed admixtam diuersimodè cū aliis humoribus, quæ transeat per uenas per uniuersum corpus, & ad omnes partes, quæ cum sit pituitosa à prædominio frigida, & ad membrum aliquod ex sui natura frigidum, & sensibile (ut sunt nerui, chordæ, & panniculi) peruenerit, & non reguletur à calore, aut consumendo, aut ad melius mutando, ut sit apta conuerti in nutrimentum, acquirit ulteriorem malam qualitatem præter occultam illam, quæ unà cum aliquali extensione à calore debili causata uehementissimi doloris causa est, id quod fit magis uesperi, cum iam uirtus ex labore diei dissoluta, uel diminuta sit, uel quoniam in tali hora ob aeris aliquā refrigerationē meatus astringūtur, sicq; superfluitates uaporosè in mēbris sensibilibus, ut sunt lacerti nerui, & paniculi retētes partes unitæ separant, & ēt qm̄ recedēte sole corpora minorē habēt resistētiā: unde uespertinis horis materiæ frigidæ mouētur, & magis corpora nostra infestāt: ut pote quæ ad loca sensibilia descendant, & sua qualitate cūm continui solutione dolorem faciant. Quare optime respondisti illis: uidelicet quòd materiæ tametsi frigidæ sint, cum ad neruos, chordas, & panniculos descendunt, sua qualitate, cum extensione causant dolorem. Quòd si adhuc quærant qualis sit materia illa pituitosa, seu phlegmatica: respondere oportet illam esse pi-

tuito

tuitosam crudã, seu diminute pro ratione phlegmatis coctam cum admixtione aliorum humorum, & etiam calidorum. Attamen pro maiori parte phlegmatica, siue pituitosam dixeris (non refert.) Et cum dicunt materiam frigidam ex se immobilem esse, concedi potest, si pura est; sed cum dicũt materiam morbi Gallici esse frigidam, & non admixtam cum aliis, ipsi male intelligunt scripta nostra, quoniam non esse puram materiam dixi, sed cum aliis humoribus admixtam, quæ tamen, & a uirtute membri attracta, & etiam aliis humoribus calidis coadiuuantibus ueluti uehiculo ad membra transit, & in ipsis recipitur, ibiq; causat dolorem; (ut dixi.) Quo'd uero in uno quoq; membro sit uirtus naturaliter attractiua, ut nutrimentum trahat, testis est Galenus in libello de uirtutibus naturalibus. Sed cum malum nutrimentum trahitur, & non corrigitur a membri uirtute, causatur dolor, aut aliqua mala ægritudo. Ideo dicebat ipse Galenus stomachum, seu uentriculum tempore famis attrahere superfluitates ex locis uicinis, sicque impletur malis humoribus: quã'm sententiam meminit Princeps Auicenna cap. de eo quo'd comeditur, & bibitur. Istis sic habitis potes omnibus respondere, me nunquam dixisse, dolores prouenire a' pura materia phlegmatica, sed admixta cum aliis humoribus: tametsi materia phlegmatica sola possit, & de facto causet dolorem: neq; semper est necessarium materiam frigidam habere uehiculum materierum calidarum, cum a' uirtute membri possit attrahi, uel sua grauedine de loco ad locum descendere, stante tamen latitudine uiarum. Et istis credo pro temporis angustia, & ægrorum impedimento tibi, & doctoribus illis satisfecisse. Quibus omnibus me plurimum commendabis. Et si ista legere dignentur: illis ostendere non te pigebit. Quo'd postremo petis de nominibus herbarum teutonicarum; quæ sanant Empycos, ex uulnere pectoris cum penetratione. Dico quo'd uocant ipsas herbas sic. Videlicet Sendauch, idest Alchimilla, Senichel, Diapensia Latine, Vuintegrum, Pirola nominatur, Trinitas, idest Yacea. Istæ igitur quatuor herbæ sunt illæ, quæ sanant (quod dixi superius:) & reperiuntur in montibus Germaniæ, qui sunt uicini Italiæ. An uero istic reperiantur, ignoro. Sed sunt mirabiles (crede mihi) Decoctæ cum uino albo montano dulci, & in fine co-

ctionis addita octaua parte mellis iterum bullientis continue expumendo, & ex colatura dando patienti mane, & uesperi sex uncias, & plus, & minus secundum tolerantiam uirtutis, & morbi fortitudinem bene. Vale. Venetiis Die. VI. Setembris. M. D. XXXX.

AD EXCELLENTISSIMVM DOMINVM Michaelem Lippum. Epistola. XXVIIII. De cura ulceris formicosi in coxa, & tumoris in dorso, pendentibus a' reliquis morbi Gallici.



QVAERIS Michael doctissime, ut per capita (ut aiunt) uelim tibi literis significare, quonampacto procedendum sit in casu Magnifici Domini Comitis Bernardi Tompich. qui iá multis annis morbo Gallico laborauit, & si curatus antea fuerit. Attamen a' tribus annis usque ad hunc diem iterum incidisse uidetur in hunc morbum, cum Vlcere formicoso in coxa, & tumore in dorso circa lombos. Qui quidem Magnificus Comes cũ multa egisset, non potuit hucusque curari. Cui sic agendum nostro quidem iudicio respondeo. In primis oportet ipsum Magnificum uirum quibusdam euacuationibus minoratiuis euacuare, uerbi gratia cum electuario lenitiuo, Diacatholicone, & aliqua portiuncula confectionis Amech. Secundum tolerantiam uirtutis, & anni, temporis rationem. Deinde materiam ipsam reliquam digerere, digestiuis appropriatis, ut est syrupus de fumoterre, de endiuia dilutis, cum aquis lupulorũ & fumiterre, sed placeret mihi magis aqua solatri admixta cũ istis propter adustionem humoris. Dentur isti syrupi per aliquot dies post minorationem prædictam deinde uelim secare uenam iecorariam dextri brachii, & extraere quantitatem sanguinis secundum uirtutis tolerantiam, & ipsius sanguinis malitiam. Etenim in morbo Gallico confirmato peccatum est in massa sanguinea: quamuis accidentia consequentia sint in mẽbris exterioribus. Qui celebrata phlobotomia, procederem per aliquot dies cum digestiuis dictis deinde uellem illum euacuare pharmaco magis appropriato, uidelicet, cum electuario

lenitiuo, de sebestem, & confectione Aniech, dissolutis in decoctione Epithimi Mesuæ, ita ut iudicio tuo expertissimo corpus undequaq; a' superfluitatibus communibus emundaretur, euacuando bis, aut ter, secundum indigentiam rei. Quibus euacuationibus factis, uellem quo'd clarissimus comes assumeret decoctionem ligni indici, per conueniens tempus, uidelicet quadraginta, uel plures si opus fuerit dies. Darē ergo uesperi, & mane ciatū unū aquæ primæ decoctionis, Secundæ uero decoctionis aquā darē, & ante prādiū, & p totā diē ad libitū, & etiā in nocte si bibere uoluerit, quoniā hoc uniuersale est, maxime in morbo diuturno, Quo'd quāto plus æger biberit, tam ex prima, qua'm de secūda decoctione tanto melius, & citius liberabitur. Trāsactis igitur octo, uel decem diebus uelē quod ipse biberet ex prima decoctione duos cyatos mane, & duos uesperi, & inter diem etiam maiorem quantitatem, secūdæ decoctionis. Et hoc usq; ad terminum quadraginta dierū, cum dieta conuenienti, ætati, complexioni, & reliquis. Hoc tamen scito uinum nullo pacto conuenire, quo'd si dare oportet, uel ratione consuetudinis, aut aliorum, id fit dilutum, & in parua quantitate. Notabit tamen tua excellentia quod si trāsactis uigintiquinq; diebus, & neq; ulcera cōsolidata, neq; tumorem ressolutam inspexeris. Hoc in casu oportebit in sero inungere inguina, & locum ossis sacri, & dorsi usq; ad caudā, ita ut per talem inunctionem, resolutio materierum in membro contentarum haberetur, & prohibitio descensus materierum ad loca ægra currentium. Quem modus illinitionis, ut uulgares aiūt, si defensiuum appellaueris, non refert, dummodo ex hoc optatum finem æger consequatur. Inunctio uero fiat ex unguento nostro benedicto glorioso addita quantitate boliarmeni, quæ tuæ excellentie conueniens uidebitur. Hunc uir doctissime credo esse uerum modum procedendi, ut clarissimus comes ad optatam salutem canonice deducatur, qua'm Deus trinus, & unus ei dare dignetur. Ea uero quæ post curam membra principalia confortare possunt, uel si aliqua indiguerit euacuatione reliquarum, silentio pertransiui, quoniam te, & doctum & expertum, ex tuis notis cognoui. Vale. Veneiiis. Die. XX. Augusti. M. D. XXXV.

AD EXCELLENTISSIMVM D. IOAN-
nem Babtistam Pantinum: Epistola XXX. De de-
pilationibus corosionibus gingiuarũ, & ca-
dentiũ, & aliis quibusdã disposi-
tionibus quę cũ morbo Gal-
lico, eueniũt ac de eo-
rum medica-
minibus.



PAVCIS Post diebus quibus ad te literas dedi una cum descriptione syrupi de pomis, qui uentrē soluit, redditæ sunt mihi iterum literæ tuæ, ex eis uero a me non minus ardua, quam mihi deside-rata postulas, quæ quoniam tibi in primis cui plurimum debeo, deinde aliis quibus mederis languentibus salutaria futura existimo, ea ad te scribere non recuso, eo ferme ordine quo a te scripta sunt. Primum quidem quæris depilationes quæ passim hisce nostris tēporibus hominibus accidũt, (morbi quem Gallicum uocant) accidens aliquod existat an potius affectus quem Præstantissimi Antiqui Medici Græci Alopeciam, & Ophiasim, & Arabes Tiriam uocant. sit cui quæsito facile respondere possum, si prius morbi Gallici postremam differentiam a me in libello de morbo Gallico scriptã rememorabo. Etenim in eo libello dixi morbum Gallicum, malam temperiem ex iocinoris quãdam refrigeratione esse, non tamen sine aliquali effectus siccitatis, & immoderata cōplicatione aliarum qualitatum, ita ut præter manifestam, ex operationibus, refrigerationem, sit etiam occulta mala quædam qualitas uelu ti forma, seu ultima differētia quæ toti corpori comunicatur, ut ex meis de febribus scriptis satis clare uidebis. Neq; obstant ea quæ ab aliquibus male, & sine experientia, huius descriptionis contrarium dixerunt. Credunt quidem iecur male affectũ esse, sed temperiem malam non illam frigidam (ut dixi) sed calidam, & siccam esse pertinaciter asseuerant, friuolis quibusdã rationibus, ita ut pudeat me (testor Deum) tam innanibus rationibus contradicere. Dicunt enim (ne te in istis morer) ea ratione, tēperaturam hanc præternaturam esse calidam, quoniam aliquando a principio in istis febricula suboritur, & quo-

niam

niã in pudẽdis,& aliis partibus corporis exulceratio fieri affa & quæ nõ sunt priuatę rubore præsertim in extrema cute, sæpeq; fiãt huiusmodi ulcera corrosiua, quæ serpendo, siue deãbulãdo in deterius procedũt, ac etiam dolores, ut plurimum acuti fiũt eodem quoq; modo pustulæ quæ apparent sæpe rubræ uidentur, & in tumoribus etiam, siue gumositatibus nonnunquam rubedo aliqua uisa est. Dicunt præterea depillationes ab eodẽ temperamento calido, & sicco fieri, & etiam si quæ ulcera in gutture, faucibus, gengiuis ue, quæ ad casum dẽtium faciant, aut in alio quouis loco corporis, ut puta in pudendis uidelicet uulua, pene, aut in ano, omnia illa attestari hanc calidam, & siccam temperiem, ita ut quidam ad tãtam insaniam deueniunt, ut etiam materiam, siue basim morbi Gallici choleram adustã, siue per assationem in melanconiam conuersam esse dicant, cum nihil absurdius sit hac positione. Etenim si quod dicunt uerum esset, morbum Gallicum elephantiasim (uel ut dicunt Arabes) lepram leoninam procul omni dubio esse dicere oporteret, uel cancrosam (ut ita dixerim) ægritudinẽ aliquam, si particularem affectum aliquem consideremus in tali morbo. Sed quoniam ut ĩ iam dicto meo libello uidisti, ii omnes a' scopo ueritatis longe aberant, ut mox tibi aperiam hæc in hac parte sic maneant ne iam inceptam intercidam. Rem igitur præpositam sequar scilicet probationem partium nostræ deffinitionis. Etenim quo'd morbus Gallicus in genere malæ temperaturæ iocinoris primo sit nemo sane' ex his scriptoribus quos uiderim negat, immo omnes recte' sentientes constanter, & sine esitatione hoc affirmant; quod etiam in processu rationibus ostendam. Quo'd si aliqui hanc præternaturam temperiẽ uel in corde primo, uel in cerebro ponant, qui profecto non desunt, ii tota aberrãt uia, cum primo in medicorum uia tantum iecur generet, seu præparet humores pro totius corporis nutrimento, neq; a' parte alia primo materiæ facientes accidẽtia morbi deciduntur, (ut sunt, dolores, pustulę, tumores, exulcerationes, depillationes, & aliæ) quam a' uenis. Quæ uenæ ab iocinore hauriũt, per uirtutem scilicet membrorum attrahẽtem, ut docte dixit Galenus in libello de potẽtiis naturalibus, quod attractum cum nõ ex omni parte probum sit, ac pro mẽbrorum nutrimento congruũ. Virtus ipsa quæ semper in san/

guinis mundificatione intenta est,separat ex non proba materia quæ in sanguine est,& ad musculos primum pellit,uel ad loca alia ubi uenæ deferunt nutrimentum, quæ materiæ si crassæ sint ibi manent,& faciunt musculorum,& aliarum partium grauedinem,atque uoluntarii motus quandam in potentiam, siue difficultatem,ita ut ægre brachia attollantur, cruraque moueantur,uel reliqua membra. Etenim hoc accidens à primis diebus infectionis apparere cõsueuit,quippe cum fiant pigriores, & obtusiores in sensibus, & ut uerius dicam in omnibus operationibus animalibus,tam extrinsecis,quàm intrinsecis, nutrimento nimirum sic affecto,& à membro qui eget nutritione ab epate attracta.Neque propterea, ut quidam dixerunt (& male) dicere oportuit mineram in cerebro esse, & ab ipso materia primo decidi ad alia membra,cũ hoc neque rationi consentaneum sit,neque sensibus conformet, ut mox paulo inferius tibi aperiam,ubi dixero quid in dissectionibus cadauerum hominum mortuorum,qui dum uiuerent patiebantur morbum Gallicum,sæpissime uiderim.Non tamen negarem ego aliquã materiam à cerebro descendere,quæ non potuit à calore capitis regulari,cum primo à iocinore non probe præparata fuit (quoniam ut dixi) iecur refrigeratum sanguinem non probũ præparat,& etiam quoniam sua iam dicta occulta qualitate per consensum cætera membra inficit,ita ut membra ab ipso iocinere infecta minus quam pro sui natura potest suum nutrimentum assimilare,cum iam in secuuda concoctione, quæ in iocinore est non perfectam acceperit concoctionem, sicque cerebrum,uel membrum aliud si ab ipso materiæ aliquæ ad augendum aliquod morbi Gallici accidens mittantur,nõ propterea cerebrum,uel illud membrum est prima causa,sed causa fouens,uel cum causa dici debet,quoniam si affecta sunt alia mẽbra,à iocinore quidem afficiuntur (& ut dixi) iecur primo refrigeratum malum alimentum aliis parat, quòd non potest ab aliis membris,& uirtutibus corrigi.Nam nec prima coctio à secunda,nec secunda à tertia,nec tertia à quarta concoctione corrigitur.Quare si materia in aliis membris cum priori admiscetur cum causa erit, & non primaria (ut aiunt)causa. Ex dictis habes cerebrum non esse causam primam,ut quidam putant,sed si aliquid mali ab ipso cerebro proderit,id erit quoniã

uiciatum per consensum,& aliis causis (ut uidisti) est, immo cætera omnia membra uiciata sunt, si morbus conualuit. Sed non primo. Verum magis errant quam priores, qui dicũt a' uiciato corde, primum hunc morbum esse, cum neq; a' princip io morbi, neq; in processu ea accidentia quæ in uiciato corde ab aliqua mala temperie appareant. Quod si quid etiam cor, uel contenta in corde patiantur non per se primo patiuntur sed p cõsensum a' iocinore illud habent. Porro' non difficile' est ostẽdere hæpar primum malam temperiem frigidam pati si quis eius operationes uiciatas, enumerauerit, & modum naturæ mundificãtis uiciatum sangninem, ut sæpissime dixit Galenus præsertim in libello de attra bile, & primo de usu partium. Nã si temperatura præternaturam calida esset proculdubio in talibus plurimum humoris biliosi gigniretur, sicq; cum natura mundificans sanguinem, cum humorem sequestraret, sequerẽtur primo, & herpetes, & erysipelata, & aliæ infectiones cholericæ, quod uel nunquam, uel raro' in principio morbi huius uisum est. At si in aliquo tales biliosæ dispositiones apparuerint, non ex primaria materia morbi, sed ex accessoria aliqua, non a' dispositione prioris morbi, sed ab aliquo regimine calfacien te, uel ex alia causa corpus inflamãte, aut ex cõplicatione alicuius alterius morbi calidi, siue ille fuerit febris, siue alia pternaturam dispositio. Porro' morbus Gallicus, cum aliis etiam ægritudinibus non raro' complicatur, ut puta cum podagra, uel cũ febre aliqua, ita ut cum sic complicate reperiantur dispositiones ille sane' difficillissime' ad sanandum sunt, ut in meo de febribus magno libro uidebis ex quibus uides temperiem hanc malam quod ad actiuas qualitates refrigerationem quandam esse, hoc nempe' atestantur omnia accidentia quæ a' primario morbo prodeunt, ut est febricula quædã lenta si acciderit, quoniam non semper accidit, quæ horis uespertinis accedere in talibus consueuit, calor cuius minime acris ne mordax est, sed similis satis calori quottidianæ, sine siti, & in reliquis quoq; accidentibus quottidianas febres sequentibus ualde conformis, & hoc quoniam pendet a' materia in maiori parte pituitosa putrescente: quo'd si aliquando febres in istis aliæ uise sunt, tales quidem febres non a' materia morbi putrescente, sed ex aliorum humorum peccãtium abundantia, uel qualitate, pro ho-

minum regimine, & aliis fuerunt. Similiter & dolores qui primo apparent grauatiui sunt, & tales (ut dixi) quod uix brachia attollere, & crura mouere possunt, dolentque ut plurimum horis uespertinis usque ad trestertias noctis partem inclusiue, diuidendo noctem in quatuor partes, neque ubi loca dolent rubra sunt, uel ad tactú calét, sed potius frigent, præsertim si morbus antiquatus fuerit, quod frigus sæpe non percipitur à manu Medici tangentis, ueruntamen æger ipse refert in illam partẽ obtusum sensum habere, & nullo modo caliditatem excedentẽ in ea parte sentire. Neque te uolo id querere quod quidam ex nostris senioribus Medicis quærunt, cum sane absurdum sit. Etenim hic Medicus ubi sunt dolores, uel à morbo Gallico, uel ab aliqua alia causa sæpe manum ad locum doloris apponit qui non percipiens ibi caliditatem, aut frigiditatem offendentem manum, sed membrum in eius superficie æquale in dictis qualitatibus, fatetur ex ægri relatione dolores ibi esse, quoniam negare non potest, & nihilominus non esse in membro malam tẽperiem pertinaciter affirmat, ingnorans malam temperiem in intimis partibus esse, siquidem fieri potest, & defacto sæpissime fit, ut pars aliqua intrinseca calefiat, uel refrigeretur, ut puta uelamen tegens os, aut musculus aliquis profudior, quæ calfacio, uel refrigeratio dolorem ea in parte excitabit, non tamẽ illa qualitas quæ in profundo detenta est poterit superficiem membri (ut est cutis) uel calfacere, uel refrigerare, ita quod à manu percipiatur. Quare satis est audire languentem de dolore querentem, & ex accidentibus quæ dolorem insequuntur malam temperiem diiudicare ipsum dolorem & eius causam, (ut causa exempli) si acuitas, & uehementia doloris fuerit à calida causa prouenire, si uero grauedo, & extensio à frigida prouenire affirmare operæprecium erit, ut docte docuit Galenus tertio de locis affectis circa finem. Ex his igitur affirmare necessarium est, doloris morbi Gallici, cum sint extensiui, & minime acuti, uel pongitiui, à frigida temperie, cum materia tamen prouenire, quæ sane materia non semper humor pituitosus exquisitur est, sed sæpe habet alios sibi admixtos humores in minori quantitate, & qualitate tamen. Ita ut à superbundãti materia pituitosa nominari debet. Quo'd si aliqua acuitas in doloribus aliquando percipiatur illa certe per admixtione humoris

moris acri est, & non a prima materia, hoc idem testantur tumores, seu gumositates quæ dum aperiuntur sunt plene materia pituitosa lenta crassaq́; & fere exiccata, hoc idem in pustulis cernes si superficiem auferes etenim materia quæ in medio, & fundo residet alba lenta, & uiscosa adderens est, quanquam in suma cute pustulæ rubeant, uerum ut tibi quod paulo antea pollicitus sum declarare: ostendam, audi quid pluries uiderim. Equidem plures homines mortuos in hospitalibus secaui, qui uiuentes morbo Gallico laborabant, in quibus uenæ per uniuersum corpus plene erãt materia pituitosa alba. Quæ pituita in quantitate lõge superabat sanguinem, & loca etiam dolorosa madebant eadem materia pituitosa, immo in aliquibus omnes lacerti madebant ista iam dicta materia, & uenæ quoq; (ut dixi) replete erant illa materia. Et hi sunt, qui cum maximo labore sanantur, quibus conducit decoctum ligni indici, cum uino, de quo in tuis petebas, an conduceret patientibus morbum Gallicum decoquere lignum indicum, cum uino & etiam si ex usu esset, modum præparandi, & bibendi, postulabas, sed de hoc in processu ad te omnia scribam. Erunt igitur quæ dicta sunt, satis hac in parte, in qua digressus sum, uidelicet declarasse ratione, & experimento malam temperiem hæpatis, quam morbum Gallicum uocant esse ex refrigeratione, qua iecur plurima materia pituitosa abundat, non tamen exquisita, sed admixta etiã aliquibus calidis, & siccis humoribus, ut sunt sanguinei, & cholerici, & melãcholici, per quam admixtionem temperies occulta resultat, quæ nõ sine frigiditate manifesta est, & aliquali siccitate, ex quo fit ut p̃ter manifestam qualitatem calidam in curatione per contrarium, necessarium sit quoq; aliquid quod contrarietur per occultam medicaminis qualitatem, ut docet experientia de argento uiuo, & de ligno indico sanante hũc morbum sua complexione, præter manifestas qualitates, quod si aliter ab aliquo scriptore, uel etiam te docente audieris, illud fuit quoniam tales claudicantes, & uno solo crure, & illo ualde debile in hac uia deambulant. Videlicet ratiocinio apparenti quodam, sine experimento, quod experimentum est potissimum, & primum in omni ueritatis indagatione, ut testatus est Galenus. Sicq; istis præpositis ad primum quæsitum tibi. Hoc modo respondere icipiam, uidelicet

depilationes quæ pasſim hominibus hiſce tẽporibus accidũt, morbi Gallici ſæpe dicti accidens(ut plurimum,& pro maiori parte) eſſe.Neq; obſtant quæ de Alopetia,& tyria,quæ depilationes ſunt,antiqui ſcripſere,quoniam in illa cauſa eſt materia manifeſta mala præſens ĩ cute ipſa,quæ materia prohibet nutrimentum pilorum eo uenire,ac etiam corrumpit radices pilorum unà cum nutrimento.Sed in depilatione morbi Gallici id in cauſa eſt quod ſuperius dixi,ſcilicet qualitas non naturalis ex admixtione,& alteratione quæ manifeſta non eſt, præter quatuor qualitatum permixtionem manifeſtam, corrumpentes naturam nutrimenti, & hæc eſt ſumma differentia. Scripſit nanque Galenus primo de Medicinis ſecundum locos. Depilationes fieri ex uiciato nutrimento, in quo uero humores uicium fuerit, ex colore cutis dignoſcere docet. Collige igitur ſigna, quæ pasſim in his qui ex morbo Gallico depilantur, & uidebis depilationis cauſas temperiem aliquam frigidam, & humorum lentorum pituitæ non naturalis ateſtantium abundantiam oſtendere, & tametſi alii quoque humores commixti ſint.Prima illa eſt materia cum occulta qualitate, & crasſitie oſtruente meatus, ita ut prohibeat ne deferantur uapores proportionati ad pilorum nutritionẽ,ad ultimas partes corporis,& hęc eſt prima cauſa & uel hoc manifeſtũ eſt uidere ĩ mulieribus,& eunuchis quæ cũ ſint corpora refrigerata carent pilis,& præſertim in barba, & aliquibus aliis locis.Nam in uiris non mutilatis ſi aliquando hoc euenerit,ut ſcilicet priuenť partes aliquæ pilis,ut eſt barba, & aliæ partes,cauſa in iſtis non eſt refrigeratio tantum ſed ſæpe etiam multitudo materiæ obſtruentis meatus per quos fumalis euaporatio tranſire deberet, uel cauſa eſt nimia humiditas dilactans,ſeu relaxans meatus atque uapores craſſando, & eos ad aliam ſubſtantiam conuertentes ita ut non ſit amplius materia generationis,& nutrimenti pilorum. Quare uel non naſcuntur,uel ſi ſunt ex defectu nutrimenti decidunt coadiuuante meatuum latitudine. Neq; prætermitam unum quod plurimum in morbi Gallici depilatione mouet,atq; diſcrimen inter dictas non Gallicas depilationes facit.Et eſt quoniam in Gallica diſpoſitione non ſolum capilos,& barbã decidere uidemus uerum etiam, & palpebras, & cilia qui quidem pili affixi ſunt

in parte ſicca cartilaginea, quæ pars pilos conſeruat. Etenim ſiccitas plurimum ad pilorum conſeruationem, & firmitatem facit, & niſi morbi Gallici humiditas materiæ plurimæ eſſet, utiq; non ita depilarétur. Nam ut dictum eſt hæc materia per uniuerſum corpus ſparſa refrigerat humectat, & obſtuit, atq; ſua occulta qualitate naturales omnes uirtutes uiciat, & inficit. Et cum ex ſui diuerſa permixtione ſæpiſſime coroſiuam, atque caloris particulæ membris affectæ extitiuam qualitatem contrahat. Hinc eſt quod non ſolum decidunt pili uerum etiã cutis illorum locorum quaſi uſta, & corroſa inſpicitur, non tamen arida ex toto, quoniam ſæpe loca depilata madent, & hoc quoniam plurima humiditas abundat, ita ut ſubtumida maniſeſte cutis etiam apparet. Ex dictis potes etiam cauſas corroſionis gingiuarum, & caſus dentium aſignare, quod malum uidimus in quamplurimis laborantibus morbo Gallico, nam cũ ĩ gingiuis, & uenis propinquis reperiatur materia affecta iam dicta mala temperie nõ expoliata a' qualitate corroſiua ex cauſa paulo ante dicta, cum non ſemper ſit ſecundum (ut ita dixerim) unam permixtionem. Dixi enim, quod tametſi pituitoſa ſit, hæc materia a' prædominio ſemper, uel ſæpe, tamen cæteros habet humores uiciatos permixtos, in minoris (ut dixi) parte per quam permixtionem fit diuerſitas, tam in ſubſtantia qua'm in qualitatibus iſtius materiæ. Quoniam ſi humor melancolicus admiſcetur inſpiſſatur, & dura reditur hæc materia. Quo'd ſi ſanguis admiſcetur, non ita dura, ſed mitior efficitur. At ſi cum humore bilioſo corroſiua redditur, præſertim ſi ab aliqua cauſa aduſta facta fuerit bilis. Etenim ex permixtione bilis, cum pituita fit humor ille præternaturam quem pituitam ſalſam uocant. Qui corodit exulcerat, atq; pruritum excitát, ſecũdũ maioré, & minoré permixtioné, & bilis aduſtioné. Adde etiam quo'd pituita, ſine permixtione, ſi ab aliqua cauſa aduratur ſalſa efficitur, atq; corroſiua. Quibus ſic ſtantibus ſi iſte humor ĩ aliqua parte corporis detineatur quod facile' erit cum ſit lentus obſtruens meatus, & ex obſtructione impediat nutrimenti tranſitus ad membrum, & quoq; ſpiritus facientes ad naturales opationes, facile ſequunt hæc omnia. primo coroſio, & exulceratio ſi ĩ moli aliquo membro (ut eſt maxilis) fuérit deinde nutrimenti defectus, & ultimo membri, ſiue partis

corruptio, ex defectu spiritus qui sunt instrumēta naturæ. Ex dictis igitur causis casus dentiū, & corrosio gingiuarū in morbo Gallico nostris temporibus eueniunt. Dicta itaq; ad primū quæsitum satisfecisent tibi puto, & forte ad fastidium usq;, ex nimia, atque prolixa naratione, sic expostulante causa anceps, & ex omni parte plena discēsionis inter doctisimos medicos, sed ad id quod petis secundo loco uenio; & erat an morbus Gallicus aliquando cum podagra, siue alio articulari affectu assoⲴciaretur. Dico nullam in hac re uidere repugnantiam, cum nō solum doloribus podagricis, & reliquuorum articulorum ueⲴrum, & cum febribus, atq; particularibus quamplurimis præⲴternaturam affectibus complicatur, & à capite incipiēdo (gratia exempli) aliquas enumerabo complicationes, nam sæpe cum hoc morbo cæphalea, & ophtalmiæ complicantur, & anⲴgine, & tussis, dysinteriæ, & aqua intercus, & plurimi (ut dixi) præter naturam affectibus, qui tibi notissimi sunt. Neq; quod dictum est repugnat aliqua ex parte rationi, & antiquorum diⲴctis, cum pulcherrime Galenus in libello de mala temperatura diuersa tales complicationes ostenderit. Et quod ita fieri poⲴtest declarat, ut si iecur hominis cholerici qui laborat morbo Gallico, habeat, etiam quod ex malo regimine, & ex sui natura & proprio temperamento bilem multiplicet, & ex aliqua cauⲴsa factis obstructionibus in naturalibus membris, & ex prohiⲴbita respiratione putrescat bilis, hic incidet in tertianam feⲴbrem, & hoc modo erit mala seu præter naturam temperies diuersa, prima quidem illa quæ ex gallica dispositione ex refrigeratione, altera uero à putredine calfatiente quæ caliditas, corⲴdi comunicata febris dicitur, Neq; mirari te uolo si dixerim in uno & eodem membro caliditatem & frigiditatem præternaⲴturam esse, nam quod dictum est, nō implicat stante diuersitaⲴte partium, ut puta si in iocinore diuersitates temperaturæ possibilitatem assignare uoluerimus, dicemus iecur habere, partē sue substantiæ superiorem, quam gibbum hæpatis uocant, & partem inferiorem quam cauum dicunt, habet & uenarum substantiam diuersam à carnæ hepatis, quæ etiam uenæ distinⲴctè sunt secundum sui ortum, tametsi coniungantur in ipso. Quare compartes sint plures, & distinctè potest una pars caleferi, uel à contento humore, uel à uicinis partibus, & uenis

ubi

ubi materia putrescit, uel per quas uapores calidi ad cor deferuntur, altera tamen parte aliquomodo refrigerata remanente, uel si etiam ingeniose speculaberis, dices qualitates contrariæ in summo in eodẽ subiecto minime esse posse, sed remissę & refractæ, & ad aliquod temperamentum homini non naturale reddate non repugnabit, quod facile etiam persuadetur si unam earum in solida parte, & alteram in humoribus esse affirmemus. Ego tamen, & hoc, & illo modo fieri posse non negabo, cum sciam etiã humores permixtos esse qui (ut aiunt) sunt temperamento diuersi. Nam sanguis calidus, & humidus est. Melancholia uero frigida, & sicca. Similiter pituita frigida, & humida dicitur, bilis autem calida, & sicca, & tamen hi humores simul sunt, & comiscentur, atq; manent quod fit quoniã in istis qualitates primæ non sunt in summo, ut in elementis, sed sunt remisse (& ut ita dixerim) cõplexionales, quæ possunt simul esse in uno subiecto tanquam in composito corpore, ut in exemplo de massa humorali uides. Respectu tamen diuersarum partium mixtarum, aut continuatarum. Quibus sic declaratis, hæc satis erunt ad secundum quæsitum, quod fuit an alii morbi, & affectus præternaturam, quales sunt dolores podagrici, possint morbo Gallico associari, uel è contrario, uidelicet an morbus Gallicus possit aliis ægritudinibus, & affectibus præternaturam cõplicari. Postremo quod te desiderare à me scribis est, an morbus Gallicus, qui in præsentia homines molestat mitior factus sit quam antea fuerat, cui quæsito sic respõdeo, accidẽtia morbi omnimodo diuersificata esse, testimonio sensu, non propterea primus morbus in mutatus est. Sed si aliqua diuersitas apparet illa referenda est i regimine hominum, & aeris extrinsecis contactu, atq; corporum supercelestum influxu, & etiam ex resistentia ex parte passi, qui iam assueuit in tali aere, & influxu super celestium corporum degere, & uitam ducere, ita ut etsi iecur inficiatur, ex diuersitate tamen regiminis, & admixtionis aliorum humorum, & ex aeris, atq; corporibus super celestibus in fluxu, ac etiam ex assuefactione minora sequuntur accidentia. Venio modo ad quartum, quod petebas, & est regula quæ obseruanda est, ab illis qui decoctum ligni ex uino bibunt, & etiam quibus ex usu sit talis potus, & aliis cũ ipso ligno in decoctione permixtis, uel additis. Et quo-

que qualis debet esse modus decoctionis,& regula quantitatis sumende,quæ omnia sic breuibus tibi declarabo.Porro primũ corpus a superfluitatibus comunibus euacuare operæpreciũ est,hoc uero fit,& sanguinis missione,&medicinis,cę teros humores educentibus,ut in meo de morbo Gallico libello fusius scripsi.Post quam corporis mundificationem,Ex usu erit decoctum ligni indici ex uino i morbo Gallico antiquo,in quo cætera remedia minime superfluam materiam remouere,& regulare membra affecta potuerunt,ii uero sunt qui iam malum habitum per uniuersum corpus contraxerunt,& etiam qui doloribus continuis cruciantur,& habentes tumores nodosos,siue gumositates duras,atq; ulcera maligna antiquata. Neq; ex omni parte,potus decocti ligni indici ex uino cum aliis rebus additis morbo Gallico nouo salutaris est medicina, cum nondũ natura materiam pituitosam crassam, cum sanguine permixtam præparauerit,ita ut possit ad uias ductuum natura eã dirigere,& extra corpus per aliquam conueniẽtem regionem pellere,nam ut scripsit Hippocrates primo aphorismorum errant qui materiam crudam, & non præparatam mouere, & educere tentant,præsertim quando non est effrenata. Modo cum decoctum ligni,cum uino,& aliis rebus soluentibus naturam moueat,& educat per secessum,atq; ad alias regiones dirigat cum sit calidum,& prouocatium urinæ, & sudoris, mouet cum ipsa materia cruda, etiam materiam quæ secundum naturam optima est,sicq; fit permixtio boni,& mali humoris, qui non educũtur nisi cum labore,& difficultate,atq; cum maxima naturæ noxa. Quæ res non est in communi decocto ligni indici ex aqua fontis sola: Imo hoc decoctum sic paratũ est medicina idonea,satis tẽperata ad præparandũ materiã in iocinore,& uenis,in qua nõ est facta ultima malitia.partibus subtilioribus resolutis quæ i ea materia sic,& si cruda,& frigida sit eget nimirum temperatis, & non excedentibus in actiuis qualitatibus.Et tametsi ita sit (ut dixi) non propterea potus decocti ligni indici ex aqua morbum Gallicum nouum facile,cito,& optime sanat,perinde ut faciunt illinitiones,& alia auxilia quæ non ita prouocant, & aperiunt, a principio. Quare in morbo nouo siquis cum decocto dicto sanari desiderat operæpræcium est prius corpus exinanire uenæ scilicet

apertione,& medicinis uentrem soluentibus, deinde leue decoctum ægro propinare,aut leui inunctione iuncturas inungere,aut ambobus remedii leuibus,&sẽsim uti.Istis te i primis præmonitum,uides quando,& in quo decoctum ligni ex uino dare secure posfit.Quare detur si dare expedit facta prius corporis mundificatione secundum ægri exigentiam deinde, decoctum ligni indici ex uino quo'd antiquo morbo conducit sic præparetur.℞.ligni indici cum suo cortice ĩ puluerem redacti libram unam aquæ fontis libras.viii.uini albi montani optimi non dulcis,libras.iii.misce, & maneant simul per horas. xxiiii.deinde pone ĩ cacabo lapideo ad ignem lẽtum, ut buliãt ad consumptionem tertiæ partis,& cola. Quo'd si fortiorem potum desideras, buliant ad consumptionem medietatis.De quo ægrotans sumat calido mane in aurora ad pondus sex unciarum,plus minusue', secundum tolerantiam assumentis. Et quinq; horis post accipiat prandium. Similiter & horis uespertinis post prandium sex,aut septem horis, totidem dicti decocti calidi bibat,& cœnet quatuor,aut quinq; horis post,& hæc est medicina satis temperata. Cibus sit parcus ex pane fermentato,&optimis carnibus,& passulis,qu: passule nũquã dimittẽdæ sunt in morbo Gallico,nisi aliquod accidẽs prohibeat,nam passulæ in iocinoris affectibus mirum immodum conducunt. Bibat etiam uinum pauciferum parce dilutum ex secundo decocto,quo'd decoctum secundum fit, si super lignum quod semel decoctum fuit,ponatur aquæ fontis libræ decem, & iterum buliant ad consumptionem tertiæ, & coletur. Componunt quoq; lignum cum aliis rebus,& simul buliunt,cum uino & aqua,& est medicina fortis,& ualida,quæ non debet administrari nisi in corporibus fortibus,& robustis.Nam debilibus & excarnatis,tam ex propria natura,& temperamento, qua'm ex diuturnitate,& malitia morbi, uel ex ætate plurimum nocet,quoniam in talibus decoctis ingrediuntur medicinæ,quæ pluris modis corpora debilia exiccãt,& extenuant,nam & cortes ligni indici si ponatur in notabili quantitate plurimum, & ualenter exiccat.Similiter & medicinæ quæ uentrem soluunt, ut est colochitides,& aliæ. Et quoniam non uno modo solum decoctum tale faciunt,ideo diuersas alias (decocti ligni ex uino,& aliis) descriptiones,hic subscribam.Et primo decoctum

ligni indici, ex uino prædicto fortius sanans morbum Galli/cum antiquũ,& dolores,tumores,ulcera,& alios affectus præ/ternaturam in eo morbo ℞.ligni indici in puluerem redacti li/bram unam corticis ipsius uncias.iiii.Aquæ fontis libras.x.in fundantur omnia simul horis. xxiiii. deinde buliant in cacabo lapideo ad consumptionem tertiæ,& in fine addentur,yuæ ar/teticæ,betonicæ,stœcados,camelei,hypericonis añ. manipu/lum unum radicis calami aromatici,& galange añ. unciam se/missem,radicis artenitæ unciam unam buliant iterum bulitio ne optima, deinde adde uini albi montani optimi non dulcis libras.v.& iterum buliant bulitione optima.Postea cola,& co lacturam serua de quo decocto detur mane in aurora,& uespe ri ante cœnam uncias sex,plus minus ue, secundum assumen/tis urgentem necessitatem,& tolerantiam.Cibus autem sit(ut dixi supra) ex optimo pane fermentato,& ex carnibus pullorũ gallinaceorum,& aliis iuuenibus animalibus, ut sunt hædi, & uituli, qui cibus sumatur quinq; horis post potum decocti: Potus sit secunda ligni decoctio, quæ fit si supra prædicta quæ prius bulierint iterum pones aquæ fontis libras.x.uini monta ni nõ dulcis libras.v.& buliant ad cõsumptionem tertiæ. Alia descriptio fortis quæ ualet in morbo antiquo, cum doloribus apostematibus,& ulceribus ℞.ligni indici in puluerem redacti libram unam ciperi,calami aromatici, stœcados, yuæ arteti/cæ, polipodii añ. unciam semissem,colochintide dramas tres. Vini albi montani non dulcis libras.xxxvi.confundãtur simul per diem,& noctem,deinde buliant in labete lapideo ad con/sumptionem tertiæ partis,& cola,de quo decocto patiens sum mat mane in aurora ad uncias.iii.usq; ad sex,secundum uirtu/tem patientis,& morbi magnitudinem, de qua decoctione si morbus fortis fuerit,& uirtus ægroti tolerauerit, detur etiam uesperi ante cœnam.Comedat parce quinq; horis post (ut di/xi) optimas carnes,& bibat uinum permixtum aqua decoctio nis cinamomi.Alia descriptio decocti ligni idici fortior supra dictarum, & ualet in morbo antiquo difficili, cum doloribus apostematibus, & ulceribus ℞. ligni indici in puluerem reda/cti uncias.viii.corticis eiusdem ligni uncias.iiii.uini albi mon tani non dulcis libras.xx.infundantur per diem,& noctem, de inde buliant in labete lapideo,ad consumptionem tertiæ, lẽto

igne,

igne,& colletur,& collatura reponatur in uase uitreo, uel lapideo uitreato, cui collaturæ adde foliorum senæ puluerizatæ, hermodactilorum,añ.uncias.ii.& dimitte sic simul manere,de quo decocto sumat ægrotus bis in die calido mane uidelicet, & uesperi ad quatuor uncias usq; ad.vi. plus minus ue pro uirtutis,& morbi exigentia. Vnum tibi animaduertendum est, quod cum quis exquisite aluum subducere desiderat, si concutiat,uas,in quo hoc decoctum seruatur,ita ut agitata decoctione permisceatur pulueres senę,& hermodactilorum,melius sic permixtum suducet aluum, sed si ad præparandã materiam ad euacuationem bibere uoluerit, satis erit, sine aliqua agitatione eam bibere. Plures alias descriptiones decocti ligni indici possem tibi anotare quæ consulto præterire decreui, ne ex nimia longitudine orationis sim tibi tedio,cum omnes modi decoctionum unam habeant intentionem, secundum magis, & minus tamen, nam plurimi sunt qui lignum, & alia simplicia cum solo uino decoquunt,& exibent ægrotis, sed in hoc prius omnia perpendẽda sunt,uidelicet,temperies,sexus,ætas, anni tempus,& uires ægroti.Notabis etiam quod non omnes sanantur in determinato numero dierum, ut credunt uulgares, & promittunt empirici medici,sed quidam paucioribus,& quidã pluribus diebus egẽt ad perfectionem curæ, & hoc secundum morbi pertinaciam,& ægroti robur,nam sæpe uisæ sunt depilationes durasse,per unum,& alterum,& tertium,etiam annũ, quæ à nullo genere medicamentorum sanari potuerũt etiam si per plurimos menses uno,uel diuersis remediis usi sint. Sed statutum tempus quod omnibus non sine ratione conuenire potest,est spacium. xxxx. dierum, quod spacium, & terminus est medius inter acutas,& chronicas ægritudines, uel ut dixit Galenus comento. xxii. secundi Aphorismorum,est spacium acutorum morborum qui in quadraginta diebus iudicantur. Ratio uero cur sit quod decoctum ligni idici ex uino cum aliis iam dictis rebus, magis morbo antiquo pertinaci conducat, quam nouo, est quoniam uinum melius distribuit uirtutem ligni, & aliarum medicinarum ad uias iocinoris primum, deinde ad omnes alias partes corporis,& præter hanc distrubutionem habet quoq; caliditatem manifestam, & humiditatem quæ qualitates contrariantur morbo, & plurimum uirtutem

ligni adaugent,ita ut maiorem dissolutionem faciant ubi iam materia lenta uenis,& musculis,& aliis partibus nostri corpo/ris adheret.Hæc satis sint ad curam per decoctum ligni ex ui/no in uniuersum.Reliquum est ut ea remedia quæ ad depilatio nes,& casus pilorum,ac ad gingiuarum rosionem,& casus den tium conducunt memorem. Prohibet in primi casus pilorum regimen cibi & potus,uidelicet comedendo ea quæ boni succi sunt,atq; intercidendo quantitatem in moderatam,& omnem superfluum quouis modo,præsertim abstinendo a' putrescibi libus,& iis quæ sunt duræ concoctionis,ut sunt uiscosa omnia & male substantiæ,qualia sunt carnes ueteres,caseus,& olera, ut caules eruca,& similes herbæ,hoc quod dixi etiam de fructi bus,& pisibus intelligere oportet:Similiter acria omnia inter dicantur,ut sum aromata,& salita,legumina,& aleum,& cepæ, & similia.Deinde post regimen,maxima cautella,& præcau/cio in casu pilorum est expurgare corpus a' malis humoribus, & superfluis,qui in hoc morbo (ut sæpe dictum est) sunt hu/mores pituitosi lenti permixti aliis humoribus præternaturã, sed in his in quibus pili decidunt pituita salsa est ex permixtio ne bilis. Quare sic procedendum erit,ubi plurima humorum abundantia fuerit præsertim sanguinis mali,& ætas,& uirtus, & tempus anni consentiunt.Primum aperiendo uenam in bra chio,quam iecoriam uocant,& sanguis euacuetur secundum materiæ exigentiam,& uirtutis tolerantiam. Nam missio san/guinis omnes humores euacuat, post sanguis euacuationem præparentur humores alii ad euacuationem, istis syrupis (ut gratiam exempli ℞.syrupi de fumoterræ simplicis, uel compo/siti secundum exigentiam materiæ pituitosæ cum cholera per mixte,unciam unam mellis rosati unciam semissem.Aquarum lupulorum scabiose añ.unciam unam, & semissem, qui syrupi sumantur mane in aurora per aliquot dies. Et apparente con/coctione in urinis euacuentur humores dicti cum apropriatis uerbi gratia ℞. electuarii lenitiui, hieræ pichræ añ. dragmas. vii.Decoctioni epithimi mesue uncias.iii.misce, & fiat potus, & sumatur mane quinq; horis ante prandium.& quoniam ma teria crassa est,quæ non potes unica euacuatione educi. Ideo iterum dentur syrupi fortiores ad præparandum,ut puta syru/pus,de epithimo de stœcados,& similes, & iterum euacuentur

humores,cum electuario lenitiuo,& hiera cōposita qualis est hiera colochintidos,uel hiera pachi descriptione scribonii largi,& dissoluantur cum decocto epithimi mesue.Corpore a' superfluis,& malis humoribus euacuato conducit membra particularia a' quibus pili decidunt roborare,ut puta in casu capillorum,& pilorum barbæ utatur lixiuio ex cineribus, leuibus qualis est cinis ex lignis mirti,iuniperi,pini,lentisci, & similium,in quo lixiuio buliant pineæ,a' quibus nuclei iam extracti fuere,& quoq; folia mirti,abrotani,rosarum,& similia.Et post lauationem leniantur loca a' quibus pili ceciderunt, aliquo unguento ex infrascriptis,quæ plurimum ualent ad regenerationem pilorum cum decidunt, & primo ℞.faui mellis cum apibus suis,uncias.ii.pinguedinis ursi uniam unam ,abrotani puluerizati unciam semissem, misce,& tandiu ducantur in mortario donec perfecte' comisceantur, & ad formam linimenti reducantur,atq; bis,uel ter in die caput,& alia loca depilata liniātur.Et cum lauare caput,uel barbam necessum fuerit lauentur suprascripto lixiuio,Aliud unguentum quod prohibet casum pilorum facitq; pilos oriri ℞.succi mirtilorum, succi abrotani aā.unciam unam olei sisamini laudani aā.unciam unam, & semisse,spicæ unciam semissem,buliant lento igne donec ad formam unguenti redigantur.Ad idem plurimum conducit decoctum ligni indici,cum uino,& melle,& laudano ad spisitudinē mellis redactum,cum quo uniuersum caput,& barbam made fiat,& cum lauare oportet lauetur dicto lixiuio aliud unguentum optimum ad depilationem ℞ . laudani optimi unciam unam olei de abrotano quantū satis erit,ut redatur ad formam linimenti,& hoc fiet diu cum pistello imortario ducendo.Item aliud unguentum eiusdem uirtutis ℞.laudani papaueris nigri,muscarum,faui mellis aā.unciam unam,pinguedinis ursi quantum' satis erit,fiat ex eis linimentum in mortario,ut supra.Animaduerte quod cū uti uolueris hoc linimento, oportebit lauare loca depilata bis in die,mane uidelicet, & uesperi, cum decoctione rosarum,mirtilorum,senæ,abrotani aā. manipulum unum,redicum canæ minutim incisarum manipulos. iiii. quæ omnia buliant in lixiuio non forti. Valet etiam decoctum lapatii,mirtilorum, abrotani, absintii,& melliloti, cum aqua fontis calibeata,si caput & loca depilata lauentur. Plura

equidem uir doctisfime alia fcripfiffem, ut tuis peticionibus fpeculatiuis, & praticis fatisfacerem, fed quoniam ad doctisfimum uirum medicum fcribo, cui in re medica nihil non notū femper iudicaui, Hæc fatis erunt, dimittēs quibus remediis podagra medetur, nam hæc tibi notisfima funt, & ab antiquis omnia clare', & copiofe' fcripta fuere, præfertim a' Galeno, & Principe Auicenna. Vale igitur, & me ut fcribis amare non definas. Venetiis. M. D. XXXVIII. Die. XX. Maii.

AD EXCELLENTISSIMOS DOCTORES Medicos D. Petrum Beroaldum, & D. Paulum a' pago. Epiftola. XXXI. De ulcere profondo. dolorofo, & corrofiuo, cum maxima inflamatione, & puftulis circum.



ATEOR Me plurimum tibi Excellentisfime Paule debere, ac nihil quidem effe, quod tibi negare posfim: teq; etiā Petre Beroalde uir doctisfime, ob tuam integritatem femper amare. Nunc, cum ex literis tuis mi Paule rogas, ut uobis fignificare uelim quid de effentia ægritudinis nobilis cuiufdam ægrotantis fentiam, ac de modo curandi ipfam quod ut uobis fatisfaciā libenter id agam. & primum, ut fcribitis uir nobilis ætatis. 7c. annorum, complexionis fanguineæ, ac cholericæ a' fubdómio, ut moderniores quidam dicunt, malis, & plurimis humoribus plenus: hic die quarto Februarii cœpit ægrotare morbo communi, & fingulari, fcilicet apoftemate paruo in collo prope nucam, ad quantitatem unius ciceris, cum crufta quædam quod tandem octo dierum fpacio fuppuratum fuit, ita ut pus exierit, deinde auctum eft poft fex dies ad magnitudinem nucis unius, circa quod apparuerunt, qua'm plurimæ puftulæ, quæ & ipfæ fanie (ut audio) plenæ erant. Deinde ad ulcus amplisfimum poft multa, tum per expertisfimos chirurgos, tum etiam per Excellentisfimos Medicos adhibita, deuētum eft, cū maxima quantitate (non dixero faniei) fed fanguinis corrupti. Iftis omnibus diligenter perpenfis, dico magnificum Virū

apo

apostema calidum passum esse,id quæ de genere malorum apostematum,quod carbonem uocant,testimonio Galeni secundo ad Glauconem,& Auicennæ tertia quarti.Qui quidem carbo fit à sanguine malo crasso usto.Dicebat namq; Galenus loco præallegato,cum uero sanguis influens calidus sufficienter extiterit,& crassus,quodcunq; membrorum subito occupauerit,hoc comburendo facit crustam.Quicquid uero circumiacet in inflammatione leuat,& seruescentem, grauemq; dolorē infert.Vocatur autem carbo huiusmodi passio, cum uero sanguis influens niger extiterit,crassusq;,ac feculentus, ac feruēs talis quem ante diximus,simulq; humiditates tenues nonnullas habuerit,ad motas pustulas quasdam per summa cutis excitat similes iis quæ ex igne fiunt,quibus disruptis crustosum ulcus sub ipsis inuenitur,etiam hoc carbo est,inflamationis quædam species.Hæc sunt uerba Galeni quæ uolui recitasse, ut uestræ Excellentiæ uideant quantum ægrotanti magnifico quadrent,neq; me ægere amplius testibus de essentia prioris ægritudinis credo.Sed si ea,quæ de cācro (ut dubitatum fuit) doctisſimi,tum antiqui,tum etiam moderni scripserunt, huic affectui accomodare uoluero, proculdubio non conueniunt. Quod autem in præsentia hominem molestat, ac Excellentias uestras timidas reddit, est ulcus dolorosum cum quamplurimis pustulis, ac maxima inflammatione circa ipsum, ita ut neq; digestum,neq; benignum sit,sed potius serpēs, profundum,ac non expoliatum à duritie quadam, & reliquiis sanguinis mali adusti,qui fuit materia prioris apostematis.Quæ omnia cum egeant regimine medicinali, quibus nam scilicet remediis necessarium sit uti,meam sententiam in tali ulcere cōplicato,maligno à me secundo loco petiistis. Quæ ut uobis morem geram,tametsi omnia notisſima proculdubio esse credam ea breuisſimè explicare conabor,præmisso in primis regimine aeris,& aliorum,præsertim cibi,& potus,qui cibi omnino ad frigiditatem temperatam,& aliqualem siccitatem declinare debent,etsi ratione febris,humidæ dietæ conueniant, nihilominus,cum carbones à materia uenenosa,& pestifera fiāt & ulcus indigeat exicatione aliqua,id melius esse uidetur (neque instruere mineruas cogito.) Quare cum sit plethoricum corpus,ac malis humoribus plenum hominem euacuatum se-

cundum indigentiam a uobis in primis diebus fuisse non dubito, & etiam alterantibus, siue digerentibus syrupis quotidie usum esse, & quoque cum quotidiana secum inferioris uentris expurgatione clysteribus, uel alio ingenio exinanitum. Quod si uirtus fortis fuerit, mea esset sententia ipsum euacuare pharmaco benedicto, uerbi gratia cum Reubarbaro infuso in decoctione fructuũ, & electuario Diacatholicone, uel casfia, aut syrupo rosato solutiuo, ita ut sine molestia uéter expurgaretur. Quibus præsuppositis, & factis ad ulceris curam aggredior, quod cum habeat sibi dolorem complicatum, præter alias cõplicationes, ab ipsa doloris sedatione incipiendum erit; quæ cũ sit duplex, scilicet per amotionem causæ, uel per anudyna siue dolorem mitigantia, ab ipsis anodynis incipiendum erit, cum per amotionem causæ id in præsentia fieri non posfit, quoniã non nisi tractu temporis causa amoueri potest, quæ est solutio continui, & mala temperatura, ad quem mitigãdum dolorem, præsentaneum auxilium est, inungere circum circa ipsum ulcus, uidelicet totum collũ, & partes superiores capitis unguento rosato mesue. Nam in eo sunt omnes intentiones, cum remittat caliditatem adustiuam, & sua humiditate mediocri dolorem ipsum mitiget, obtundet etiam acuitatem coloris pungẽtis sua ipsa humiditate. Quare huiusmodi inunctio sæpe fiat in die, & nocte, quod si isto auxilio dolor non leuetur, & iam transactum sit tempus ægritudinum acutarũ, ita ut potius credibile sit huiusmodi dificultatem mitigandi, dolorem prouenire ex crasfitie materiei, & ægere medicamine dissoluẽte sanguinem adustum, fiat igitur inunctio cum oleo rosato recenti, unguento rosato Mesuæ, & unguento dialthea. Mesuæ neque timendum est de unguenti dialtheæ caliditate, quoniam remittitur per olei rosati, ac unguenti rosati admixtionem, & efficitur medicamen dissolutiuum sanguinis crasfi, quod testatur Diuns Mesuæ in propria descriptione dialtheæ unguẽti. quod si adhuc ista inunctione non leuetur dolor, & locus non multum rubeus sit, unge circa locum cum duabus partibus unguẽti dialtheæ, & una olei rosati simul mixtis. At si locus tumidus fuerit, poterit præter prædictas linitiones applicari emplastrum anodynum factum ex istis ℞. farinæ hordei. ℥. iii. de eminibus lini, fenugræci añ. ℥. i. decoctionis foliorum mal-


næ,& radicum altheæ, quantum satis erit,& fiat ex eis emplastrum,& in fine adde olei rosati . ℥ . ii . & extende super pannũ lini,poneq; super locum dolorosum,facta prius superius dicta inunctione,ac positis in ulcere medicaminibus conuenientibus statim dicendis.potest etiam apponi emplastrum ex mica panis,& lacte cum croco, quoniam mitigat dolorem, & facit ad digestionem saniei ulceris. Et hæc de mitigantibus dolorẽ satis uiris doctisfimis,& expertis. Vlcus uero cum sit crudum indiget digestione. Quare ego uellem, quo'd illi expertisfimi chirurgici componerent unguentum digestiuum hoc modo ℞.terebenthinæ lotæ . ℥ . iii . uitellorum ouorum numero.iii. olei rosati . ℥ . S . misce & fiat unguentum & extendatur super lichinia ex fillis facta, & totum ulcus cooperiatur, postea ponant ex isto unguento super pannum (ut uocant) lini, & cooperiatur totum ulcus,muteturq; bis in die,mane scilicet,& uesperi,procedendo sic, donec optima digestio apparuerit,quæ cognoscitur per saniei albedinem,lenitatem, æqualitatem,ac mali odoris priuationem.Quo'd si sordidum fuerit ulcus,habens scilicet partes quasdam corruptas tenaces, mali coloris, & odoris,optimum erit addere in dicto unguento digestiuo, quartam partẽ unguenti ægyptiaci,& plus etiã,& minus,secũdũ maiorem,& minorẽ sordiciei quantitatẽ.Postea mundificetur cum mundificatiuo facto sic ℞.terebenthinæ,mellis rosati añ.℥ . ii . farinæ ordei . ℥ . i . myrrhæ . ℥ . S.misce,& fiat unguẽtum,& ponatur,ut dictum est super lichinia, muteturq; bis in die.Quo'd si aliquæ sordicies fuerint, addendum erit etiam aliquid unguenti ægyptiaci,ut puta ℞.unguenti supra dicti. ℥. i.ægiptiaci . ʒ . i . S.misce.Ac sic procedere oportet usq; ad perfectam mundificationem,quæ cognoscitur per bonitatem carnis,& paucitatem saniei uiscosæ. Et quoniam, ut audio ulcus cauũ est,ac profundũ,& indiget medicaminibus carnem regenerãtibus,ideo post mũdificationẽ administrare oportet unguentũ basilicõ Domini Mesuæ,quod non sit cũ pice,sed cũ pice græca.At si medicina magis regeneratiua carnis opus fuerit,addantur in dicto unguento besilico myrrha,sarcocolla,& cortices olibani, & similium, ut uerbi gratia ℞. unguenti basilici.℥ . ii.myrrhe,sarcocollæ,corticum olibani añ. ℥ . ii.misce & fiat unguentum quo utendum est,quo'd si hoc unguentum

carnem non regenerabit, quoniam ratione senectutis comple/xio sicca nimis fuerit: ut medicina siccior efficiatur, potest ad/di. 3. i. uiridis æris in ipso unguento. Sic erit optima medici/na in regeneratione carnis, quam regenerationem in senibus difficillimã esse credidit Trusianus Monachus tertio artis par/uæ Galeni. Postremo ea conueniunt, quæ figillationem, siue ci/catricem faciunt loco deperditæ cutis, quæ minime ex senten/tia Galeni regenerari potest. Quare ultimo loco procedatur, cum unguento triapharmaco, uel cum isto ℞. unguenti tria/farmaci, ceroti de nimio añ. partes æquales misce, & fiat unguẽ/tum quo utendum est mutando bis in die, scilicet mane, & ue/speri. Et quoniam ulcus corrosiuum, & deambulatiuum ano/tatum fuit, ad prohibendum deambulationem, & corrosio/nem, quæ ambo ex nimia caliditate proueniunt, ideo inunge/re oportet circa ipsum ulcus, cum unguento isto ℞. unguen/ti de lithargirio nutrito de cerusa camphorati, rosati Mesuæ añ. ℥. i. misce, & fiat unguentum in mortario. Istud enim un/guentum sua frigiditate, & siccitate remittet, caliditatem, acu/tam, ac humiditatem Putrescibilem in membro detentam cor/riget. Possem & multa alia, tam ab antiquis, quàm à moder/nis scripta remedia annotare, quæ etiam facillime in libris me/dicorum apud doctissimos, doctores inueniri possunt. Ideo ea silentio pertransire uolui breuitati studens, & hæc tantum quæ experta, & rationi consentanea scribere, ut facilius uir nobilis per ea pristinam sanitatem acquirere ualeat. Sed quo/niam Galenus, ac princeps Auicenna locis allegatis præponit uenæ apertionem tanquam necessariam ad perfectionem isti/us curæ, & Galenus loco allegato adamussim conditiones mo/dosq; mitendi sanguinem enumerauit. Ideo si uirtus esset for/tis, cum complexio, & corporis habitudo consentiant, tametsi ætas aliquomodo dissuadet, ac anni tempus, si dolor non remi/titur ex superioribus iam dictis auxiliis, ulcusq; malignetur, ac putridum, & corrosiuum efficiatur, meum esset consilium ue/nam cephalicam eiusdem lateris aperire ad quantitatẽ, quàm uirtus tolerare possit. Ac etiam locum circum circa ulcus sagi/tella scarificare, ita ut sanguis malus, qui iam in membro acu/bit per propriam loci euacuationem egrediatur, semper tamẽ remedia exicantia, ac dolorem mitigantia apponendo: ex qui/

bus

bus inter cætera laudauit Galenus loco allegato emplastrum ex farina orobi, & oximelite, ac uino dulci, uel acerbo, secundũ maiorem, & minorem loci putredinem. Postremo si his omnibus administratis, minime tamen sanitatem habere possit. ultimum auxilium dixit Galenus, & nos sæpe illo experti sumus, est cauterium actuale, scilicet exiccare locum ulceratum, ac sordiciem remouere ferro cãdenti ignito, quod enim ignis non sanat (dicebat Diuus Hyppocrates) nihil sanat, & Auicenna cap. de cauterio dixit cauterium esse medicamen ualde nobile, quod ualet ad prohibendum exparsionem corruptionis, & ad corrigendum membri complexionem malam, atq; ad corroborandum uires ipsius; & ad dissoluendum materias malas in ipso membro detentas, & etiam ad sanguinis fluxum sistendum. Quare cæteris non conferentibus ad cauterium actuale deuenire necessarium erit. Hæc sunt quæ pro temporis angustia breuiter in casu per literas ad me uestras scriptas respondere potui, multis negotiis medicinalibus impeditus. Deus ipse maximus uia, salus, & ueritas dirigat omnia secundum ueram salutis uiam, sanitatemq; largiri dignetur. Valete. Venetiis. M. D. XXXIX. Die. XXV. Februarii.

AD EXCELLENTISSIMVM DOCTOREM D. Antonium de Cotiis, Sancti Seuerini. Epistola. XXXII. Epitome totius dialecticæ.



ETIS A me Carissime Antoni, ut ad te scribere uellim principia illa Compendiosa Dialecticæ, quæ alias tibi dum esses Venetiis declaraui: quod etsi mihi graue sit, quippe qui plurimis corporis laboribus omne fere tempus conficio, ut uix pusillum temporis ad scribendum supersit: ut tamen me tibi gratificer, & aliqua ex parte tuis in me officiis satisfaciam præmissa longiori præfatione, quæ tibi præsenti iam uoce exposui sic literis explicare incipiam. Dialectica est ars, & uia, siue diligẽs differendi ratio, quæ docet uerum a falso ratiocinando cognoscere, ut sæpe me audisti: quæ diffiniendo, diuidendo, & argumentando perficitur, nam tunc deffinire dicunt dialectici, cũ

aut rei essentiam exponunt, aut nomen describendo interpretantur. Diuidunt autem cum membra, aut partes enumerant, sed argumentantur quando aliam conclusionem ex præmisis rationibus deducuntur. Ea uero quæ à dialectico deffiniri primum solent, sunt dictiones, seu termini (ut ipsi aiunt) Præpositiones, & argumentum. Deffiniunt terminum in primo ordine sumptum sic. Termini sunt partes simplices præpositionis, quæ aliquid omnino significát, uel terminus est, in quẽ resoluitur propositio, uel termini sunt ex quibus propositiones, seu orationes constituuntur, ut exempli causa, Deus, homo, Animal, Beatus, Fœlix, Miser, Sapientia, Prudentia, Auaritia: & uerba etiam terminos uocant, ut sum, lego, & ræliqua, qui quidem terminus duplex esse dicunt, uidelicet, comunis, & discretus. Comunis est, qui sub una uoce plura significat, aut significare potest, ut homo, scientia, & similes. Discertus est, qui sub una uoce unum significat, uel significare potest, ut Petrus, Ioãnes, Maria, & similes. Sunt & quidam termini, qui dicuntur signa uniuersalia, & quidam qui dicũtur signa particularia. Vniuersalia sunt, ut omnis, quidlibet nullus, nemo, & similes. Particularia, ut aliquis, quidam, alter, & similes. Præterea ex terminis constituentibus propositionem tanquam principales partes sui, quidam dicitur subiectum, quidam prædicatum, & quidam copula, seu coniunctio, ut in hac propositione, Antonius est Medicus: subiectus quidem terminus in hac propositione est Antonius, & est ante copulam, prædicatus uero est Medicus, & est post copulam, sed copula erit uerbum est, quoniam alterum, cũ altero coniungit & (ut aiũt Grammatici est prima) uel secunda, uel tertia pars, seu persona singularis, aut pluralis indicatiui modi: uerbi, sum, es, est. Sæpe tamen nõ omnes tres partes explicantur in propositione, sed intelliguntur, ut si dicam Aristotiles docet, hic tãtum subiectum, & uerbum exprimitur prædicatum implicitum est in uerbo, quod cognoscere potes si uerbum docet, resolues per uerbum sum, es, est ac etiam participium, & dicas, Aristotiles est docens. At termini qui signa particularia, & uniuersalia dicuntur, ut omnis, nullus, Aliquis, quidam, & similes termini, nec subiectum, nec prędicatum primum esse possunt. Propositio autẽ est oratio indicatiua, & perfecta, ex terminis constituta significans aliquid es

se,aut non esse,seu significans uerum,aut falsum, sine ambiguitate,ut homo est animal,& lapis est asinus: sicque dicimus propositionem,aut ueram,aut falsam esse, uera est illa,quæ rem sicuti est significat,ut in exemplo,homo est animal. Falsa est illa,quæ rem significat alio modo quàm sit,ut in exemplo,lapis est asinus.Ex dictis propositionibus quædam est enunciatiua simplex,uel ut dicunt logici categorica, & quædam coniuncta,quàm Græci hipotheticam uocant.Categorica,siue enunciatiua,est otatio una,ex subiecto,prædicato,& copula, ut Deus est omnipotens:quæ propositio,uel est uniuersalis, uel particularis,uel indefinita,uel singularis.Vniuersalis propositio illa est, siue affirmatiua, siue negatiua fuerit, cuius subiectum est terminus, siue dictio communis cui additum est signum uniuersale, ut omnis homo, est animal, nullus homo est animal.Particularis est illa,quæ siue affirmet, siue neget, tantum particulariter ponitur,& subicitur terminus communis determinatus signo particulari, ut quidam Homo est medicus, & quidam Homo non est medicus. Indeffinita est illa quæ sine nota paritatis,uel particularitatis,tam affirmando, quàm negando profertur,uel est illa cuius subiectum sumitur absque ullo signo,ut Homo est animal,Homo non est animal. Singularis uero est illa quæ indiuiduum aliquod determinat, aut per proprium nomen,aut per commune addito pronomine demõstratiuo,& hoc tam affirmando,quàm negando, ut Antonius est medicus,& hic Homo est musicus,uel negando,ut Antonius non est medicus,& hic Homo nõ est musicus.Præterea propositionum categoricarum,alia est affirmatiua, & alia negatiua.Affirmatiua illa est quæ pronuntiat, aut constituit aliquid adesse subiecto,& illi attribuit,ut Homo est rationalis. Negatiua est illa quæ demit aliquid à subiecto,& proprie admouet prædicatum,ut Homo non est rationalis. De propositionibus etiam quæruntur tria,uel tres sunt interrogationes, uidelicet quæ sit,quanta sit,& qualis sit propositio. Cum uero quæritur quæ sit propositio,quæritur an categorica,an hypothetica sit, & cum quæritur quanta sit,quæritur an uniuersalis, particularis indeffinita,uel singularis sit,sed cũ quæritur qualis sit quæritur an affirmatiua,uel negatiua sit.Porrò propositiones quæ categoricæ dicuntur quædam cum aliquibus conueniunt, &

quædam non conueniunt, conueniunt nempè tribus modis uno quidem si sint eiusdem quantitatis, aut qualitatis, ut puta si una fuerit uniuersalis alia etiã uniuersalis sit, similiter si una affirmatiua sit, & alia affirmatiua esse debet, pari modo de negatiua dicendum est. Secundo conueniunt propositiones quãdo consimiles subiectum, uel prædicatum habent, ut Animal est substantia, Homo est substantia, & animal est uiuens, Homo est uiuens. Tertio conueniunt quando sunt similes, tam in subiecto, quã'm in prædicato, ut aliquod animal est risibile, aliquod animal non est risibile, Non conueniunt propositiones quæ diuerse, tam in subiecto, quã'm in prædicato sunt, ut Homo est animal, lapis est substantia, & similes. Sunt etiam quædam mutationes ĩ propositionibus, quas conuersiones uocãt, & est quotiens subiectum in prædicatum, uel prædicatum in subiectum conuertimus, quo'd fit dupliciter, hoc est, uel simpliciter, uel per accidens, simplex conuersio est quando mutatur subiectum in prædicatum, & prædicatum in subiectum manente in utraque propositione ea met quãtitate, & qualitate, ut omnis Homo est risibilis q̃ cõuertitur, hoc modo, omne risibile est Homo, & quidam Homo est resibilis, quodam risibile est Homo. Sed conuersio per accidens non ex omni parte sic fit, nam conuertuntur per accidens propositiones quando mutatur subiectum in prædicatum, & prædicatum in subiectum remanente in utraque propositione eadem qualitate, sed uariata quantitate, & hæc fit tantummodo in duabus propositionibus, scilicet in uniuersali affirmatiua, & in uniuersali negatiua, quæ cõuertuntur in particularem suæ qualitatis, ut uerbi gratia in affirmatiua, si dixeris omnis Homo est risibilis conuertitur per accidens dicendo, quodam risibile est homo. Similiter & uniuersalis negatiua conuertitur, ut nullus Homo est lapis, dicendo, quidam lapis non est Homo, per hanc eandem conuersionem conuertitur particularis affirmatiua, & indeffinita & singularis. Illud tamen animaduertendum est, quod in particulari negatiua non fit conuersio propriè, & hoc quoniam posset uera propositio in fal'am conuerti, ut in hoc exemplo, quodam animal non est Homo, eius cõuersio esset, quidam Homo non est animal, & quoniam falsa est conuersa ideo non debet talis propositio cõuerti. Præterea etiam quæ dicta sunt in pro

positioni

positionibus, quæ faciunt ad cognitionem ueritatis, & falsitatis operæprecium est scire quomodo inter se propositiones, uel pugnent, uel conueniant, unde sciendum est in propositionibus cōcordantibus in simili subiecto, & prædicato esse quatuor oppositiones, uidelicet, contraria, sub contraria, contradictoria, & subalterna. Contrarie itaq; sunt duæ uniuersales, quarum altera est affirmatiua, & altera negatiua, ut dicendo omnis Homo est animal, & nullus Homo, est animal, hæ uere nūquam simul uere esse possunt. Attamen falsę esse possunt, præsertim si ambe sint in materia contingenti, ut omnis Homo est medicus, nullus Homo est medicus, iste sunt contrarie, & falsę cum sint contingentes, subcontrarie sunt duæ particulares quarum altera affirmatiua, & altera negatiua est, concordantes in subiecto, & prædicato, ut quidam Homo est animal, & quidam Homo non est animal, hæ quidem simul uere esse possunt in materia contingenti, in materia necessaria (ut in exemplo) si altera est uera, altera falsa est. Contradictorie opposite sunt uniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, uel uniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, ut omnis Homo est animal, quidam Homo non est animal, uel nullus Homo est animal, quidam Homo est animal, hæ uero ita inter se discordāt, ut nunquam simul, aut uere, aut false esse possunt. Sūt etiam contradictorie particularis affirmatiua, & negatiua, aut duæ singulares, ut Petrus est Homo, Petrus nō est Homo. Subalterne postremo sunt, & uniuersalis affirmatiua cum sua particulari affirmatiua, & uniuersalis negatiua, cum sua uniuersali negatiua, quæ non discentiunt, sed sunt, uel simul uere, uel simul false, ut omnis Homo est animal, aliquis Homo est animal, & in negatiua, ut nullus Homo est animal, & quidam Homo non est animal. Præterea sciendum est quod duo extrema in propositione categorica sunt subiectum, & prædicatum, à quibus fiunt denominationes bipartite in propositionibus, dicendo quod propositio categorica quædam est de extremo disiuncto, & quædam de extremo copulato. Categorica de extremo disiuncto est illa, i cuius subiecto, uel prædicato ponūt terminum, uel notam disiunctiuam, ut Homo, uel Lapis, est animal, uel sic, Homo est animal, uel Lapis. Categorica de extremo copulato est illa in cuius subiecto, uel prædicato ponunt

terminum,seu notam copulatiuam, ut Homo & Asinus, sunt animalia, uel dicendo, Homo est,& medicus, sed animaduerte quod aliquando categorica est de utroque extremo, uidelicet disiuncto,& copulato, & aliquando alterum extremorum est disiunctum,& alterum copulatum(ut uerbis dialecticorum utar) & ne oratio nimis in epistola protogetur,hæc de categorica satis dicta sint.Et hypotheticam sic persequar, quæ ex pluribus categoricis constat.Est itaq; propositio hypothetica oratio,quæ ex duabus,aut pluribus categoricis,uel simplicibus tāquam principales partes sui constat,coniunctione omnino aliqua,uel aliquo æquiualēte simul uniēte,ut Homo est animal, & terra est immobilis,hanc uero Latini suppositoriam, & conditionalem uocant,& sunt sex spetie,uidelicet.Copulatiua, disiunctiua,conditionalis,rationalis,temporalis,& localis.Quæ tamen ad tres restinguntur hoc pacto, quoniam constituitur per conexionem,uel per disiunctionē,rursus per comexionem uel per copulationem.Porrò per copulationem fit, ut ea quæ copulatiua cōiunctione conectitur.Et per conexionem, ut ea quæ per quandam coniunctionem duarum, aut plurium una fit.Sed ut melius itelligas enumerabo omnes secundū sex priores modos, quorum primus est copulatiuus.Copulatiua itaq; est illa in qua sunt due categorice coniuncte per particulam copulatiuam,ut Homo est animal,& animal est substantia.Disiunctiua est illa in qua sunt due categorice unite per coniunctionem disiunctiuam,ut Homo est animal, uel substantia est ens.Conditionalis est illa in qua due categorice coniunguntur per notam,seu particulam conditionalem,ut si Homo currit,animal currit.Rationalis est quando due propositiones categorice coniunguntur per particulam igitur,uel ergo, ut dicendo animal currit ergo mouetur.Temporalis est illa in qua due categorice coniuncte sunt,cum aliqua particula tempori deseruiens,ut Homo sanus est quando omnes operationes incolumes apparent.Postremo localis est illa quæ habet duas categoricas coniunctas,cum aliqua particula locum describente ut ubi est dolor ibi morbus est.Et quoniam dialectica:ueritatem in sermone,& falsitatem in eo cognoscere,docet,ideo non sine emolumentum notabis, ad hoc, ut copulatiua sit uera, est necessum ambos categoricas ueras esse, quapropter in

hypothetica quando aliqua categoricarum est falsa, dicitur falsa secundum illam partem, ut dicẽdo, Homo est animal, & Homo est asinus, & cum secunda propositio sit falsa dicitur ista copulatiua falsa tota, quoniam habet unam partem falsam. Sed ut disiunctiua sit uera sat est aliquam earum propositionum esse ueram, ut dicẽdo, Homo est animal, uel asinus non est lapis. Sicq́ patet quod si in disiunctiua una pars sit uera tota uera esse dicitur propositio. At ad eius falsitatem quod omnes sue propositiones sint false necessarium est, ut si dixero Homo est irrationalis, uel lapis est animal. Ad ueritatem uero conditionalis oportet ut antecedens esse non possit sine consequenti, ut tu es Homo, ergo tu es animal, quod uerum erit, si consequentis opositum repugnet antecedenti, & eius falsitatem cognosces si opositum consequentis stare posit, cum antecedẽte, uel quod antecedens possit esse sine consequente, Adhuc sciendum est quod omnis propositio, uel est necessaria, uel possibilis, uel impossibilis, uel contingens. Necessaria illa est, quæ taliter uera est ut aliquomodo falsa esse non possit, ut Deus est omnipotẽs, Deus est bonus, Deus est causa causarum, Homo est rationalis & similes. Possibilis est illa quæ ad utrunq́ se habet, uidelicet, quæ potest esse, & nõ esse uera, ut Homo erit medicus, Homo non erit musicus. Sed animaduerte quod illud potest esse, est presens, & significat rem in præsentia sic esse non possibilis nisi de modo, quoniam de esse fato est necessaria, quod si futurum denotet est possibilis. Impossibilis est illa quæ rẽ significat eo modo quo minime esse potest, ut dicendo Homo est lapis, uel Homo non est animal. Contingens est illa quæ potest esse, ut quoniam alias ita fuit, sed tamen non est necessarium, ut scolaris erit doctor, & puer erit uir. Et eodem modo in reliquis, & quoniam propositiones fiunt ex uocibus, siue terminis qui habent quosdam gradus, quibus communiores terminos a minus communibus discernuntur. Quare eas uoces, & gradus enumerare post istas plurimũ ex usu erit. Quiquidẽ gradus in primis sunt quinq́, uidelicet, genus, species, differẽtia, propriũ, & accidens, genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie, & species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, & differentia est quæ prædicatur de pluribus, & est constitutiua certam speciem, & facit eam ab aliis differre,

Proprium est id quod uni tantum conuenit, alteri uero minime, ut risibile homini tantum proprium est. Accidens postremo est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, uel est quod per se, nec in se existere potest. Sunt & decem præterea prædicamenta quæ uoces simplices existunt, & rerum omnium principia denominant, & sunt hæc uidelicet substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, situs, quando, ubi, & habitus. Dialectici uero qui uoce, seu propositionibus res exprimunt dicunt substantiã esse per se subsistentem, & alio non egẽtem. Quare dicunt uoces quædam substantiam significare in qua substantia cætera nouem prædicamenta inherent, uerbi gratia, ut hic Homo, species, & genera. Post primã, & secundam substantiam est & uox quantitatem significans, & est id per quod substantia mensuratur, ut linea, superficies, & corpus & aliæ, quæ continue quantitates dicuntur, est etiam, & discreta quãtitas, ut numerum, & similes. Qualitas uero est, id quod unumquodq; secundum, illud quale dicitur, ut album, nigrum, musicus, & medicus, & similes. Relatio autem, seu ad aliquid est id quod eius esse ad alterum refertur, ut Pater ad filium, Dominus ad seruum. Actio quidem est id quod agere significat. ut calefatio, frigefatio, uel calfacere, & refrigerare, sed Passio est illatio, siue affectus actionis, ut calfieri, & refrigerari. Situs uero apositione denominatiuæ dicitur quoniam sic stare dicitur à tali statione, ut sedere, iacere, & similes. Porro' quando in tempore esse significat, ut in die esse, uel nocte, uel mẽse, uel anno, & similes. Vbi similiter in loco esse significat, ut in domo in foro, in platea, & similes. Postremo habere est quod extrinsecus aduenieris significat, & minime innatum est, sed est aliud ab ipso aquo habetur, ut habere uestem, esse armatum, & calciatum esse, uel similes, siquidem prædicamenta omnia in primo subsistunt tanquam in alio, & hoc quoniam esse accidentis in substantiua est. De huiuscemodi uocibus, & numero primam laudem Aristoteli tribuunt, sed quidquid de hoc sit mira est prædicamentorum doctrina ad omnes scientias, & artes inuestigandas, & cognoscendas, quod experiri poteris in ægrotis (cum sis medicus) quantum utilitatis ad perfectam cognitionem faciat. Porro' etiam in morbis adamusim cognoscendis ordo prædicamentorum mire conducit, nam cum accedẽs

ad ægrum si per ea discures proculdubio nihil ultra excogitari poterit, quæ ad perfectam morbi cognitionem faciant, & hoc ut in primis substantiam eius excuties, & tametsi morbus accidens sit in proprie tamen substãtiam morbi Medici sæpissime dicunt. Quam substantiam cognosces si primum quid sit morbus inuestiges, uidelicet an sit mala temperies, mala compositio, uel unitatis solutio, deinde quãtitatem inuestigare operæprecium erit, an scilicet magnus, paruus ue sit. Tertio quod inuestigãdũ uenit est qualitas, ut si mala fuerit temperies, an sit febris, & an malimoris, uel nõ, uel alia. Quarto est ralatio an ꝓportionata, uel nõ ꝓportionata, uel similis, uel dissimilis alteri sit. Quinto ubi sit primo, nã mala tẽperies, quæ febris dicit̃ primo i corde est. Sexto quãdo, uidelicet i quo anni tẽpore quibusq; horis affligit, uel in q̃ ætate. Septimo, quæ sit caloris actio, & quid efficiat. Octauo quæ sequantur in ægro, & quæ sit tolerantia. Nono & si situs non proprie ad morbum attineat. Situs etiam morbi naturam sæpe ostẽdit. Similiter de abitu dicendũ quod & si non ad morbi cognitionẽ faciat qualia sint indumenta, uel corporis totius, uel unius membri, ut puta capitis. In cura tamem plurimum prodest. Ex his sane colligere potes, quã utilitatem afferat prædicamentorum cognitio, & enumeratio in optima rerum indagatione. Sed quoniam sæpissime sapientes una pro alia uoce uti solent, ideo suppositiones Dialectici sic declarant. Suppositio est quando unam uocem pro alia ponunt, uel sic supponere est una, pro alia uoce ponere. Et sunt plures, nã quædã dicit̃ materialis, & quædã formalis, q̃ formalis diuiditur in formalem propriã, & impropriã, propria deinde, in simplicem, & personalem, & personalis diuiditur i discretam, & communem, communis postea in determinatam, & cõfusam, sed confusa in confusam collectiuam, & confusam non collectiuam. Collectiua deinde in confusam tantum, & confusam distributiuam. Vltimo confusa distributiua diuiditur in absolutam, & accomodã. Has uolui enumerare suppositiones quoniam sæpissime in disputationibus dialectici, & sophiste illis utuntur. Hactenus mi antoni de simplicibus propositionibus quæ tanquam elementa argumentationum existunt dixi. Nunc de ipsis argumentationibus, ut omnia habeas quæ ego tecum locutus sum, cum aderas scribam. Et primum te scire

oportet argumẽtationem esse aggregationem ordinatam propositionum, ex quibus institutam, seu quæsitam cõclusionem colligere licet, ut Homo est animal ergo est sensibile. Sunt autem species argumentationis quatuor uidelicet Syllogismus, Enthimema, Inducio, & exemplũ. Sunt & præter has probationes, postea demõstrationes de quibus aliqua tibi ẽt breuissimæ anotabo. Primum sic de Syllogismo. Syllogismus est oratio in qua ex duabus propositionibus præmisis in debito modo, & figura, necessario conclusio sequitur, ut omnis Homo est animal, omne risibile est Homo, ergo omne risibile est animal, præmissæ sunt duæ primæ propositiones, tertia quæ sequitur est conclusio. Primam propositionem Dialectici maiorem, secundam minorem uocant, ex istis conclusio sequitur. Quæ tertia non est Syllogismi pars, sed sequens ad Syllogismum. Porro in Syllogismo tres termini, seu uoces sunt, uidelicet maior, & minor extremitas, & medius terminus. Maior illa est quæ tãtum in prima propositione ponitur. Minor est, quæ in secunda tantum ponitu r. Mediusuero terminus est, illa dictio quæ ĩ utraque pronuntiatur, uel est illa quæ bis ante conclusionem ponitur uidelicet semel in maiori, & semel in minori extremitate, sicq; duæ sunt propositiones cum medius terminus bis exprimitur. Quo'd si ex pluribus, quam tribus terminis constet Syllogismus proculdubio ille uiciosus erit. Præterea terminus medius nunquam in conclusione ingreditur, cum cõclusio ex maiori, & minori extremitate fiat, ut in hoc Syllogismo uidere potes, uidelicet, Homo est animal, Frãciscus est Homo, ergo Frãciscus est animal, ad hæc notabis quod ex conclusionibus quædam sunt directe, & quædam in diricte, directa est illa in qua maior extremitas prædicaẽ de minori. Præterea ad hoc ut Syllo gismus bonus sint, operæpreciũ est ut sit ĩ figura, & modo. Figu ra autẽ est debita coordinatio terminorum subiecti ad prædicatum, & sunt tres, & quelibet earum figurarum habet suos modos. Modus autem in figura est congruus ordo termiuorũ, tam in quantitate, qua'm in qualitate. Etenim Dialectici ad faciliorem ordinem quatuor literas uocales posuerunt, quantitatem propositionũ significãtes, & sunt. A. E. I. O: A. uero uniuersalem affirmatiuam significat. E. uniuersalem negatiuã. I. particularem affirmatiuã, O. particularem negatiuam, præter

has omnes, obseruare etiam oportet in omnibus figuris in genere, has quinq; leges. Prima quidem est, quod in quocunq; Syllogismo ex præmissis omnino aliqua sit uniuersalis, & hoc quoniam ex solis particularibus non fit uerus Syllogismus. Secunda est quod aliqua ex promissis sit affirmatiua, non enim ex solis negatiuis proba sequitur cõclusio. Tertia est quod si aliqua ex præmissis fuerit particularis, conclusio quoq; particularis erit, non tamen si aliqua fuerit uniuersalis sequitur conclusio uniuersalis. Quarta est quod si conclusio negatiua fuerit necesse est, ut aliqua præmissarum negatiua sit, & e contra, si affirmatiua fuerit. Vltima est quod in nulla figurarum medius terminus in conclusione ingreditur. Sunt autem figuræ Syllogismorum tres, & modi decem, & nouem, & continentur carminibus quibusdam a neotericis dialecticis, tum ad memoriam, tum ad faciliorẽ doctrinam excogitatis, & sunt hæc Barbara, Celerent, Darii, Ferio, Baraliptõ, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo. Ferison. In una quaq; istarum dictionum, sunt ex quatuor dictis litteris uocalibus (quæ paulo ante dicta sunt) una ter, uel bis, uel semel posita, uel sunt duo, uel tres, uel omnes quatuor, quæ denotant quantitatem propositionum unius cuiusque Syllogismi, in una quaque figura, ut uidebis paulo post eos omnes enumerando. Prima quidem figura est illa in qua subiectum in maiori propositione est prædicatum in minori, & illa dictio quæ bis ripetita est, & non ingreditur conclusionem, erit terminus medius, ut omnis Homo est animal, omne risibile est Homo, igitur omne risibile est animal. Modi uero istius primæ figuræ sunt nouem quorum quatuor directe cõcludunt quinq; reliqui in directe. Primi quatuor directe concludentes continentur in primis quatuor dictionibus dictorum carminum uidelicet, Barbara. Celarent, Darii, Ferio. Etenim primus qui in dictione Barbara continetur in qua. A. litera uocalis ter ingreditur denotans quod talis Syllogismus habet duas præmissas uniuersales affirmatiuas, & conclusionem pariter uniuersalem affirmatiuam, quæ per tres uocales literas in hac dictione deprehenditnr, ut omne animal est substantia, omnis Homo est animal, ergo omnis Homo est substantia, in hoc exemplo uides quomodo con-

cluditur conclusio uniuersalis directa, ex præmissis uniuersa-
libus. Secundus modus, qui in dictione Celarent, continetur,
quæ dictio habet i prima syllaba. E. uocalem, & in secunda. A.
& in tertia iterum. E. hic modus fit ex præmissa maiori uniuer
sali negatiua, & ex minori uniuersali affirmatiua, quæ conclu-
dunt uniuersalem negatiuam, ut nullum animal est lapis, om-
nis Homo est animal, ergo nullus homo est lapis. Tertius mo-
dus continetur in dictione, Darii quæ dictio habet in prima
syllaba. A. & in secunda, & tertia. I. fit in eo Syllogismus ex ma-
iori uniuersali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua,
quæ concludunt particularem affirmatiuam, ut omnis Homo
est animal, Franciscus est Homo. Igitur Franciscus est animal.
Quartus modus in dictione, ferio, in qua. E. est in prima sylla-
ba, & in secunda. I. & in tertia. O. ex quibus Syllogismus fit, ex
maiori uniuersali negatiua, & ex minori particulari affirma-
tiua, concludentes particularem negatiuam, ut nullum ani-
mal est lapis, Franciscus est animal, ergo Franciscus non est
lapis. Modi uero quinque primæ figuræ, indirecte concludentes
continentur in quinque dictionibus subsequentibus, uidelicet,
Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum, Bara-
lipton habet tres primas uocales quæ faciunt præmissas Syllo
gismi indirecte concludentis ex duabus præmissis uniuersali-
bus affirmatiuis facientibus conclusionem particularem affir-
matiuã ut omne animal est sensibile, omnis Homo est animal,
ergo quodam sensibile est Homo. In quarta uero, & ultima syl
laba istius dictionis Baralipton, est. O. uocalis quæ litera nõ
debet aliquo modo ad formandum Syllogismum, & in ducẽdã
cõclusionẽ ponderari, quoniam adiecta est ad carminis metrũ,
hoc idem dicendũ est in alii dictionibus quæ plures quã tres
uocales iã dictas habẽt, ut uides in dictione frisesomorũ, qm̃ tã
tũ tres priores enumerari debẽt, Celantes habet tres uocales, i
prima syllaba est. E. in secunda. A. in tertia iterũ. E. fit in hac di-
ctione Syllogismus ex maiori uniuersali negatiua, ex minori
uniuersali affirmatiua, q̃ cõcludũt uniuersalẽ negatiuã, ut nul-
lum animal est lapis, ois Homo est animal, igit̃ nullus lapis est
Homo. Dabitis, habet primã uocalẽ. A. & duas sequentes. I. &
ideo Syllogismus in hac dictione cõstat ex maiori uniuersali af
firmatiua, et minori particulari affirmatiua cõcludentibus par

ticula

ticularem affirmatiuã,ut omne animal eſt ſenſibile, Homo eſt animal,ergo quodá ſenſibile eſt Homo. Fapeſmo, habet.A.E. &.O.uocales & idcirco Syllogiſmus ex hac dictione cõſtat ex maiori uniuerſali affirmatiua, & minori uniuerſali negatiua, quæ concludunt particularem negatiuam,ut omne animal eſt ſubſtantia nullus lapis eſt animal,ergo quædá ſubſtantia non eſt lapis. Friſeſomorũ,ĩ hac dictione ſunt tres primæ uocales. I.E.O.quæ denotant Syllogiſmum conſtare ex maiori particulari affirmatiua,& minore uniuerſali negatiua,concludẽtibus particularem negatiuam,ut quidam Homo eſt animal, nullus equus eſt Homo,ergo quoddam animal non eſt equus. Ex dictis in hac prima figura uides duas conditiones quarũ prima eſt quod in ipſa concluduntur omnes propoſitiones uidelicet uniuerſalis affirmatiua,& uniuerſalis negatiua.Particularis affirmatiua, & particularis negatiua. Secunda eſt quod medius terminus in maiori propoſitione eſt ſubiectum, & in minori eſt prædicatum.Hi uero quinq; modi in directe concludentes reducuntur ad primos quatuor directe facientes concluſionẽ, ſi eos probare, & bonos oſtendere uelimus.Etenim Baraliptõ ad Barbara reducitur per conuerſionem concluſionis per accidẽs,Celãtes ad celarẽt cõuertitur, ſi cõcluſio couuertatur ſimplici conuerſione, Dabitis ad Darii conuertitur ſi concluſio ſimpliciter conuertatur,Fapeſmo ad ferio reducitur conuertẽdo maiorem extremitatem per accidens, Friſeſomorum ad ferio etiam conuertitur ſi maior conuertatur ſimplici conuerſione.At ſecunda figura continet quatuor modos directe,& negatiue concludentes,& in ea fit Syllogiſmus in quo medius terminus qui in maiori propoſitione eſt prædicatum etiam in minori prædicatum eſt,& ĩ omnibus ſuis Syllogiſmis maior uniuerſalis eſt,ut nullus lapis eſt animal omnis homo eſt animal. Igitur nullus homo eſt lapis. Quatuor etenim modi declarantur in quatuor dictionibus iſtis, uidelicet,Ceſare, Cameſtres, Feſtino,Baroco.Primus quidem modus tres uocales habet,ſcilicet.E.A.E.quæ denotant fieri in ea Syllogiſmus ex maiori uniuerſali negatiua,& minori uniuerſali affirmatiua, facientes concluſionem uniuerſalem negatiuam, ut in morali hoc exemplo,Nullum uicium eſt uirtus,omni iuſtitia eſt uirtus ergo nulla iuſtitia eſt uitium.Secũdus uero modus exprimitur p

dictionem cameſtre,& habet.A.E.&.E.literas uocales ex quibus Syllogiſmus fieri denotat ex maiori extremitate uniuerſali affirmatiua,& minori uniuerſali negatiua, quæ uniuerſalem negatiuam concludunt,ut omnis Homo eſt animal, nullus lapis eſt animal.Igitur nullus lapis eſt Homo. Tertius modus cõtinetur in dictione feſtino quæ habet.E.I.O.literas uocales,& ideo facit Syllogiſmum ex maiori uniuerſali negatiua,& minori particulari affirmatiua conclndendo particularem negatiuam,ut nullus lapis eſt Homo,Franciſcus eſt Homo,ergo Fráciſcus non eſt lapis.Q uartus in hac ſecunda figura modus ,ſignificatur per dictionem Baroco in qua ſunt uocales literæ. A.O.O.denotantes Syllogiſmum ex uniuerſali maiori affirmatiua,& particulari minori negatiua fieri concludentibus particularem etiam concluſionem,negatiuam,ut omne animal eſt ſenſibile,lapis non eſt ſenſibilis.Igitur lapis non eſt animal. Hi etiam quatuor modi ſecundæ figuræ reducuntur ad proprios primos modos primæ figuræ,hoc modo,Ceſare, reducitur ad celarent ſi maior extremitas per ſimplicem conuerſionem cõuertatur,cameſtre,quoq; ad celarent,reducitur, conuerſa ſcilicet maiore per ſimplicem conuerſioné, & cõcluſionem quoq; per eadem ſimplicem conuerſionem,transponendo tamen minorem extremitatem in maiorem,& maiorem in minorem,Feſtino reducitur ad ferio conuerſa,ſcilicet maiore per ſimplicẽ conuerſionem,Baroco quartus modus iſtius figuræ reducitur ad Barbara,p in poſſibile, etenim reducũt Dialectici,ad ĩpoſſibile accipiẽdo oppoſitũ cõcluſionis unà cũ altera præmiſſarã & ex his mutatis inferunt oppoſitum alterius præmiſſe. Tertia poſtremo figura continet ſex modos qui habẽt terminum medium ſubiectum,tam in maiori,quàm in minori extremitate,& ſemper faciunt cõcluſionem particularem, & eius minor extremitas affirmatiua eſt.Dictiones in ea ſunt hæc, Darapti, Felapton,Diſamis,Datiſi,Brocardo,Feriſon.Primus uero modus,Darapti,habet literas uocales. A.A.I.Et ideo Syllogiſmus in eo fit ex maiori uniuerſali affirmatiua, & minori uniuerſali affirmatiua concludentibus concluſiónem particularem affirmatiuam,ut omnis Homo eſt ſubſtantia,omnis Homo eſt animal.Igitur quodam animal eſt ſubſtantia. Secundus autẽ modus habet dictionem Felapton quæ continet .E. A. O. literas

uocales, & ideo eius Syllogismus formatur ex uniuersali maiori negatiua, & minori uniuersali affirmatiua, atque conclusione particulari negatiua, ut nullus lapis est uiuens, omnis lapis est insensibilis, igitur aliquod insensibile non est uiuens. Tertius modus qui habet dictionem Disamis, in qua sunt uocales. I. A. I. fit in eo Syllogismus ex maiore particulari affirmatiua, & minori uniuersali affirmatiua, concludentibus particularem affirmatiuam, ut quidam Homo est substantia, omnis Homo est animal, ergo quodam animal est substantia. Quartus habetur in dictione Datisi quæ habet uocales literas. A. I. I. & facit Syllogismum ex maiori, uniuersali affirmatiua, & minore particulari affirmatiua, concludētibus particularem affirmatiuā, ut omnis Homo est substantia, quidam Homo est animal ergo quoddam animal est substantia. Quintus præterea modus formatur in dictione Brocardo, in qua sunt tres uocales literæ scilicet. O. A. O. & fit in ea dictione Syllogismus, ex particulari negatiua maiore, & uniuersali affirmatiua minore, facientibus conclusionem particularem negatiuam, ut quidam Homo nō est lapis, omnis Homo est rationalis. Igitur quoddam rationale nō est lapis. Sextus & ultimus modus habet dictionē ferison in qua sunt uocales literæ. E. I. O. in eo autem fit Syllogismus ex maiore uniuersali negatiua, & minore particulari affirmatiua concludētibus particularem negatiuam, ut nullum animal est lapis, quoddam animal est sensibile, ergo quodam sensibile non est lapis. Reducuntur quoque omnes isti sex modi tertiæ figuræ ad quatuor modos primos primæ figuræ. Et primo Darapti reducitur ad Darii conuertendo minorem propositionē per accidens, Felapton similiter reducitur ad ferio si conuertatur minor per accidentalem conuersionem, Disamis ad Darii reducitur si maiorem conuertes simpliciter & conclusionem, etiam, deinde transponas præmissas, ita ut minor efficiatur maior, & maior conuersa per simplicem conuersionem minor deueniat, Datisi reducitur ad Darii minore propositione per simplicem conuersionem conuersa, Baroco tamen per impossibile ad Barbara reducitur. Comodo uero per impossibile reducatur superius declaraui in reductione Baroco, & hæc satis sit de legibus, & modis Syllogismorum, sed ne aliqua ex parte regule dialectices defficiant sequitur, ut de enthimemate, & reli-

quis modis argumentorum subscribam, ordine supra disposi/to. Enthimema igitur est argumẽtationis modus ĩ quo una tã/tũ præmissarũ exprimitur ex qua cõclusio colligitur, uel enthimema, est Syllogismus mutilatus omittẽdo, aut maiorem, aut minorem propositionem, ut omnis Homo est animal, igitur Franciscus est animal, in hac minor deficit, & maior ponitur. Prima propositio dicitur antecedens, secunda dicitur conse/quens. Inductio autem est argumentationis modus, in quo ex multis singularibus, uniuersalis ꝑpositio colligitur, ut Petrus est rationalis, Franciscus est rationalis, Antonius est rationa/lis, & sic de aliis ĩdiuiduis istius speciei, igitur omnis homo est rationalis. Postremus modus argumentãdi est exemplum, per quod arguitur ab uno particulari ad aliquod aliud simile, ut si rabarbarum choleram in Francisco euacuauit, euacuabit quo que choleram in Antonio, & si Franciscus qui legit Galenum medicus euasit, & Antonius qui leget euadet medicus. Et quan quam id quod de enthymemate paulo ante dixi comode ad cõ sequentiarum modernorum argumentandi modum accomo/dari possit, ne tamen aliqua ex parte in rebus communibus modernis Dialecticis tibi defficiam, notabis principia conse/quentie esse antecedentes propositiones à quibus inferuntur conclusiones, in hoc modo argumentandi, & est consequentia quidam modus argumentandi, in quo est antecedens, & conse/quens, cum particula illatiua consequentie, ut homo est ani/mal, igitur homo est uiuens, uel sic dicendo est rationalis, ergo intellectiuus, antecedens est Homo, consequens est animal. Nota illationis est igitur. Similiter, & in secũdo exemplo. Om nes tamen modi Syllogismorũ superius dictorum, atq; Enthi/mematum, inducionum, exemplorum, & consequentiarum si consequentia differt ab Enthymemate probabiliter exponũt, non tamen certam causant scientiam, nisi addantur quædam peculiares proprietates, & leges præmisis propositionibus. Ex quibus sic modificatis fiant scientifice demonstrationes. Ete/nim demonstratio est manifestatio rei ignotæ per aliquod notum, & fit per Syllogismum facientem scire, & ille Syllogis/mus maxime sciencialis est, qui in primo modo primæ figuræ fit, sed cæteri Syllogismorum modi, deseruiunt aliis demõstra/tionibus, quæ non sunt potissime, & ita proprie demonstratio

nes

nes (ut aiunt) Dialectici, enimuero nihil demonstrari potest, nisi ex ueris demonstratio fiat, & hoc quoniam tantummodo uerum contingit scire, & tametsi ex falsis propositionibus conclusio aliquando procedat, illa tamen ex hoc scita non erit, nā ea per quæ scientia in nobis ageneratur, oportet ut sint magis uera, atque magis nota nobis, & ita nota ut sint causæ conclusionis: quoniam causæ sunt priores, & notiores suis affectibus. Item causæ quæ in demonstratione sumuntur (cum scire sit) per causam cognoscere, operæprecium est, ut sint cōclusionis quæsitæ causæ, nam demonstrator semper necesse est, ut ex propriis procedat principiis immediatis, & necessariis, ac etiā quæ sint de omni posterioristico, ut uerbis modernorum Dialecticorum utar, qui dicunt de omni esse quod prædicatur uniuersaliter, & semper de altero, per se. Porro demonstrationes, aut procedunt per causas ad effectum, & dicuntur propter quid, aut per effectum ad causam, & dicuntur demōstrationes quia. Est & tertia uia, siue modus procedendi per comparationem, & fit quando declaramus aliquod equale ingnotum, uel minus notum per suum simile equale magis notum. Demonstratur autem affectus per causam quando demonstratur Eclipsis Lunæ per diametralem interpositionem terre inter ipsam, & Solem, quæ est causa præcisa, & immediata, & hæc scientia sic acquisita dicitur simpliciter, & proprie scientiam. At demonstratur causa per effectum, cum hoc ipso exemplo mutato medio, demonstrando scilicet interpositionem terræ per Eclipsim Lunæ, & ista est demonstratio quia, quæ potest etiam fieri per causam remotam, & mediatam. Sed demonstratio propter qd est processus ad effectum per causam immediatam tantum, quæ uero per equiparationem ostenduntur, topice sunt, ut si Petrus mandata seruans promissione Christi particeps regni Dei factus est. Igitur & nos qui mandata seruamus participes illius regni erimus. Est etiam præterdictos, modus alia utilis argumentandi uia quam græci, topicam uocāt Latini uero localem, enimuero Rectores sæpissime locis utūtur. Quod etsi aliquando hunc modum argumentandi Philosophi usurpant, id tamen non frequenter faciunt. Pergam igitur enumerando diuersa genera locorum quoniam plurimum in artibus, & sciētiis cōducunt. Primum erit locus à maiore ad minus, nam ma-

tus illud est quod maiorem suæ uirtutis probationem habet, sed minus est quod minorem habet, a' maiore ad minus sic ar/gumentatur negatiue, ut si Rex non potest arcem expugnare, igitur nec miles, uel si quatuor gradus caliditatis non potes cā lefacere, minus duo poterit. affirmatiue deinde sic, ut si Rex po test habere centum milites, igitur poterit & quinquaginta ha bere. In hoc autem modo argumentandi requiritur ista condi tio, uidelicet quod magis, & minus semper de uno, & eodem modo ad aliud simile procedat, quoniam non sequeretur, Rex non potest expugnare arcem, ergo nec miles poterit arma fe/re. Argumentatur etiam de æquali ad æquale, ut Homo est cō positus ex anima, & corpore, igitur quoddam animal intelle/ctuale est compositum ex anima, & corpore, uel sic risibile do/cet, ergo Homo docet, uel scenatus potest leges ciuitati trade/re, ergo Dominus potest leges ciuitati tradere. Sed ad hoc, ut hic modus argumentandi teneat, requiritur quod res æqua/les in hoc concordes sint, uidelicet in illo de quo ad aliud argui tur, ut si dicas Cesar liberaliter se gessit, ergo romanorum im/perator liberaliter se gessit. fit præterea processus argumentā/do a' minori ad maius negatiue, hoc modo si. i. miles nō potest expugnare arcem, igitur nec urbē expugnare poterit, uel Her/cules non potest pōdus mille librarum ferre', igitur nec decem millia, affirmatiue autem, ut aer potest calefacere, ergo & ignis potest calfacere, in hoc modo argumentandi requiritur, uni/formitas, & conuenientia minoris, & maioris, unde si quis ar/guat sic, rana potest optime natare, ergo & asinus potest opti/me natare, non sequitur, cum rana, cum asino non conueniant in natatione tametsi conueniant in animali. Sunt quoq; quam plurimi loci, a' quibus sumuntur argumenta quos dimitto qui si subscriberentur plurimum ea quæ per epistolam scribi ad amicos solent excederent. Quare his dimisis sequar notas, & regulas quibus uiciosa argumenta dissolui possunt. Viciosa ar/gumenta quæ etiam falacias uocant, sunt illa quæ indicant id uerum esse quod falsum est, uel id quod est falsum uerum esse, neq; hic modus argumentandi Syllogismus uere dici potet, sed potius apparens, & falsigraphus, quod cum ita sit tota ratio sol uendi uiciosa argumenta. Primum erit in memoriam habere eas regulas argumentandi quas superius scripsi, ac uidere de/

uiet ne argumētū ab ipsis nec ne, quod si deuict negare penitus argumentū oportet, hoc facilius, & fere sine labore faciet ille qui in disputationibus exercitatus fuerit, quid quid tamen sit enumerabo uicia quædam & fallacias magis cōmunes, ut per eas reliquas euitare possis, & quoniam, ut Dialectici dicunt, fallacia primo fit duobus modis, uidelicet in dictione, & extra dictionem, quæ autem cauilationes in dictione fiunt, sex sunt conrespondentes, sex modis uiciatarum dictionum, qui oratio nem aliquando obumbrare possunt, qui sunt. Æquiuocatio, Ambigua locutio, siue ut Græci dicunt amphilogia, Composi- tio, Diuisio, Acentus, & Figuræ dictionis, Fallatia itaq; equiuo cationis est uicium quod fit in dictione, quæ plura significare potest, ut puta in hac dictione, canis, quæ potest significare ca nem latrabilem animal quidem terrestre, quadrupedem, & po test significare piscē maritimū, & etiam signū quodā cœleste. Quare si fiat argumētum canis latrat, canis est sidus cœl e ste, ergo sidus cœleste latrat, cū conclusio sit falsa, distinctione hu ius uocis canis opus est, cum in prima, & maiori aliud signifi- cet canis quam in minori, ideo non sequitur conclusio. Sed fal- lacia amphilogiæ, siue ambiguæ locutionis fit quoniam oratio diuersimode construi potest, & sic diuersa significare, & differt ab æquiuocatione qa, ibi unius dictionis, hic uero totius ora- tionis ambiguitas est, ut in uulgatissimo exemplo, ex ennio à gramaticis sumpto quod est, Aio te Æacides Romanos uince- re posse, quam ambiguam sententiā in aliis quoq; orationibus sæpissime inuenitur, ut in hac, dicendo, hæc scripta sunt mea, potest exponi, hæc scripta à me scripta sunt, & etiam hæc scri- pta sunt possessa à me. Quare in hoc modo cauilationis unum tantum sensum orationis affirmare oportet. In compositione autem & diuisione fit uicium, siue fallacia in eis per diuersam compositionem dictionum, quæ sunt in eis, ut quando oratio habet particulam aliquam, quæ ad diuersas partes propositio- nis possit accomodari ex qua applicatione sensus mutetur in contrarium ueritatis uniendo orationem, uel diuidendo, ut in hac propositione, quidquid uiuit semper erit, in hac dictione, siue in hac particula quæ dicit, semper est uix, & potestas mu- tandi sensum quoniam si adiungatur uiuit facit sensum com- positū, & est uera, sed est falsa in diuiso, si uero adiungatur erit

est uera in diuiso sed in composito falsa, ut dicendo quidquid uiuit semper erit, sed asinus uiuit, ergo asinus semper erit, & quoniam compositio falsa est ideo fallacia compositionis dicitur. At fallacia diuisionis contrario fit modo. Etenim si diuisio in oratione est falsa diuisionis fallacia erit. Est & quinta fallacia quæ per accentum fit ex eo quod aliqua dictio non debito accentu pronuntiatur, uel syllabarum quantitate, & cum aspiratione, uel sine aspiratione pronuntiatarum, nam aliud significat Ara, sine. H. aspiratione, & aliud, Hara, cum. H. cum hæc dictio, Hara, cum. H. scripta stabulum porcorum significet, & sine. H. altare. Postrema cauilatio quæ fit i figura dictionis est ubi dictio, uel casus aliquis ambiguitatem habet, ut cum dico hominem, possum intelligere, & speciem humanam, & particularem aliquem hominem, & si dixero manus possum hanc dictionem, manus, pro nominandi casu intelligere, & gignendi, & pro accusandi plurali, sicq; diuersimode accepta dictione, sensus orationis mutatur. Extra dictionem fiunt cauilationes, & uiciata argumenta, septē modis, & sunt isti, uidelicet, Accidentis, secundum quid, & simpliciter, ingnorantia elenchi. Peritio principii, cōsequētis, nō causā ut causā ponere, & plures iterrogationes, ut unam facere, & ut de more breuibus partem hanc expediam, deceptio siue fallacia extra dictionem est potius quādo error se tenet ex parte materiæ, uel rerum quam orationū, accidētis. Prima fallacia est quando accidentia non recte coniunguntur, ita ut aliquod accidens male alicui accomodetur, ut si dicam animal est nomen, nomen est pars orationis, ergo animal est pars orationis, falsa est conclusio, qm̄ animal, & nomen sunt diuersorum generum. Fallacia deinde secundū quid, & simpliciter, est uitium quod fit si sumatur aliquod simpliciter tale esse quod non sit sed particulariter, & quoquomodo, (ut si dicam) optimum est uti tenui ratione uictus in morbis acutis, igitur & semper, & simpliciter, non ualet, uel ut dicunt dialectici. Etiops est albus secundum dentes, ergo etiops est albus totus, & simpliciter, non ualet. Tertia est fallacia Ingnorantiæ elenchi quæ per inscitiam redargutionis est, & fit quando ignoratur modi firmæ probationis, ut si non seruentur quæ requiruntur ad deffinitionem contradictionis, ut si quis dicat princeps est in aula, & non in suburbano, ergo princeps est &

princeps non est. in hoc modo fallaciæ fiunt uariæ cauillationes quæ longa egerent declaratione epistolæ minus conueniente. Quare iuxta institutum illis dimissis reliquas breuibus sub scribam, & secundum præscriptum ordinem fallacia petitionis principii sequitur. Et est quando id quod incertum est confirmamus, sine aliqua probatione, uel per ea quæ incerta quoque sunt, uel sub aliquo alio uocabulo idem significante. Quare cum quis aliquid conatur probare per aliquod quod non sit manifestum fit hæc fallacia, ut si quis dicat cœlum esse æternum quoniam non est ex materia, ex qua elementa, quæ obnoxia corruptioni sunt, componuntur, nihil probat, nam quod cœlum non sit ex eadem materia, est quoddam incertum sicq; ratio non currit. Præterea fallacia consequentiæ fit ex deceptione, quoniam credit conclusionem sequi ab antecedenti quum tamen non sequatur, ut si Homo est, animal est, & si animal est, homo est. Secunda consequentia est falsa quoniam ualet consequentia ab inferiori ad suum superius, non tamen á superiori ad inferius. Sed fallacia non causæ, ut causa fit quando ponuntur in præmissis Syllogissimi aliquæ propositiones, quæ nihil ad conclusionem operantur, & cum non sint causæ conclusionis ideo dicuntur non causæ; quod est uidere in Syllogismis ducentibus ad impossibile; & est feré consimilis fallaciæ consequentis, ut si dicas ebrietas est mala, ergo uinum est malum, non enim uinum est causa proxima ebrietatis, sed immodicus eius usus, uel capitis imbecillitas, & ideo non est causa, ut causa. Quare non sequitur uinum est malum, cum plurimum ex usu sit modesté bibentibus ipsum. Vltimus fallaciæ, seu uitiosæ argumentationis modus est plures interrogationes, ut unam facere, ita ut pluribus interrogationibus detur una tantum responsio, ut si quis interroget te, putas ne hominem, & asinum esse animal rationale, quod si respondeatur quod sic, sequitur igitur, asinus est animal rationale, & si respondetur, non, sequitur ergo Homo non est animal rationale, & similiter in multis aliis. Postremo cum dialectica sit scientia, & uia docendi: & ratio docendi in definiendo, diuidendo, & argumentando consistat illud animaduertere operæprecium erit, uidelicet quod in obscuris, ac non notis rebus disputatione opus est, quæ quum disputare sit rem aliquam uerbis, & mente agitare ut manifestus sit ani-

mi conceptus cum ratione: aduersus alteram. & hoc ad ueritatis cognitionem notandum erit quod in quacunque controuersia, rei obscuritatis difficultatis'ue, primum est ueritatem quaerere, & falsitatem fugere, atque de illis disputare, quae sciri possunt, & hoc per sensata, & magis nota si Aristoteli credimus, qui nihil in intellectu esse dixit, quin prius in sensu fuerit, atque disputando semper rationes, tam affirmatiuas, quam negatiuas afferre cum aliqua specie argumentationis ignotum ex praelibatis probando. Haec sunt carissime Antoni compendiosa illa praecepta Dialecticae, quae doctrinam Antiquorum ad memoriam, siquis obseruauerit facile reducere potest, quippe quod capita fere omnia totius Dialecticae scientiae in ea contineantur, illaq; tibi morem gerens tuis respondens literis mitto. Vale, Venetiis. M D XXVII. Die Ianuarii.

AD EXCELLENTISSIMVM HENRICVM Stromerum Auribachium Epistola XXXIII. De mundi creatione.



TINAM senex doctissime natura interiores sensus explicatos & apparentes nobis dedisset, & superiorum naturam indicasset, etenim si hoc operata fuisset, utique scientiae discursiuae iudiciis non ita incertis probarentur. Sed quoniam res non ita habet sed potius hic obscurati & occulti in intimis corporis partibus illae longinquae ab iis latent, ex hoc fit ut homines saepe per media extranea & longe a natura quaesiti aliena, scientiam rei ignotae uenentur, quae tametsi ita factum sit nihilominus a uero discursu, & intellectiuo non ex omni parte remotae sunt. quemadmodum in praesentia (ut tuis respondeam literis & ueritatem quaesiti aperiam) facere me uidebis. Petis nanque ut de mundi creatione, uel aeternitate, meam ad te scribere uelim sententiam, quam in primis constanter & perpetue istis uerbis affirmo, procul omni dubio, atque sine haesitatione mundum adeo creatum fuisse credo, cum hoc clare a sacris literis acceperim. inquit nanque Moses diuinarum legum promulgator, qui eas a domino accepit, primo Genesis, in principio Deum coelum &

terram creasse, & omnia quæ cum eis sunt, sed ut uideor mihi uidere tuæ literæ non hoc tantum postulant, uerum etiam quid sapientes cæteri, de mundi principio uel æternitate ueritati Christianæ consonum dixerint. Porro ut ingenue fatear sapientes quosdam non distinguentes inter agentem creatorem & creatum disceptationes non paucas & ferè inextricabiles huic negocio commiscuerunt. Ego uero ne cum illis peream sic rem ipsam aggrediar. Primum duos intelligendi modos proponam. Prior quidem a sensibus est, ita ut præter sensibilia nihil intelligere homines possunt, cum necesse sit intelligentem phantasmata speculari, hanc sententiam scripsit Aristoteles tertio de anima textu commenti xxxix. Posterior uero non ex sensibus tantum sed etiam discursu per intellecta procedit, sicque intellectus per prius intellecta, ea etiam quæ non cadunt sub sensibus intelligit, quemadmodum intellectus in habitu & operans intelligit se ipsum, mitto discursum ex principiis nobis natura insitis, uel etiam ab omnibus concessis, de quibus Aristoteles & commentator Auerrois, secundo diuinæ Philosophiæ, & alibi abunde dixerunt. Iis prælibatis, tam & si rem arduam quæ plures sapientes defatigarit petis, Eam pro uirili mea libens aggrediar, etenim humano animo nihil magis insitum est intelligētia, qua cum quis amplius præstat tanto magis se se ad rerum difficillimarum indagationem commiscet, ita ut si fieri potest, ut aiebat Paulus Christi discipulus, & doctor gentium: ea quæ nec oculi uident, nec aures audiunt congenita eius intelligendi ui scire contendat. Sic Plato Diuinus, sic Aristoteles, & Auerrois eius fidelis interpres, sic Auicenna & doctissimus Algazel, ac non pauci moderni philosophati sunt. Qui diuersis iactis principiis & rationibns deductis, de mundi principio & æternitate disputarunt. Incipiam igitur ab eo principio quod ab omnibus probatur, nempe finiti ad infinitum nullam esse proportionem dixit Aristoteles octauo de physico auditu textu commenti XV. & primo cœli, & in aliis libris, quam ueritatem nemo est qui non probet: quod si ita est libeat mihi sic tecum ratiocinari, Dei benedicti operationes a sapientia eius æterna proueniunt, quæ cum sit infinita est æquiuoca ad nostram, ut scribitur duodecimo diuinæ philosophiæ textu commenti quinquagesimi primi, intellectus uero noster qui ut dixit Auerrois secundo de anima textu

uidentes naturam creatam in iſtis inferioribus omnia per mo tum producere, & arguẽtes aſsimili tota aberrãt uia, longe ete nim & infinite diſtat ſupremus agens a natura, in iſtis inferio ribus agente. Ex dictis igitur operæprecium nobis erit modũ alium i Deo audire ad quam cognitionem ut admonet doctiſ ſimus Algazel diſputatione prima non eſt nobis procedendum ex pexiſtenti cognitione ſenſata ſolum, uerum etiam ex di ſcurſu intellectiuo, poſt cognitos effectus Dei. Hic modus pet mixtus eſt(ut pauloante dicebam)qui cum ex omni parte non ſit naturæ inferiorum conformis, neq ſenſatis ſemper reſpon deat, non ſine difficultate a multis intelligi poteſt, intelligitur tamen ab optimo intellectu, & ab illis qui filii naturæ dicun tur, q ſunt optimi temperamenti, & præſertim, ſi fuerint in ſpe culationibus exercitati, quibus dotibus cum ſciam te minime carere, audacter mũdi principium rationibus affirmando ſcri bam, uidelicet mũdum factum a Deo de nouo in principio ex ſua uoluntate, quę uoluntas nil aliud eſt a ſeipſo quam ipſe De us, cum omnia attributa in Deo Dei eſſentia ſit, etenim præter eius eſſentiam in Deo nihil eſt, ea uero quę a nobis dicuntur, il la quidem ſecundum noſtrum modum intelligendi dicuntur, non tamen adamuſſim a nobis concipi aut intelligi poſſunt. At quoniam cum doctiſſimo philoſopho ſermo mihi eſt, his ſic aſſertis, & ſtatutis de mundi creatione, non ingratum erit ad quaſdam philoſophantium obiectiones rationes cõtrarias ſcri bere. Dicũt quod ad hoc ut aliquod producatur de nouo i actu neceſſarium eſt aliquod ſubiectũ ponere, cum ex nihilo nihil generari poſſit. Huic obiectioni facile ex iam paulo antedictis reſpondet, qui quoq præter ſenſata ex intellectis etiam diſcur runt, nam non repugnant intellectui bene diſcurrẽti, ut alicui facti aliquod ſubiectum non præfuiſſe, etenim ille actus purus qui cuncta eſt, non eget in creatione ut aliquid ſubiiciatur, cũ ab ipſo omnia abundanter & fuſe fluant, ueluti a primo eſſe, quemadmodum eſt de lumine actuali quod prodit ex uirtuali uel ſpiritali, ab ipſa intelligentia orbem illuminante, huiuſmo di proceſſus neceſſario ponunt philoſophi, alioquin daretur in finitum, quod natura aborret. Porro niſi ad unum primum a quo omnia prodeunt determinaret intellectus, utiq ſemper de aliquo atq aliquo quærendũ eſſet, quare in ipſo primo eter

no actu omnia sunt,tametsi nobis lateant multa ob iam præfa-ctam improportionem creaturæ ad creatorem.Dicũt præterea si mundum Deus de nouo creasset,utiq; tempus infinitum ante eius creationem præcessisset,cũ Deus æternus sit.Hæc imagi-natio rudis procul ab omni dubio est,cum apud Deum creató rem omnium, nullum sit tempus, sed omnia in se sunt æterna & prodeunt(ut ita dixerim)Secũdum eius eterna statuta,quæ (ut aiũt philosophi)sunt firma & immutabilia,nempe tempus mẽsura motus est,si Aristoteli credimus quarto de Phisico au-ditu cõmento centesimo primo,neq; tempus in se aliquid est, etenim ab intellectu humano fit dũ diuidit prius & posterius, ut dixit idem Aristoteles libro citato commento.c.viiii.Quo-modo quæso intellectus humanus potest imaginari tẽpus præ cessisse mundum,si tempus est effectus mundi de nouo creati? enimuero nemo est qui non dicat mundum constare ex cele-stibus orbibus,& elementis inferioribus,orbes uero mouẽtur ad quorum motus ex nostra cognitione tempus causatur, nec est quod dicant ex dictis ante mundum infinitum tempus præ cessisse. Insuper dicunt si mundus de nouo creatus esset,pro culdubio sequeretur quod in Deo esset potẽtia, uel possibilitas ad illam creationem,sed hoc etiam intellectui bene discutenti absonum est,cum isti non distinxerint naturã creatam à crea tore,namq; ubi nullum est subiectum nulla potest esse possibi litas cum sit accidens,& accidẽs nisi in subiecto sit,esse nequit, ut omnes sapientes affirmant,minus etiam in producente esse potest;cum sit actus purus, absit ut dicamus in Deo accidens aliquod esse,neq; sapientum aliquis naturalis,uel diuinus(quẽ theologum uocant) hoc ausus est dicere.Dicũt quoq; si de no uo mundus creatus fuisset,mutationem in Deo necessario po neremus,quod cum absonum sit,& ab omni ueritate alienum, & imaginarium hæc ipsa etiam imaginatio minime militare uidetur,etenim electio creatoris ęterna est,& immutabilis.nã effectus creatoris agentis,& producentis ex sua ipsius æterna (ut iam dixi) uoluntate ex paulo ante suæ simplicitatis dictis statutis,quæ non differunt à suo simplicissimo esse, minime producendo defatigatur,cum productio sit ab ipso sine aliquo exterius,uel interius conamine,nulla etiam intrinseca,aut ex-trinseca est resistentia. Et tametsi in natura creata operante

mutatio aliqua fit, hoc tamen non est perpetuum, immo sæpe agens in operando perficitur. uerumtamen non potest aliquis ab ipso prouenıens effectus perfectiorem eum reddere, cum sit summa perfectio, neq; extrinsecum aliquod dari potest, quod uel obiectum, uel obstaculum fuisset, cum nihil præter ipsum præfuerit mundo, neq; discurrit Deus, sed per suum esse intelligit, & causat secundum æternam electionem, quæ est cum sapientia inuiolabili. Et quemadmodum non potest factum nō factum esse in ipso, sic quoq; dilectio æterna ad statutum terminum potest ordinatum, & electum producere, neq; istá electionem æternam tollunt, quæ immutabilis est, & potest quátum sui est natura infinita, ac a' nobis per sensata minime comprehensibilis, & hoc modo nullam mutationem in Deo quis apprehendere potest. Nam & si Deus sit causa non tamen est causa inferior, & creata, sed est prima largiens aliis causis leges, & uirtutes, quæ in sua essentia eminentissimæ sunt: quas nō alio modo cognoscimus nisi per effectus, eo quod perinde se habet intellectus noster ad intimas dei uirtutes, sicut oculus uespertilionis ad lumen Solis. Inquiunt præterea Deum cum sit agēs quod agat necesse est, præsertim cum non habeat impediens: cui positioni non difficilis est responsio, nam dictum est lōge distare operationes creatoris a' natura creata, q̄m natura creata agens, approximata passo in ipsum nisi impediatur agit permutando donec ad sui naturam passum reduxerit: quo mutato cessat actio. At creator quidem non agit permutando, sed ex nihilo producendo. Quare in Deo non est necesse (cum sit primum agēs) ut agat: non enim est agens approximatum passo, sed est, sane agens producens de nouo non applicitum alicui subiecto. At causa istius erroris est quoniam non distingūt inter primum creatorem agētem, & naturam creatam. Quod dicūt deniq; de reuolutionibus infinitis orbium cœlestium, & de susceptione magis, & minus in ipso infinito, si æternum poneremus mundum, quæ omnia saltem intellectus qui plures motiones facit sicut & plura tempora intelligeret, nulla in parte obstat. Motus namq; orbium cœlestium (ut dixi) nihil in re est, neq; reuolutiones præteritæ reperiūtur, sed ab intellectu motus illi cognoscuntur, & rememorantur, neq; ex hoc habēt aliquid existentiæ, aut pluralitatis, cum sit unus continuus, uni

mihi tibiq; ueram eius essentiæ intelligentiam post huius uitæ terminum concedere dignetur. Vale & me & Apollonium meum sed potius tuum, ut soles ama, Venetiis. M.D. XXXXIII. Tertio Kalendis Martii.

AD EXCELLENTISSIMVM HENRICVM Stromerum Auribachium. Epistola. XXXIIII. De animi immortalitate.



IRABERIS sane scio Henrice doctissime quod tuis quas ad me didisti tá sero responderim, sed mirari desines si materiæ magnitudinem ac difficultatem inspicies, quę antiquorum oium ac neotericorū aíum laxum ab opere reliquit, ita ut nisi euangelica ueritas nostram cōfirmaret opinionem rationibus (ut uidebis) & antiquorum autoritatibus munitam, uererer equidem eam ut philosophus ad te scribere. Petis igitur senex doctisſime, ut quid de animabus quæ ex hac uita migrarūt sentiā tibi significare uelim. an scilicet etiam separatæ à corpore maneāt, atq; extent fruentes Deo benedicto tanquam ultimo bono, & eius fine. An una cum corpore pereant ac deficiant, ita ut nihil amplius sui remaneat. Ad quam quæstionem non sine animi anxietate cum philosophis scribere possum, tametsi minime cū euangelico lumine anxius simus, magna enim est ueritas christianæ uis, quæ contra hominum ingenia se per se ipsam defendit. Porrò non ignoras illustres quosdam Philosophos dixisse eam mortalem esse, qualis fuit alexander aphrodiseus, & alii qui studuerunt Aristotilicæ expositioni, ita ut eam mortalem ponerēt quanquam quidam Alexandrū ex eius scriptis & aliter sentisse affirment, nō ex iis omnes eisdem usi sunt rationibus præcise, sed aliquomodo inter se diuersantes diuersi fuere. In quorum societatem & moderni non pauci Aristotelem interpretando ingressi sunt, ut fuit Petrus Pomponatius Mantuanus, Thomas Caietanus Cardinalis, qui propediem, (ut ita dixerim,) obierunt dies suos, mitto scottum, Erueum, & alios non uulgares theologos, qui & ipsi Aristotelem exponentes non ex omni parte quæstionem hanc declarauerunt. Dicunt enim Aristotelem Animam immortalem non prorsus

rationibus confirmasse. Sed eam simpliciter sine ulla probatio/ne posuisse. Quodquidem aiunt factum fuisse, ob sui esse ambiguam cognitionem, ita ut necessum fuit ipsi Auerroi & sequacibus eam unicam æternam ponere, cum plurificata sine corpore minime esse possit. Ego uero cum Aristotelis processum cum imprimis doctum, tum etiam admirabilem diligenter examino, Animam separatam etiam a corpore æterno tempore manere tibi istis effirmare non dubito; Etenimuero Aristoteles huius animæ esse ambiguum minime uenari potuit, nisi primo potentias & actus omnes eius aperuisset. Quas potentias & actus cum enumerando probauerit, & probando, operatio/nes ab ipsis emanantes posuerit, statim dubitare cœpit, An omnes essent communes animo & corpori uel aliquæ animo tantum, & aliquæ corpori soli. Quam quæstionem exordiri cœ/pit primo de anima textu commenti decimosecundo, Vbi hanc animi operationem quod est intelligere uenari contendit, per propositionem conditionalem hoc modo discurrendo, intelli/gere hoc, uel est imaginatio quædam, aut sine imaginatione esse non potest, sed imaginatio sine corpore esse non potest, Quare hanc rationem, quæ nihil hic ponit in esse, cum sit conditionalis & ad partem argumentatiuam, ad omnem modum intelligendi accommodant, ac dicũt intelligere non esse solius animi sed cũ corpore operationem. Quod ut postea tibi expo/nam non simpliciter uerum esse cognosces, Præsertim cum hic Aristoteles minime quæstionem terminare intendat, sed eam proponere & ad finem sui processus sentẽtiam suspendat. Quare affirmando quod superius dixit: In textu decimotertio sic procedit, aliam propositionem conditionalem introducendo, in hunc modum. Si igitur est animi aliqua uel operatio uel proprius affectus, fieri potest ut animus separetur. Et has proposi/tiones, (ut dixi,) in hoc primo libro dimisit indiscussas, quas in secundo & tertio examinare intelligit. Vnde dedit multis cau/sam dubitandi. Has tamen pro uiribus tibi soluere naturaliter nitar, si primum discrimen posuero inter animam quæ est for/ma communis ad uegetatiuam, sensitiuam, & ultimo discursi/uam. Quam si etiam existimatiuam uel cogitatiuam dicere uolueris non refert, ipsa est perfectissima formarum eductarum de potentia materiæ, & animam intellectiuam siue intellectũ,

qui ex perfectio harum omnium uirtutum in homine, & est immateriatus nõ pendens a corpore.tam si in corpore sit. Neque est perfectio corporis,sed est animæ perfectio.Hanc diuisionem Aristotilem affirmasse uidebis, si eum primo de anima reprehendetem antiquos non distinguentes animam ab intellectu recte intelligere uolueris, etenim anima quia est forma corporis dat esse illi,& sine corpore esse non potest.Sed intellectus ut intellectus nõ resultat a corpore neque ab ipso, sed immateriatus,qui potest sine corpore esse & incorruptibilis manere.Et quoniam animus est ille qui dat esse corpori animato, ita ut habeat esse animalis per animam,si perierit animal,peribit utique & forma quæ dat esse, hæc uero animus est. Sed cũ in homine præter animum qui dat esse indiuiduum per quod est animal discursiuũ, sit etiam esse intellectiuum, quod nihil cum sensibus habet, sed est ultima perfectio animi humani,& uirtus separata a corpore,uidelicet non pendens a materia neque in operai ab instrumentis corporeis,quibus aliæ uirtutes corporeæ utuntur. Etenim discursiua siue cogitatiua utitur imaginatione,quæ imaginatio & ipsa a sensibus accipit,cum conditionibus materiatis & particularibus.At intellectus sine materiæ conditionibus cognoscit,scilicet uniuerseliter, & generice.& hoc per propriam uirtuté.qui cũ sine materia & eorũ cõditionibus intelligat uniuersale & abstratum,p se intelligere proculdubio dicere oportet,& hec est propria ipsius operatio:quã Aristotiles querebat.hanc operationẽ siquis ad animã discursiuã quæ pendet a materia attribuere uoluerit,errabit quidem,qm̃ non sibi cõpetet,cum sit forma animantis rationalis,quæ corruptibilis est,intellectus uero ipse pfectio animi est,qui est incorruptibilis:hæc uero perfectio necessario sequitur ad animam humanam,quæ pẽdet a materia.hunc theologi a deo infundi recte dicunt,& Aristotiles deforis uenire credidit,secũdo de generatione animalium capite tertio. hæc perfectio est æterna incorruptibilis & potest separari a corpore,sicut dicimus de aliqua uirtute decisa ab alio, que tamen remanet sine subiecto a quo fluxit,& operatur eandem operationem, uerbi gratia si ponatur magnes cũ aliquo ferro simul ita ut per aliquod tempus contangantur aut si una confricentur,ferrum illud acquirit uirtutem magnetis & attrahit aliud

ferrum, & hoc quoniam uirtus aliquomodo altero subiecto communicata est, ac manet & operatur sine proprio subiecto, tametsi in aliquo subiecto sit, hoc idem in semine deciso experimur. Quod si hoc uerum est in uirtutibus pendentibus a materia, quæ uirtutes operantur etiam si non prorsus sint expoliatæ, quanto magis intellectus qui non pendet a materia separari potest, & separatus propriam habere operationem, quod si necessario ponant aliquod subiectum, ut intelligentiis mouentibus orbes, datum est, huic intellectui uel deum uel aliquod aliud cœleste Philosophis occultum non sine ratione donemus, quod minime negare aduersarii possunt, Si Aristoteli credunt, qui ordines in formis manifestos posuit. Etenim prima forma complexionalis est, quæ est imperfectissima formarum, secunda, uerbigratia, est uegetabilis, & perficit primam, Tertia est sensitiua, quarta quæ est hominis animus est forma quæ dat esse, & pendet à materia, & he forma discursiua uel existimatiua uel cogitatiua dicitur, & est perfectio omnium dictarum uirtutum, dixi hoc ne forte credas me plures ponere formas, plures supponendo uirtutes, quoniam semper ultima est illa quæ est forma, & dat esse perfectum specificum, intellectus uero non pendet a corpore sed ab ultima uirtute quæ cogitatiua est, & longinqua a materia, itaque intellectum perfectionem ultimam hominis dicimus, quem animam intellectiuam uocant, ordo itaque sic positus perfectionis ordo est. Neque ultima perfectio materialis (si animum eleuaueris) est intellectus. Nam discursiua, tam & si circa imaginationes quæ a sensibus sunt uersetur & cum ipsis intelligat ac discurrat, nihilominus non omnino utitur immateriatis sed, ut aiunt Pgilosophi cum conditionibus abstractis, quæ non omnino expoliatur à conditionibns materiæ, intellectus autem ipse ex se intelligit sine uirtutibus sensitiuis, neque utitur imaginatiua, aut cogitatiua nisi in quantum intelligit discursum, seu cogitatum, quod non amplius materiale est, hoc enim fit quoniam cum cogitatiua est quæ præparat sibi obiecta intelligibilia satis proportionata. Nam si separatus esset utique cætera obiecta sibi proportionata separata intelligeret. Etenim huiusmodi intelligere est operatio intellectus simpliciter, qui est in esse per ipsum, neque alio modo est forma nisi intelligendo intellecta, unde separatus intelli

telli

telligibilia intelligit, & in primis Deum, & intelligentias, secundum naturam ipsius intellectus. Similiter, & reliqua intelligit, sed cum intellecta sint aeterna, intellectus separati erunt aeterni, quoniam habent unde suum esse conseruent, operando, siue intelligendo. Vides igitur doctissime Henrice Animae intellectiuae operationem non pendere ab instrumentis animae quae a materia deducta sunt, sed à propria uirtute. Quare cum anima intellectiua propriam habeat operationem, quae est intelligere sine instrumentis, & separate: poterit cum Aristotile separari, & aeterno tempore intelligendo permanere. Praesertim cum non habeat causam destructiuam sui esse, & habeat conseruantem, ut dixi, aliquod, puta corpus coeleste aeternum uel ipsum deum benedictum & intelligentias. Quod autem intellectus, & etiam anima quae à materia pendet sint perfectiones post formam complexionalem, uegetatiuam & sensitiuam, confirmari potest ex dictis Auerrois secundo metaphysicae commento xxxi. & tertio de anima commento quinto. Sed differunt anima & intellectus inter se, quoniam anima est illa quae de potentia materiae educitur, & est perfectio animalis, intellectus autem est perfectio non materialis, post discursiuam siue cogitatiuam uirtutem. & hanc sententiam affirmat Auerrois tertio de anima citato commento, quo in loco reprehendit Alexandrum dicentem animam intellectiuam simul cum corpore deficere. Sed fefellit se ipsum Alexander credens animam intellectiuam productam esse ex mistione elementorum in sequentem formam complexionalem, & alias, ut superius scripsi. Qui tamen Auerroes tametsi Alexandri errorem cognouerit non propterea sciuit se tueri ab ingenti errore ponendo unum tantum intellectum omnibus communem, in causa fuit quoniam ex sensatis procedens uoluit (sine praedicta animi distinctione) operationes abstractas, & uniuersales à materiatis separare. Sicque cum antiquis ante ipsum, etiam moderni posteri non pauci decepti sunt. Qui si posuissent discrimen inter animum qui à materia est, & intellectum qui sine materiatis instrumentis intelligit, proculdubio sciuisset animam intellectiuam, una cum Aristotele propriam operationem habere. neque potest quis dubitare, an imaginatio sit anima intellectiua, cum clarè hoc declarauit Aristoteles secundo de anima textu commenti cliii. Post

quam in præcedentibus probauit intellectum non esse imaginationem, sed alterum ab ipsa. Similiter etiam probauit tertio eiusdem per processum usque ad textum commenti trigesimi, ubi tametsi dixerit animam, sine imaginatione nihil intelligere, non propterea prioribus dictis in eodem libello est contrarius, etenim in textu trigesimo intelligit (cum de anima dicit) animam pendentem a materia, atq; dantem esse animali, & non animam intellectiuam quæ est ultima perfectio, & recipit intellecta, sine materiæ conditione. Quod si exteriora non recipiat corporeum impedimentum causam esse dicere oportet, a quo ubi fuerit absoluta, utique (ut dixi) & cætera separata intelliget. hanc sententiam affirmat Aristot. tertio de anima textu commenti iiii. laudans Anaxagoram, & intellectum hunc immistum, impassibilem, & immortalem ponit, quæ uerba quanquam aliter a quibusdam exponantur, nihilominus melius sic intelliguntur cum sine contradictione hanc ueritatem confirment, quam non pauci philosophi ac illi quidem eminentissimi, qualis fuit Themistius, Procul, ac doctissimus Algazel, & Latini alii, ut Albertus non immerito magnus cognominatus affirmant. Neque dicta superius pluralitatem animarum separatarum prohibent, cum intellectus per se immateriatus sit, nec aliquam materiam diuidendam habeat, sed in singulo indiuiduo distinctus per se ipsum ut intelligat est, etenim (ut dixi,) operationes nimirum intellectus esse abstracta intelligere, non enim habet conditionem materiæ, ut in ipsam materiam operetur, aut per ipsam præparatio fiat, sed per se pendet. Et cogitatiua est tanquam eius perfectio, quæ cogitatiua cum plurificetur, & numeretur, ita & ipse intellectus multiplicatur, & separatur, & cum sua operatione manet, ratio ualeret si intellectus penderet uel haberet affinitatem cum materiatis. Possem equidem uir doctissime præter quæ superius scripsi, ad multas positiones contradicentium rationibus respondere, quæ consulto dimisi, cum primo satis illis distinctio posita respondeat, ac etiam quoniam nimium aucta esset epistola, & tempus ulterius procedendi minime super sit. Satis igitur erunt dicta tibi senex præstantissime, qui ut scribis morti propinquus, non dubitando, sed potius me ad altiora naturæ secreta contemplanda promouere tuis scriptis uoluisti, si hoc in calce epistolæ tibi dixero, Scilicet post quam termi-

nus uitæ nobis non idem cum plantis & cæteris sensitiuis animantibus, à summo & ineffabile opifice nobis condonatus est, sed alius, uidelicet, ille quo poterimus post separationem a corpore immensam eius maiestatem speculando sine corporeo impedimento potiri, gratias illi in hac coniunctione corporis incessanter agere debemus, & ubi à corpore animus solutus fuerit, suam rogemus Maiestatem, ut sempiterno æuo eius contemplationem concedere dignetur. Vale uir undequaque doctissime, cui me & Apollonium meum quantum possum studio commendo. Venetiis, M D XLII. Die xxviii Decemb.

AD SERENISSIMVM LAVRENTIVM PRIOLVM VENETIARVM PRINCIPEM, NICOLAVS MASSA.

DE ESSENTIA, CAVSIS, ET CVRA PEstilentiæ Venetiis grassantis anno 1556.

EPISTOLA XXXV.



VM sit congruum & conueniens Serenissime Princeps in his omnibus, quæ à nobis aguntur, primum a Deo maximo auxilium implorare; id facere in præsentia mihi summè necessarium est. Nam quanquam facile sit ea colloquia scribere, quæ præteritis diebus coram te, & Illustrissimo Senatu a me facta fuerunt, tamen in hoc difficultatem in se habent, quod de remediis magnorum, perniciosorumque morborum agunt, qui per hanc nobilissimam urbem, quæ Dei maximi auspicio & fundata est, & ab aduersis custodita, istis temporibus populantur, non sine ingenti animi tui molestia, Senatusque amplissimi solicitudine. Qui omni cura & diligentia, ac paterna quadam charitate satagit ut necessaria & opportuna remedia administrentur languentibus, & præcauendo uniuersa ciuitas a futuro malo custodiatur. Quare cum ob infestantem, serpentemque pestiferam luem medici omnes Veneti collegii antè tribunal tuum splendidissimum monitu tuo starent, petiisti ab illis quid sentirent de origine, causis, & essentia præsentium malorum, ac etiam quæ & qualia op-

portuna remedia ex usu, uel proficua, cum ratione administranda, uel propinanda essent, ut ciuitas a tam grauissima & perniciosa lue liberaretur. Illi (ut scis) libentissime uoluntati tuæ obtemperarunt, mihiq; ut in frequentissimo Senatu orationem haberem demandarunt, ac quantum ad responsionem unius atque alterius inquisitionis pertineret onus respondendi imposuerunt: quæ omnia per capita a me adnotata, ut facile memoriæ committerentur, tibi, senatoribusq; exposita fuerunt, addidiq; quantum mihi uisum fuit pro eorum declaratione conuenire. Quæ omnia tunc dicta ad rei memoriam, ac præsentium & futurorum utilitatem in præsentia literis mandare statui, ac etiam in honorem laudemve pientissimi officii a Serenissima tua maiestate una cum toto Illustrissimo Senatu functi. Quod quidem libens facio primum in tuæ Serenitatis gratiam, & meæ in te obseruantiæ significationem, & (quod Christianum hominem decet) ut proximo iuuamento esse possim. Qui quidem labor partim propter senilem ætatem mihi grauis est, partim propter assiduas nobilium ciuitatis ægrotorum uisitationes, quibus adeo distineor, ut uix cibum capere interdum possim, tamen illum eo libentius suscipio quod sciam gratiorem posteris futurum si in clientelam tanti, & tam rari Principis exierit, qui tanto magis reliquos quoscunque Princeps excellit, quanto Solis lumen cætera quæque superat lumina, non solum quia in te maiestas illius principatus sit, de cuius dignitate alias scribens, multis ac etiam ualidissimis, & (ut ita dixerim) infrāgibilibus argumentis Venetiarum Principem maiorem principatum quam alios Principes possidere ostendi, & ex demonstrationis conclusione definitum fuit te merito Principem principum nominari debere; uerumetiam quoniam innumerabiles & admirabiles uirtutes in te uno solo in omni fere actionum genere cumulatas uidimus. Nam si rerum omnium maximarum huius sæculi cognitionem, quæ in te summa est, considero, una cum omnium scientiarum tam ad specultaionem, quam ad particularia opera pertinentibus generibus, omnia te sapientissimum esse testari inuenio; linguæ etenim tam latinæ, quam græcæ, ac etiam Italæ peritia talis ac tanta in te est, ut magnam & ingentem admirationem non tantum tuæ nobilissimæ aliarum omnium ciuitati, uerumetiam uniuerso mundo attulit: Sanctissimos mores, innatam bonitatem, ingenuam mansuetudinem, atque affa-

que affabilitatem, quoniam omnibus notissima sunt silentio prætеribo; quibus omnibus rarissimis dotibus decorata hæc nostra scripta si a uiris doctis & ueritatis cultoribus aliquando lecta fuerint, maiorem dignitatem & robur apud eos acquirent. incipiam igitur ex ordine ea exponere ut coram tua Serenitate, & Illustrissimo Senatu M D L V I. Die XXIIII. Augusti explicata fuere, implorato (ut in initio dixi) Dei optimi maximi auxilio; hoc scilicet ordine incipiens, Primum qui modus genusve sit præsentium malorum, quæ passim pauperes ut plurimum, diuites rarissimè corripiunt, eosq; interficiunt.

Aliàs Serenissime Princeps, Senatores Illustrissimi coràm hoc amplissimo Senatu de hac eadem lue orationem habui, dixiq; ægritudines præsentes, morbos pestilentiales dictos, pestem, seu pestilentiàm ueràm non esse, cum non primum ab aeris corruptione in seipso facta oriantur, nec ex aliorum elementorum alteratione corrumpente, uel sua aliqua mala qualitate alterante, neque etiam ex influxu corporum supercœlestium; sed morbos illos esse, qui cōtagionem retinent ex putredine humorum interiorum ad corruptionem tendentium, uel alteratione partium nostrum corpus constituentium, ut sunt spiritus, & uapores, & humores, atque etiam solida substantia. quam putredinem ex malo regimine cibariorum generantium humores putredini paratos, uel aliquo alio modo alterando, uel etiam ex contagione & tractatione rerum qualitate pestifera infectarum, aut ex commercio hominum tali qualitate infectorum prouenire affirmamus. Quod cum manifestum, sensatumq; sit non plurimum laborabo ostendere præsentem aerem non esse corruptum, ut ipse causa tanti mali sit; nam si quis rectè omnia perpendere uoluerit, cognoscet aerem propriam retinere conditionem & temperiem. Et ut omnia cum ratione dicamus, primum scire operæprecium erit, quòd Pestis propriè dicta nil aliud est quàm corruptio substantiæ aeris nos ambientis, quam multi antiquorum sapientes pestilentiam etiam uocarunt. Ex qua definitione uidere est pestem aeris passionem, uel affectionem ipsum corrumpentem & non animalis esse, ut clarissimè apud diuinum Hippocratem uidere est, præsertim tertio libro Epidemiorum, ac etiam à Galeno in cōmentatione tertia dicti tertii Epidemiorū libri; & quoq; a doctissimo Auicenna Fen secunda sui primi libri Canonum, quo in loco uir do-

ctus luce meridiana clarius in declarando diuersas aeris alteratio-nes dixit Pestilentiam esse aeris putrefactionem: quã pestis definitionem Filo iudæus græco idiomate his uerbis confirmauit, λοιμὸς ἐστὶ ἀέρος θάνατος, quæ uerba nil aliud dicunt si latino sermone uertãtur, q̃ pestem esse aeris mortem; quo fit ut maximus omniũ morborum sit, & iccirco ab Homero νόσος per excellentiam uocatus; cui nullum aliud remedium ab antiquis datum fuit, q̃ dare se fugæ atq; procul abire. quod non ex alia causa dictum fuit, q̃ ex hac, quod, cum sit aeris corruptio ne a corrupto aere inficiamur, procul ab eo fugere uerum remedium erit. Plutarchus etiam uir antiquus & doctus prædictã definitionem affirmasse se uidetur. ab eo.n. ἀέρων φθοραὶ. pestilentiæ uocantur quæ uerba aeris corruptionem significant, qui aer ita corruptus, & in naturã ueneni cõuersus maiorem hominum in eo degentium partem inficit, & sæpe interficit, ita ut sit causa exterior infectionis & mortis. confirmant etiam hanc pestis definitionem, & ea, quæ de essentia eius dicta sunt, uerba Hippo. in libro de natura humana dicentis, cum una ægritudo complures homines eodẽ tempore corripit, scilicet tam iuniores, q̃ seniores; tam fœminas, q̃ mares; tam uinum, quàm aquam bibentes, tam qui panem nõ triticeum, q̃ qui triticeum mãducant, tam qui parum, q̃ qui multum laborant, causam huius in aerem cõferendam esse. Cum uero ex dictis manifestum sit pestẽ, seu pestilentiam esse aeris corruptionem, à qua proueniunt ægritudines contagiosæ & perniciosæ omnibus communes, dico præsentes ægritudines nullo modo pestis dici posse, tametsi cõtagiosæ & mortiferæ sint, cum non pendeant a corruptione aeris, nec minus ab influxu corporum supercœlestium & siderum, cum non præcesserint coniunctiones seu alii aspectus puta Saturni, Martis, & Lunæ, qui aerem ad putrefactionem, uel corruptionẽ, pestiferam præparare solent. Quare uideant qui luem hanc a malitia aeris, uel influxu corporum supercœlestium prouenire credunt, in quanto uersentur errore; plurima enim apparere solent, quæ minime his temporibus apparuerunt, nimirum generatio animalium, quæ ex putredine multiplicantur, ut sunt uermes quamplurimi, muscæ, culices, locustæ, ranæ; mures, bufones, serpẽtes, & alia istis simillima; & quædam aues, quæ in montibus habitant a montibus effugiunt & ad campestria uel alia loca se conferunt, aerem pestilentem ex instinctu cognoscentes. Et ut magis

comprobem præsentem aerem non esse corruptum, & ex consequenti præsentes morbos nõ causari ab aeris corruptione, aut a superiorũ corporũ influxu subscribã cõpendiosè quæ Thucydides de Atheniensum pestilentia literis mãdauit, & etiã quæ Ioannes Boccatius de quadã Florentinorũ, & post ipsum quæ Marsilius Ficinus de alia eorundẽ peste scripserunt. Thucydides igitur libro secundo historiarũ miserabilem pestem a qua & ipse correptus fuit cõmemorauit, quæ talem ortum habuit, nã ex Aethiopia ueniens, mox in Aegyptum & Libyam meauit, deinde uniuersam regionem Atticam arripuit, & tandem Athenarum ciuitatem comprehendit, tanta cum uiolentia & miserrima seueritate ut nunquam crudeliora & atrociora funera fuerint; in qua sæuissima lue nulla unquam inuenta est proficua medicina, immò plurima & maior pars medicorum occubuerunt, nihil medicinis grauissimo malo conferentibus, neque preces Diis factæ proficuæ aliquo modo fuere. Modus huius sæuissimæ luis talis fuit, caliditas in reliquis corporis partibus non plurima erat, caput tamen feruore maximo cruciabatur, oculi rubentes erant, lingua uero rubra & cruore manans inspiciebatur, aurium tinnitus perpetuus erat, facies torua, suspiria frequentia, & spirationes grauiter olentes apparebant, & molestissimæ etiam sternutationes & uocis raucedo, tussiebant difficulterq; anhelabãt, sicq; pectus unà cum interioribus uisceribus a uehementi tussi excruciabatur, similiter & singultus plurimam molestiam afferebat. corpus etiam exterius subrubeum & liuens erat, & plurimis ulceribus affectũ, intus talis feruor erat ut neque subtilissima quæque uelamenta sufferre possent, libẽtissimeq; languẽtes sese in frigidissimã aquã, uel puteos præcipitabant, perpetuæ uigiliæ omnes afflictabãt, rari erant, qui non antè septimum uel nonum succumberent. Quidam etiam circa genitalia, & in extremis pedum & manuũ partibus crudeliter molestabantur, ex quibus plurimi cũ membrorũ extremorũ priuatione a pestilenti malitia reliqua euaserunt, quidam itẽ oculis orbati conualuerunt, multi etiã ex maxima pestilẽtis malitiæ seueritate in rerũ omnium obliuionem deuenerunt, aliqui amicos non amplius cognouerunt, & uiuẽtes suiipsius immemores & ignari permanserũt, de quibus sic Lucretius cecinit;

Atque etiam quosdam cœpere obliuia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi:

Ioannes Boccatius & ipse in præfatione centum facetiarum, ut dixi miserabilem historiam pestilentiæ recenset, quæ M.CCCXXXVIII. Florentinos præter alios multos inuasit cum maxima & crudeli hominum strage, in qua nulla remedia humana, nullæq; preces Deo optimo factæ auxilium illis fuerunt, in qua maior pars tam marium, quàm fœminarum peribat, pauci uero liberabantur qui tali crudelissima lue laborabāt, quæ sine febre credebatur inuadere, præterea sanguinis narium fluxus, quo plurimi uita priuabantur, erant etiam apostemata inguinum, & alii quidam tumores in aliis etiam partibus corporis perniciosi, qui postea in quasdam nigras maculas & liuidas degenerare cœperunt, quæ tam in brachiis, & coxis, quàm in cæteris aliis corporis partibus indifferenter suboriebantur, diuersæ ob magnitudinem & paruitatem, quæ erant citæ mortis manifestissimum argumentum, ex quibus paucissimi euadebant, maior uero pars & fere omnes intra tertiam diem apparitionis macularum è uita recedebant; erant utique præter modum contagiosæ, ita ut non modo ii, qui unà commorabantur, aut etiam colloquiū cum infecto haberent, uel rem aliquam ab infecto homine tractatam tangerent, sed etiam alterius speciei animal nedum inficiebatur sed & interficiebatur si à re tacta ab homine infecto tangeretur, siquidem hæ ægritudines uere fuerunt pestilentes, cum ab aeris corruptione prouenissent, nam ex orientalibus partibus in Italiam deuenerat, ac tandem etiam ad occidentales. Marsilius Ficinus uir undequaque doctus in fine cuiusdam consilii de Pestilentia, quæ MCCCCLXXVIII. suis temporibus Florentiæ fuit, inter cætera, quæ ipse enumerat, accidentia dixit in quibusdam infectis maculas cruentas, & rubras apparuisse. Hæc ergo ex historicis & aliis fide dignis scriptoribus decerpere uolui de antiquarum & pestilentialium miserabilium & horridarum ægritudinum natura, ac ea quàm breui potui oratione narrare, ut uideant, qui dicebant præsentia mala à superioribus corporibus & aeris corruptione prouenire, quantum a scopo ueritatis distēt, & melius si præter dicta de esse pestis ab antiquis definita, modos præteritorum pestilentialiū morborū a corruptione aeris pendentiū cōsiderauerint, quos nuper recensuimus, istis nostri tēporis morbis comparauerint; qui ut facilius dignoscantur, intelligantur q; infra subscribere ut in Senatu disputata fuerunt statui.

Et

Et ut omnia claré,& apertè intelligantur supponam morbos pestilentiales in duo distingui genera, quorum primum & præcipuum est illud quod a corruptione aeris, & influxu corporum cœlestium fit,ut superius dictum fuit,secundum uero illud est,in quo cæteri morbi pestilentes ab alteratione interiori,uel ex contactu causati continentur,ut sunt præsentes morbi, qui ciuitatem populantur,qui secundum tres differentias adnotati sunt, nec uerè pestilentiales dici possunt,cum minime à uera illa peste, quæ fit ex aeris corruptione dependeant.Sed si quis eos pestilentes uocare uoluerit, hoc nomen utique erit impropriè, & secundum quandam translationem & similitudinem dictum, quam habent hi perniciosi morbi cum illis qui ex aeris corruptione accidere solent, uel erit nomen denominatiuè dictum à peste, quæ aeris corruptio,& passio,non animalis est.Præsentes uero morbi, qui non uerè pestilentiales sunt,fiũt à diuersis causis, ex quibus etiam secundum tres differentias a causis suis distinctas tres species ægritudinum generãtur;Prima quarum illa est, quæ ex intrinseca hũmorũ interiorũ alteratione in seipsis facta aut ex alia interiori excremẽtia superfluitate cũ ipsis permista, uel ex alia cõsimili causa faciente eos in ueneni naturam degenerare; qui humores sic affecti & uenefici in uenis uel arteriis seu alio loco supercalefacti aut putrefacti,uel sic in sua uenenosa natura persistentes primum si putruerint diuersa genera putridarum febrium facere solent, si uero non putrent & per dicta uasa meantes ad cor ipsum peruenerint sine manifesta febre etiam hominem interficiunt spiritus cordis,& eius temperamentum corrumpendo, unde sequuntur subitaneæ & improuisæ inopinatæq; mortes,de quarum causa sæpe hæsitant medici;at si non ita affecti malignitate fuerint ut citã mortem causent,ex expulsione eorum a natura causantur diuersi affectus,ut sunt apostemata in emunctoriis locis,carbones & cutaneæ exflorescentiæ, quas pestichias uulgares uocant, & etiam aliæ maculæ in diuersis corporis partibus contagiosæ. Secunda est illa,quæ ex contactu,& commercio hominum, aut ex tractatione rerum infectarum efficitur,quæ res seminarium quoddam (ut ita dixerim)qualitatis pestiferæ in se retinent, per quod spiritus,uel uapores,humoresve,aut aliam solidarum substantiarum inficiunt; qui in uenis retenti & inflammati febrem malam excitant; quod si humores ita infecti ob suam ueneficam qualita-

tem, ex uenis tam maioribus, quàm minoribus à uirtute, quæ semper sanguinem mundificare intenta est, diuersa genera affectũ præter naturam ex eis in exterioribus partibus suboriuntur ut sunt dicta emunctoriorum locorum apostemata, uel carbones, aut papulæ & aliæ cutaneæ maculæ in diuersis corporis partibus contagiosæ & sæpe mortiferæ. Tertia species præsentium morborum est illa, quæ ex humoribus genitis ex usu rerum tam comestibilium, quàm potabilium malæ substantiæ oritur, qui humores putredinem & malignitatem suscipere parati sunt; hæ quidem res malæ substantiæ sunt olera plurima, & putrescibiles fructus, & pisces quidam fœtentes; & inter alios cibos, quibus homines uescuntur, & qui ueneficos & pestilentes generant humores, sunt quædam carnes malæ, prauæq́, & putrescibilesq́; sunt etiam & aquæ quædam palustres & cœnosæ, malæq́ substantiæ, quæ si bibantur humores ueneficos generant, à quibus humoribus malæ etiam & pestiferæ ægritudines oriuntur, ut sunt febres putridæ diuersorum generum, in quibus etiã, ut in aliis & apostemata emunctoriorum. s. in inguinibus, sub ascellis, & post aures, & carbones & papulæ & maculæ diuersæ contagiosæq́ apparere solent non sine maximo discrimine, & sæpe etiam cum ægri interitu, ut paulo infra dicam: Hæ uero tres species posteriores impropriè pestilentes dictæ sunt illæ, quæ in præsentia in ciuitate populantur, & omnes in terrorem ponunt, cum præter febrem assiduam, in emunctoriorum locis dicta apostemata, & in aliis corporis partibus carbones, antraces, & papulæ diuersæ ac etiam maculæ quædam latæ, magnæ in diuersis quoque corporis locis apparent, cum quibus maior pars patientium pereunt; de quibus ut omnia rectè & facilè intelligamus signa seu notas uniuscuiusque trium differentiarum nunc dicam.

Primum in laborantibus prima specie harum trium. s. ex interiori humorum in se alteratione adest febris non plurimæ exterius caliditatis, sed interius plurimum conturbans, nam uentriculi conturbatio, & sæpe uomitus hos molestat cum capitis grauedine & dolore, sitiunt & uigilant; Vrinæ ut plurimum turbidæ & liuidæ ac malæ substantiæ ferè in omnibus apparent, & in aliquibus, sed in paucis prima & secunda die claræ sunt; deinde cum uirtus à morbi malitia & humorum putredine imbecillior efficitur, & etiam permiscentur mali humores turbidæ mingun-

tur; facies quoque mutatur, ita, ut aliquando pallens præter modum appareat, & aliquando rubra & liuens inspicitur, sæpe etiam in inguine uel sub ascellis, uel post aures tumores, uel in aliis corporis partibus carbones, uel antraces suboriuntur, quibus cum non raro moriuntur; sæpe etiam exflorescentiæ, quas pestichias uocant, dorso & aliis corporis partibus superueniunt, & plurimi ex his, quibus tumores iam dicti superueniunt, uel antecedunt, ante quartam, uel quintam diem pereunt, & qui cum ita infectis commorantur eadem ægritudine infirmantur & ex his etiam multi moriuntur.

Notæ uero secundæ speciei ex tribus dictis, quæ ex contactu, & commercio hominum infectorum, uel ex contratactione rerum infectarum fit, sunt fere eædem cum superius dictis, & in primis est febris continua, quæ non plurimum caloris exterius habet, interius tamen ut superius dicebam plurimum molesta est usque ad tertiam uel quartam diem; in quo trium uel quatuor dierum spacio, & sæpe ante secundam diem maculas magnas, latas, interdum liuentes, interdum diuersas in colore sine aliqua eminentia uidemus in diuersis corporis partibus, uidelicet in dorso, brachiis, coxis & aliis partibus; In quibus autem liuidæ & obscuræ erant, uel nigræ illi maiori ex parte cito moriebantur; qui uero una cum eis una, eademq; domo commorabantur in eandem incidebant ægritudinem, multiq; peribant ex ipsis, multi etiam malo resistebant, aderant stomachi perturbatio & fastidium, linguæ nigredo, & ariditas, uomendi uoluntas, atque capitis grauitas, facies etiam horrenda, & cum liuore; Vrinæ primis diebus mediocres tam in colore, quam in substantia apparebant, circa tamen tertiam uel quartam diem turbide & liuentes mingebantur; plurimi moriebantur ante quartam, uel quintam diem, in multis quorum ante quam morirentur per decem aut circiter horas antedictæ maculæ latæ magnæ, liuidæ in diuersis corporis partibus egrediebãtur, nam nigræ & liuidæ in quibusdam uisæ sunt, & quanto ipsæ obscuriores erant, tanto citius ægri moriebantur.

Tertiæ speciei uel differentiæ prædictarum trium pestilentialium seu harum malarum ægritudinum, notæ & signa hæc sunt, faciei pallidus color præter febrem assiduam non plurimæ exterius caliditatis, grauedo uniuersi corporis, anhe-

litus grauis, stomachiq; anxietas, & uniuersi uentris inferioris ten sio; Vrinæ crassæ & indigestæ, liuentes & turbidæ; capitis & oculorum grauedo & dolor; sitis ualida cum albedine linguæ, cum quibus sunt etiam in aliquibus sed non in omnibus tumores aliquando inguinum, aliquando sub ascellis & sæpe post aures, una cum papulis pestichiis dictis, & etiam maculis magnis diuersis colore & magnitudine, secundum diuersitatem qualitatis & quantitatis humorum malorum corruptorum; nam quæ rubræ claræ apparent, illæ quidem tales sunt ex plurima sanguinis mistione, sed rubeæ cum colore citrino bilem seu choleram permistam habēt, similiter si maculæ uel pustulæ liuentes uel fuscæ aut uariæ in colore fuerint, illæ quidem tales ex permistione bilis atque melancholiæ cum aliis humoribus efficiuntur; postremo si nigræ fuerint ex melancholico humore naturali uel adusto uenenoso superabundante erunt, ex quibus quidem nigris pauci euadunt, cum massam humoralem iam in naturam ueneni degenerasse ostendant: & hæc de signis trium dictarum differentiarum ægritudinum malarum satis sint, quibus signis placuit etiā quædam de causis permiscere ad clariorem morborum cognitionem, qui, ut dixi, pauperes mares & fœminas & pueros plurimos corripiunt, & necant; Sunt utique quædam aliæ notæ dictarum ægritudinum, quæ ad earum generalem cognitionem faciūt, quæ cum iam dictæ sint, eas legenti colligendas dimittere satius fore duxi, & interrogationibus a Senatu factis in præsentia respondere, eas ex ordine ponendo: Vnum tamen prius animaduertam, quod tametsi dictum sit præsentes morbos ab aeris corruptione non prouenire, non propterea dixi aerem tam præsentis anni, q̄ præteriti habuisse qualitates suis temporibus proportionales, seu partibus anni conuenientes, ita ut ex omni parte aer optimus fuerit, quoniam tam præsentis quā præteriti anni tempora quatuor inæqualia & non ex omni parte secundum naturalem ordinem fuerunt; & quanquam etiam in præsentia habeat aliquam qualitatem nostris corporibus nocentem, non tamen est talis ut possit has sæuas ægritudines causare.

Primum itaque quod quærebatur, erat an maculæ magnæ & & latæ quæ in multis apparent sint eiusdem naturæ & qualitatis cum illis quæ ut plurimum in febribus malignis, & mali moris a' Galeno dictis, & an sint papulæ illæ, seu exflorescentiæ

ab Hippocrate & antiquis medicis descriptæ: ad huius quæsiti declarationem liceat mihi respondenti parum digredi, posita primum conclusione, quæ est talis, Maculas has pestichias non esse nostris his & præteritis temporibus in malis febribus euenire solitas; primum quoniam neque naturam, neque substantiam, neque operationes similes cum illis habent, aut aliquam aliam qualitatem similem illis, nam si primum ad materiam pestichiarum inspiciamus, illa quidem naturam bilis malæ habet, in qua non est omnino ultima uenefica malitia, at materia harum macularum sanguinis adusti & corrupti ac in naturam ueneni redacti est, ex qua uenefica qualitate cor, petente cito interficit; & quanquam materia pestichiarum, quæ bilis est non naturalis non careat malitia pestilentiali, non tamen est ita uenefica ut non possit à uirtute regulari, ita ut, et si non omnes, maior tamen pars ægrotantium liberetur, & pauci pereunt; & qui moriuntur non primis diebus pereunt, sed usque ad undecimam & quartamdecimam diem resistunt, multi etiam liberantur, quare neque secundum materiam, neque secundum malitiam qualitatis ueneficæ similes sunt, habent tamen tam pestichiæ quàm maculæ dictæ, quod sint contagiosæ & malignæ, sed pestichiarum malitia melius ab aeris, cibi & potus, atque medicinalibus auxiliis regulari possunt, quarũ quæ nigræ sunt deteriores & perniciosæ sunt, ex quibus etiam nihilominus aliqui euadunt; maculæ uero magnæ superius dictæ pessimæ quidem sunt, cum quibus ferè omnes citò moriuntur, & plurimi prima illa die in qua apparent; quomodo & non nisi ex maxima corruptione & uenefica malitia in massa sanguinea & aliorum humorum contracta; hæc materia primum in uenis & arteriis corrumpitur, cum a natura mouetur ut extra ad ignobiliora membra pellatur, tuncq; ad cor ipsum euaporat, & spiritus eius inficit, corrumpitq;, unde sequitur cita & inopinata mors; & quanquam in pestichiis aliquando in motu naturæ materiam expellentis accidentia mala superueniant, ut sunt lypothymiæ, alienationes & alia, non est tamen earum euaporatio tam mala qualitate uenefica affecta ut subitaneam mortem sine temporis interuallo causare possint.

Secundum, quod quærebatur, erat an præsentes maculæ latæ & magnæ, quæ in multis languentibus ante mortem apparent, uel post ut in aliquibus uisum est, quæ utique diuersæ in colo-

re sunt, nimirum rubræ, liuidæ, nigræ & aliorum colorum possint uerè pestis dici, & an sint ita contagiosæ ut sunt papulæ, seu exflorescentiæ sparsæ, & paruæ, quas pestichias uocant, & etiam an habeant illam ultimam malitiam, quam habent apostemata, carbones & antraces, quæ in aliis pestilentiis apparere solent, & an pestichiæ nominari debeant; Quibus quæsitis sic primum respondi, has maculas pestem non esse cum ipsa sit ex aeris corruptione, sed consequi ad febres malignas secundæ & tertiæ speciei dictæ, quæ causantur ex contactu, & malo regimine cibariorum & aliarum rerum; ad secundam interrogationem dixi quod dictæ maculæ tametsi contagium faciant, non sunt ita contagiosæ ut sunt papulæ, & hoc quoniam materia earum crassior est quàm materia papularum seu pestichiarum; ad tertiam respondi has maculas non habere malitiam quam habent febres uerè pestilentes cum apostematibus carbunculis & antracibus, nec etiam contagionem tam cito facere, & si multitudine materiei corruptæ plurimam malam euaporationem cordi communicet, quæ est causa mortis; quartæ interrogationi dixi maculas amplas, latas, liuidas uel aliter in colore se habentes non esse apostemata, sed expulsiones, quæ ex resudatione corrupti & uenefici sanguinis in uenis contenti, qui cum mouetur sua substantia, seu qualitate & euaporatione petit cor, sicque animal interficit, ad quintum dictum fuit has maculas non apparuisse nisi in illis iam dictis morbis à corruptione aeris pendentibus & ideo nouas nobis esse, & non uisas in febribus aliorum præteritorum annorum, sunt tamen malæ istæ maculæ & naturam ueneni sapiunt, ita, ut languentes omnes, quibus superueniunt pereant, non habent tamen illam subtilem euaporationem, quæ apparet in pestichiis, sicque dicere possumus maculas has latas nouum quoddam accidens temporibus nostris fuisse. Nolim tamen ego, cum dixi has maculas magnas, & latas esse nouum quoddam accidens, ut nouum adeò dixisse me crederet aliquis, ut innominatum esse dicatur, uel ab antiquis non uisum, ut fuit Hippocrates & post illum Galenus, aut ut credam ego non posse in consimili lue plurima alia accidentia superuenire, sed id dictum fuit ad hunc sensum, uidelicet has maculas non omnibus febribus pestilentibus & malignis, nec ex maiori parte euenire, ut faciunt pestichiæ, Simili-

ter etiam iam non sunt multi anni quod in Britannia quidem primum, deinde in quibusdam aliis prouinciis & ciuitatibus Germaniæ quædam febres pestilentes apparuerunt, cum aliis accidentibus ab antiquis minime scriptis, aut uisis, quæ ephemeræ fuerunt scilicet unius diei, in quibus languentes sudant assiduo & copioso sudore, à quo sudore hoc malũ Sudorinam uocant; qui uerò a tali lue arripiuntur nisi domum se conferant, atq; in lecto collocent, congruisq; coopertoriis cooperiant ut quantum fieri potest modestè sudent, sine dubio pereunt cum multis aliis febrium pestilentialium accidentibus, scilicet pulsu debilitate, resolutione uirium, & lypothymia, ac uniuersi corporis languore, respirationisq; difficultate, atque etiam extremorum frigiditate. Ex quibus uidere est non in omnibus pestiferis constitutionibus eadem accidentia semper apparere, sed diuersa, & aliquando non uisa, neque ab antiquis scriptoribus recitata & hoc secundum diuersas patientium corporum, regionum, & climatum dispositiones; ad cuius postremi quæsiti & reliquorum declarationem, & responsionis nostræ confirmationem Historiam tam Atheniensium, quàm Florentinorum sæuissimæ pestilentiæ superius compendiose adnotaui, in quibus etiam maculæ aliquæ uisæ sunt, sicq; desinant mirari, qui admirabantur, scientes iam longè deteriores fuisse pestilentes dictas ægritudines, & habuisse etiam accidentia seueriora nec ab omnibus uisa. Quibus sic dictis & expositis finem huic parti imponam, & secundam, quæ erit de agendorum ratione, quæ etiam in plures partes diuisa omnia declarabit, ut dicta fuerunt subscribam.

DE MODO LIBERANDI CIVITATEM A LVE PESTILENTI.

EPISTOLA XXXVI.



VM plerique alii sæuissimi morbi & ad sanandum difficiles reperiantur, pestilentes febres primo inter difficillimos antiqui illustres enumerarunt, ut pote quæ sint morbi sanatu perquam difficiles, & pro maiori parte mortiferi, quare ob hanc causam, hæc de remediis pars difficillima mihi semper uisa est, & in præsentia etiam uidetur. attamen, Dei optimi maximi auxilio confisus rem ipsam aggrediar, & quæ remedia huic arduo malo fieri conueniat enarrabo: quæ in plurimas sectiones distinguam.

Primum itaque & præcipuum remedium, quod præsenti morbo obsistere poterit, (qui pauperes & humiles homines, mulieres, & pueros, pro maiori parte é uita eripit) hoc erit inspectis prius causis superius dictis, quæ diuersæ fuerunt, una quarum fuit malarum rerum comestibilium usus, ut sunt fructus mali, & olera putrescibilia; carnes fœtidæ, & pisces male olentes, & aliæ res malæ, quas pauperes comedunt, ut scilicet ea diligentia, qua fieri potest; pauperibus & miserrimis modus aliquis nanciscatur, ut caueant ab illa nimia & ingluuiosa rerum malarum & putridarum comestione. quod facile fiet si edicto prohibeatur ne res comestibiles malæ & putridæ in ciuitatem asportentur, neque uenundentur si in ciuitate sunt sed comburantur, procuretur etiam ut sit farinæ frumenti, & aliorum granorum copia, ut panem ex ea factum comedere possint. Sintq; putei ciuitatis ab omni sorde mundati, ne aquam putridam aut fœtidam bibant.

Secundum erit, ut omni cura & diligentia uniuersa ciuitas & particularia loca, ab omni genere sordicierum, & rerum putridarum mundentur. Quare in primis plateæ nitidæ sint, & præsertim loca ubi carnes uenduntur, macellum, & carnarium uocant. Nam hæc loca semper putridis rebus scatent, & horribiliter fœtent, & nihilominus, ab hominibus necessario frequentantur nimirum cum ad carnes emendas illuc se conferant. Similiter piscariæ & ipsæ nitidæ sint, Nam pisces facillime putrescunt & ma-

le olent,& cùm hominum multitudo illuc ad emendum se conferat ne a malo & putrido aere inspirato ad deterius malum se præparent. Lauentur quotidie mane & uesperi, tam macella, quam piscariæ,ut ab omni sordicie & fœtore mundentur, quod in hac nobilissima urbe facillime,& minimo labore fieri potest, cum aqua marina ubique ciuitatis locorum & semper in promptu sit. Fodiantur item canales & riui omnes, tam magni quam parui, qui sordiciis omnium generum repleti sunt, & ea celeritate qua potest maxima, ne uapores ascendant putridi & mora facta ipsum aerem corrumpant;Sed cum pauperes sint illi qui ab his malis corripiuntur,& moriuntur,qui ut plurimum in partibus & locis arctis ciuitatis commorantur, ubi sunt angustæ calles in quibus domunculæ paruæ sordidæq; sunt,& pauperum plenæ.Nam in una domuncula aliquando & sæpissime plures simul cohabitant,ut quandoque & uiginti & plus etiam sint diuersorum(ut ita dixerim)generum:quippe cum sint & mares & fœminæ,& pueri maiores & minores omnia ibi operantes comedentes & egerentes,neque habent nisi unam tantum latrinam, & aliquando non habent,in qua omnes immundicias & uentris excremẽta deponunt,& quamplurimas alias sordicies,hæ igitur angustæ calles inter cæteras,domusq; & latrinas necesse est ut mundentur,& expurgentur ita ut loca omnia calles domunculæ & latrinæ in eis sint ab omnibus immundiciis & fœtore prorsus mundæ,ne aerem uicinum corrumpere ualeant; quæ immundiciæ extra ciuitatem deferantur comburanturq́.

Tertium opportunum remedium erit ut pauperes & pueros habitantes domunculas illas sordidas,per aliquot dies extra ciuitatem ducantur,puta ad litora uel alia loca campestria, sed litora magis commoda erunt cum habeant aquam maris qua possunt omnia mundare,& etiam sint uentis exposita, ibiq; illis domunculæ seu capãnæ ex lignis ad habitãdum per aliquod tempus cõstruantur,uidelicet donec contagio mortifera tollatur,uel dentur cimbæ paruæ uel magnæ secundum numerum familiæ, & sint, uerbi gratia ex maioribus quibus utuntur in ciuitate, ubi pauci sunt in familia,uel dẽtur maiores quales sunt illæ quæ Patauium nauigant,aut Vincentiam si maior est familia. Vel ubi magna familia erit,accipiant naues magnas uel mediocres illas quibus ad deferendas merces Ferrarienses utuntur,maneant uel in litoribus

uel cimbis & nauibus dictis donec omnis tollatur suspicio, qui modus præcautionis, in cimbas & naues ascendēdo melior omnibus aliis inuentus est. ita ut omnes qui illas ad præcauendum ascēderunt omnes incolumes reuersi sunt; quod si qui periere: illi paucissimi fuerunt. Et ideo prosequendum est & curandum, ut suspecti qui e domibus propriis egrediūtur cimbas dictas ascendant; & ne sani cum infecti permisceantur, a dominis præsidentibus salutis, positi custodes sint, qui commercium infectorum uel suspectorum prohibeant. Neque permittant ad eos deferri res malæ putridæ, & pisces fœtidi, uel similes res corruptibiles.

Quartū salutiferum auxiliū ad præcauēdum ab hac mala lue & ciuitatem liberandā (ex sententia omniū) fuit, ut domini præsides salutis inueniant Medicos aliquos probos fidelesq;, qui quotidie uideant quos de nouo ægrotant uel in dies moriuntur. sintq; dicti medici docti periti & exercitati ut possint distinguere inter accidentia febrium pestilentum, & aliarum febrium ex inflammatione uel putredine, sine pestifera mala qualitate coniuncta, & etiam inter apostemata pestilētialia, carbones, & antraces, ab aliis apostematibus & tumoribus præternaturam sine mala qualitate pestifera & maligna. Nam imperiti & sine ratione se exercentes sæpissime in hac mala constitutione decepti fuerunt uidentes bubones a morbo Gallico hominibus euenire consuetos, & eiuscemodi tumores ex labore causatos, uel alios ex causis aliis præter malitiam, & eos dixerunt esse apostemata pestifera, cum tamen cognitum fuerit illa ex morbi Gallici fuisse. similiter, & rupturæ inguinum ab illis apostematibus pestilentialibus; nescientes distinguere affirmauerant tumores esse pestilentes, & sæpe etiam Scrofulas dicebant pestilentes tumores esse, & hoc non aliam ob causam nisi ex ignorantia primorum principiorum medicinæ distinguere accidentia pestilentialium morborum ab accidentis salubriū ignorabāt, & ita languentes decipiebant, & in maximo discrimine ponebant, sicq; tota ciuitas in maximo timore & terrore posuerant. Sed cum postea a doctis & peritis uisi sunt languentes cogniti fuerunt morbi, & qui pestiferi erant & qui non, & ciuitas hoc auxilio Dei optimi cooperantis liberata fuit. & tametsi alii medici rationales ad uidēdos ægros & mortuos quotidie ex institutione dominorum præsidum salutis accederēt, cum non continue iidem medici irent, sed singulis diebus mutarentur

& altera dii alii essent, raro optimum erat eorum iudicium, quippe cum semper diuersi ætate doctrina & peritia fuerint, sicq; difficillimum fuit ueram & firmam sententiam tam de languentibus quam mortuis habere, uel saltem propinquam ueritati; siquidem per uices quotidie accedebant & mutabãtur, & hac ratione, optimum erit duos uel plures ex medicis peritis, qui quotidie tam languentes quam mortuos adeãt uel inspiciant, quoniam ex hac assidua quotidiana & cõtinua inspectione acquirent habitum & cognitionem cognoscendi infectos pestifera mala qualitate, & distinguendi illos, a non laborantibus hac maligna lue, sicq; sine errore & hæsitatione cognoscere poterũt infectos a non infectis, hi itaque medici, a præfectis dictis eligi poterunt hoc modo, uidelicet, fiat edictum publicum quod si qui docti & periti medici in tali casu seruire uoluerint, stipendio publico honesto & honorabili constituto ad Dominos salutis se conferant scribanturq; in suo papyro omnes, cumq; ex multis annotatis, ex eorum plurimi crediti pares doctrina & experientia essent, & in tali casu ex optimis illis meliores eligere desiderent, & in electione errare dubitauerint. Vocentur medici seniores prudentiores & probi ex collegio, qui iureiurãdo dicant ex multis annotatis quos ad hoc munus perficiendum sibi meliores uideantur. officium dictorum medicorum erit ut quotidie omnes nouos languentes, uel suspectos, & etiam mortuos uideant, stantes tamen in uia neque domum ingredientes neque aliquo modo eos tangant. Et in primis faciem inspiciant, ac etiam eos diligenter interrogent, nunquid riguerint, uel horor aut frigus aliqua hora eos molestauerit, & an caliditatem extraneam patiantur, uel nimis dormiãt aut uigilent, appetant uel abhorreant a cibis, aut habeãt etiã linguam aridam uel dolorem capitis, aut grauedinem, & nunquid alienationes, & quoque nunquid secessum spontaneum habeant, & qualis sit, inspiciant quoque urinas & quærant de stomachi perturbatione, ansietate, & uomitu; præterea inquirant an tumor aliqui, in parte aliqua apparuerit, aut exãthemata, papulæ ue aut maculæ aliquæ subortæ sint. & etiã cuius coloris existãt. quod si ut sæpe contingit in istis lãguẽtibus ex impotentia & laxitate omniũ mẽbrorũ e lecto surgere nõ possint, & capite laborãte, ad interrogata minime respõdere ualeãt, uel præter propositũ loquãtur, interrogẽtur hi qui cũ ægris in domo sunt, & secũdũ relata & uisa iudicẽt, & etiã

illis consiliũ de agendis dent, tam ad regimen quã ad medicamina & alia remedia facienda, non solum ad præcauendum uerum etiam ad præsens malum succurrendum si affuerit, & quoniam plurimi sunt ægrotantes qui non sunt infecti infectione pestifera contagiosa, sed laborant aut tenentur alia ægritudine morbove, puta tertiana febre uel podagra uel tumore aliquo ex morbo gallico, uel aliquo alio apostemate, aut ulcere, qui mala carent omni malignitate, & suspicione, & tamen ex pestilenti dubitatione medici domum ingredi nolunt, extra igitur stantes medici de agendis remediis eos admoneant, ordinent uictus rationem, & congruas medicinas, uel sanguinis missionem per incisionem uenæ, aut per cucurbitularum applicationem cum scarificationem, uel per appositionem hirudinum hæmorrhoidibus uel aliis locis appositarum. Et ne Christiana charitas pauperibus & ægris deficiat, eligantur etiam a dominis præsidibus salutis chirurgici, uel operatores aliqui qui uenas incidere, cucurbitulas cum scarificatione applicare & hirudines apponere sciant, qui operatores habeant per hoc suspectionis tempus, stipendium ex ære publico, & teneantur seruire ægrotis non infectis infectione pestifera contagiosa, tam in sanguinis missione uenam aperiendo quam in uẽtosarum appositione, & sanguisugarum applicatione atq; etiam si opus fuerit apostematum non pestilentialium apertione & earum plagarum curatione: iussu dictorũ dominorũ medicorum. dixi hoc quoniam plurimi pereunt, ex aliis ægritudinibus non habentes medicos ut de rebus agendis eos admoneãt. Quod si forte fortuna acciderit ut tales chirurgici uocati ad aliquem in quo signa malitiæ contagii pestiferi, post eius ingressum appareant: chirurgus ille interdicatur, usque quo suspectus omnis sublatus sit. Aeger uero ad loca ægris suspectorum & infectorum deputata mittatur, uel in aliquam ex dictis cimbis ascendat, quod magis laudo diuersis rationibus, & experimento uiso cum maior pars ascendentium dictas cimbas euaserint, & in tali casu chirurgo suspecto & interdicto detur stipendium duplum, per id tempus quod interdictus fuerit tantum: ut liberius post libertatem ægris inseruiat, & se & familiam per id tempus alere possit; Decet quoque Christianos non minori cura saluti animæ studere quam corporis, ideo antiquum salutis officii institutum obseruetur: ut scillicet, sint uiri duo uel plures senes probi presbyteri sacerdotes, &

habeant

habeant domus in diuersis ciuitatis partibus,uel sexteriis(ut uocant)stipendiumq; publicum habeant, & ea quæ ad uictum necessaria sunt.hi cum opus fuerit ad infectorum domus accedant, antequã in cimbas ascendant,uel ad Lazareta mittantur:audiãtq; peccata languentium & morientium,& reliqua animæ salutis administrent,consolenturq; ægros & cæteros qui in domo sunt;Similiter si medicus aliquis probus & peritus ad dictos languentes ingredi uoluerit,detur sibi conueniens stipendium. interdicatur tamen ei commercium cum sanis, & habeat aliquod signum, quo cognosci & distingui,ab aliis possit; puta pileum album in capite gestet. Similiter & presbyteri sacerdotes habeant signum aliquod & ut dictum fuit tam de sacerdotibus quam de medicis obseruetur,ut si fieri potest,antequam languentes moriantur,habeant tam corporis quam animæ subsidia,quæ fieri possunt; sani a languentibus separentur,& dentur illis cimbæ uel ad loca deputata mittantur,ut possint(si deus uoluerit)sanari languentes,& sani præseruari.Neque inutile erit repetere aliqua,quæ paulo ante diximus,& est,ut omni diligentia siue in lazaretis sint,siue in monasteriis,siue in domibus,siue in quouis alio loco mundiciei studeant,ita ut strata lectũ linteamina, coopertoriaq; omnia nitida & munda sint,Ad quod faciendum mulieres adsint omnia lauantes lixiuio,& uiri etiam deseruientes, & sordicies extra portantes & comburentes;qui omnes probi sint, tam uiri quam mulieres misericordesq; atque onesti & timentes Deum. & ut uno uerbo dicam regantur omnia ut iam inceptum fuit. ex præterito enim regimine res melius succedit,& plurimi liberantur.

Quintum remedium ad præcauendum futurum malum, & præsentem tollendum,erit,ut nullo pacto uestimenta, caligæ, diplomata,indusia, linteamina, & similia uetera & usitata in ciuitatem asportari permittantur, & quæ in ciuitate sunt uendi prohibeantur;sunt enim hæ res ut plurimum infectæ pestifera qualitate. Quod iam uisum est.Nam illi qui ab hac lue primo in hac ciuitate correpti fuerunt,ea de causa correpti sunt, quod res infectas ex Iustinopoli ciuitate illyrica habuerunt,& tractauerunt. hi tales qui primo laborare cœperunt ferè omnes periere, cæteri post hos per contagium a dictis uel per consimiles res infectas correpti sunt,& eo facilius, quod erant corpora cacochyma ex malis cibariis nutrita,& ex alio etiam malo regimine; quare hæ

res infectæ si in aliquibus domibus reperiantur comburantur, quoniam infectæ sunt infectione pexima.

Sexta prouisio erit, domus omnes in quibus languentes hoc pestilentiali morbo commorati sunt, uel mortui, mundentur cito, & diligentissime, præsertim domunculas pauperum cum illæ semper sordidæ ac fœtentes sint, quæ sordicies inuentæ comburantur, & etiam quædam res quæ minime mundari possunt; post quam mundationem antequam sani ingrediantur, illiniantur parietes de nouo calce, & etiam pauimenta lignea uetera innouentur, & suffumigia fiant ex bene redolentibus rebus secundum hominum potestatem & commodum, nam pauperum domus cum herbis floribus & fructibus bene redolentibus, ut est citriũ folia, rosæ, & poma bene redolentia, uel aspergantur aceto & aqua, diuitum uero, cum dictis, rosis, lignoq; aloe, belzui, ambra, musco, cinnamomo, macie, & simillimis. quæ res bulliant in aqua rosacea uel uiolarum ad tollendam caliditatem dictarum rerum, uel fiat aspersio ex permistione aceti & aquæ rosaceæ & similiũ, sed inter cætera accẽsio ignis ex lignis bene redolentibus, ut sunt lauri myrti, iuniperi, cupressi, & similes, est ex melioribus aerem rectificantibus.

Sed cum domus magnæ innumeræ fere sint, quæ soli; & uentis expositæ sunt, & habent omnem commoditatem, tam aquæ quam aeris & ignis. Dico quod si in domibus magnis laborauerint aliqui, uel nobiles, uel ciues, aut mercatores, & ipsi met uoluerint, suarum rerum curam habere, ut omni diligentia mundentur, in tali casu concedatur illis: ut ipsi & eligant, & soluant quos uoluerint, ad domum suam expurgandam uocare. Et hoc quia si res suas ab illis tractabuntur, utique & maiori diligentia adhibebunt, & minus etiam damnum suarum rerum erit. Nam cum res infectæ plurimum tempus simul sine euentatione aut alia expurgatione manent, magis eius malignitas augebitur, sicq; difficilius infectio remouebitur. Sed ut domus & res omnes omnino mundentur, & omnis tollatur suspicio de non optima emundatione rerum infectarum, cum sint quidam homines pauperes uel auari timentes impensam, & nolentes debitum stipendium pro laboribus soluere, & ista de causa mercenarii illi postea in expurgando sunt minus diligentes, ideo ut tales ministri mercenarii, hilari uultu, domus infectas ingrediantur, & ab officio suo in mundando

non deficiant, Domini præsides salutis statuant ingenue quantũ lucrari ad minus debeant, pro expurganda uel mundificanda hac uel illa domo, quod stipendium domini rerum infectarum teneantur sine aliqua intermissione temporis illis dare. dignus est enim mercenarius sua mercede. Et illi qui in tali casu seruiunt longe magis digniores sunt. Modus uero expurgandi sit ut supra diximus, & in posterum etiam dicetur; Primum res nullius, uel parui ualoris comburẽtur, tam in magnis quam in paruis domibus, ne si a sanis hominibus tractentur eos inficiant, deinde iterum per totam ciuitatem malum hoc populetur.

Septima prouisio seu præcautio ad tollendum præsens malũ, & futurum euitandum, erit doctrina de modo quo res infectæ expurgari & mundari possint; de quo modo mundationis, diu & multum dubitatum fuit, præsertim cum qui deseruiunt infectis, & languentibus tali pestifera lue, pauperes, & crudeles sint, sine Christiana charitate; neque aliud cupiunt nisi dictari qualiscumq; fuerit modus, & ideo non habent intentionem ad aliquid aliud, nisi ad semetipsos, tales itaque ministri nullo modo admittantur. Sed eligantur probi & boni uiri & misericordes timentes deum, ut res omnes mundent, amore & charitate Christiana omnia fideliter agendo. Quod si in magnis domibus, uel illi qui diuites sunt res suas infectas mundare uoluerint hoc ipsis non denegarem, dummodo omnia palam ostendant & ab arcis seu capsis extrahant, & aeri exponant uel aliis modis expurgationis expurgent, ad quod faciendum uocent seu conducant homines qui negocium perficere sciant, & possint in dictis domibus optime & secure perficere. Siquidem modi mundationis rerum infectarũ diuersi sunt, cum aliquando multiplici lauatione, aliquando frequenti & forti extersione, & aliquando longa euentatione eas aeri & uentis plurimis diebus exponendo perficiatur. uel bene redolentibus suffumigiis longis crebrisq; & per plures dies factis. In illis uero quæ nec lauando, nec tergendo, nec euentando, nec etiam suffumigando possunt mundari, hæ omnes igne comburãtur, & quoniam mos antiquus fuit ut res infectæ suspectæq; ad Lazareta mundandũ mitterentur, & huiusmodi mundationis modus difficilis & lõgus nimis sit neq; optime & perfecte mundentur, tametsi Lazareta seu hospitalia loca plurima & spaciosa habeãt, nihilominus multæ causæ sunt, cur nõ bene expurgẽtur,

& in reditu dictarum rerum de nouo aliqui qui eas tractauerunt correpti a malo pestifero fuerunt,quarum prior & potisſima eſt quoniam loca illa ſeu Lazareta & homines in illis habitantes infecti procul omni dubio ſunt,ſecũda eſt quoniam & ſi ut dictum eſt ſpacioſa ſint loca illa,tamen reſpectu tantarum & diuerſarum rerum quæ ad illa loca quotidie deferuntur auguſta ſunt nã ſemper aliæ & aliæ a ciuitate,ad illa loca res mittuntur,ita ut nõ poſſit res omnes commode capere,ſed neceſſe eſt eas in cumulum redigere:quod maximum eſt.Nam cum dictæ res ſtipatæ maneãt non euentantur,atque ita maiorem malitiam acquirunt, & peſtiferam cõtagioſamq; qualitatem difficillimam ad remouendum. quare optimum erit conſilium,ut nullo modo res infectæ uel ſuſpectæ,ad dicta Lazareta deferantur,ſed ad loca campeſtria boni aeris & uentis expoſita,uidelicet ad prata continentis uel uicina littora,ſintq; in illis locis,nubilaria uel tecta plurima ſeu tectoria dixeris non refert.ſub quibus mobiles res(ut a pluuiis , & aliis cuſtodiantur)collocentur,& hoc quando citius fieri poterit , & etiam quam cito mundentur & uententur,ne (ut dixi) ſimul in aceruo,uel arcellis,uel ſarcinis,ſtando, maiorem acquirant malitiã.Et cũ aliquæ res ſint quæ expurgationibus dictis non poſſunt mundari,ſiue aliquo temporis interuallo, & in mora periculum ſit,quare comburantur. Neque quæ mundatæ fuerunt poſt earum mundificationem ibi detineantur, ſed ad alia loca uentis expoſita deferantur,antequam ad proprias dominorum ipſarum ædes aſportentur,ut ſint ab omni ſuſpicione malæ qualitatis contagioſe expurgatæ.Et ut dixi hæ omnes rerum mundificationes quanto citius fieri poſſunt fiant,tam lauando, quam tergendo & euentando,aut ſuffumigando,uel ultimo loco comburendõ, uerum enimuero cum non omnes ad prædictas rerum mundificationes apti ſint,ideo eligantur homines prudentes,fortes,animoſi,& ut ſuperius dicebamus probi, ac Deum timentes , qui laborem in expurgandis rebus ſuſtinere poſſint . Et cum difficillimũ ſit à furibus cauere,& eorum nequitiam euitare, ſint miniſtri , & cuſtodes probi,qui ſint ſuperiores & imperantes dictis , qui habeant res omnes deſcriptas,ſibiq; deſignatas & enumeratas , quas res miniſtris,qui eas mundare debent conſignent , & donec expurgentur eas continue à longe uideant omniq; negotio aſſiſtãt. ſintq; uigilantes & curent omni diligentia ut mundentur: diſcur


rendo pro eo prata uel litora, modo ad unam modo ad aliam partem, ubi res mundantur. Et facta purgatione fiat restitutio integra, tam secundum speciem, quam secundum numerum rerum receptarum, similiter procurandum erit ut domus tam magnæ quam paruæ, in quibus infecti, uel suspecti habitabant, & ipsæ mundentur, a quocunque genere sordiciei, in omnibus partibus antequam ad illas habitandas reuertatur, latrinas præsertim, & cloacas, & hoc omni diligentia, ne forte iterum ex mala putredinis qualitate in ipsis relicta inficiantur. superfluitates uero & inmundicies dictarum domorum extra ciuitatem ducantur & crementur, sine aliqua temporis intermissione, & in summa res omnes suspectæ quæ nec lauatione nec tersione, nec fricatione, nec uentatione, nec alia consimili genere purgationis mundari possunt, quamplurimum comburentur. Siquidem ut sæpe diximus in mora periculum est ne maiorem putredinem concipiant, & maiori malitia concepta aerem & homines magis inficere ualeant.

Hæc sunt quæ ipse (ut nosti) coram te ac Senatu dixeram de hac ipsa re. quæ omnia propterea literis mandaui ut posteri uideant, te nihil prætermisisse, quod faceret ad ciuitatis liberationem, perniciosorumq́ morborum curationem. Quæ res fortasse illud etiam utilitatis in se habebit quod uiam monstrare poterit leuandæ stragis pestiferæ si forte quodam tempore euenerit, ut ciuitas laboret hac calamitate, quod auertat Deus.

Tu uero uale & te nobis incolumem conserua, cui me & Laurentium meum plurimum commendo, M D L V I I. Mense Decembris.

FINIS.

VENETIIS, Ex officina Stellæ Iordani Zilleti. M D L V I I I.









NICOLAI MASSAE

EPISTOLARVM MEDICINALIVM

TOMVS ALTER,

Nunc primum in lucem editus.


IN QVO METHODVS CVRANDI VNIVERsalis, & ad profliganda uaria morborum genera consultationes saluberrimæ continentur.


MVLTÆ ITEM HIPPOCRATIS, GALENI, AVICENNÆ, aliorumq; insignium medicorum obscuræ enodantur sententiæ.

LIBER PHYSICIS, CHIRVRGIS, ALIISQVE medicinæ studiosis maximè utilis, ac necessarius.

Cum gratia & priuilegio.







Venetiis, Ex officina Stellæ Iordani Zilleti, M D L V I I I.

BERNARDINI *Feliciani*
Carmen.

Quicunque curare artibus medicis graues
Morbos, & æstus febrium
Sedare concupiscis, unum iam legas
Massam: hic enim breuissime
Exponit omnia, Cous olim quæ senes,
Aut Pergamenus in suis
Scripsere libris, multaq; insuper addidit;
Ceu riuus à magno fluens
Fonte, saliens læta hac, & illac pascua
Irrigat, ut inde uberrimos
Fructus, colit quicunque rura proxima,
Percipiat. Haud inueneris
Hic uerba selecta nimis, aut ornata, sed
Trita, & usitata singula,
Ac, quas agit, res grauiter exprimentia:
Paruo ut labore reperias,
Nullo'ue potius, quicquid indagare in hoc
Decreueris genere. Ergo age
Studiose lector, omnibus missis, in hunc
Incumbe toto pectore.

Io. Francisci Perandæ Epi.

Quid tandem supereſt operum mortalibus auſis?
Quidue hominum ſuperis æmula mens cupiat?
Haud equidem miror uetitum'ue Promethea cœlo,
Inuia'ue humano tartara preſſa pede:
Quando etiam præſtat, quod Diuum eſt, MASSÆ repertis,
Dum fera pæonijs uincere fata docet.

LAVRENTIO PRIOLO VENETAE REIP. PRINCIPI SERENISSIMO Nicolaus Massa S. P. D.



MVlta sunt, quæ me admonent, Serenissime Princeps, uolentem partem alteram opusculorum meorum emittere in lucem, ut eam tuo nomini inscribam, ac dedicem. Nam cum princeps sis huius ciuitatis, in qua ipse cum uitam hausi, tum usque ad hanc ætatem omnibus charus uixi, mihi uideris hoc iure tuo repetere à me posse, quod ego patriæ debeo. Sed in te etiam præcipuæ, maximæq; causæ cum sint, cur id faciam, quæ eædem certe sunt, quæ te principem Reip. effecerunt, dimittam cętera; dicam de uirtutibus tuis: quæ ad hoc ipsum, quod in præsentia me uelle uides non modo me, qui maximè omnium meam, erga te uoluntatem tibi significare semper studui, sed quemuis alium, id nihil etiam cupientem, aut cogitantem impellere potuissent, si quicquam apud eum uirtutis nomen ualeret, atque existimatio. Quis est enim qui uirtutem ad miretur, qui non amet item eum, in quo uirtus sit? Quis iustitiam, fortitudinem, temperantiam excoluit, & uirum iustum, fortem, moderatum ac temperantem non colit? Sed te eum esse, qui

hoc etiam nomine coli, & uenerari ab omnibus possis & debeas illud indicio est, quod cum multi sint in hac ciuitate, præclari illi quidem homines, & omni genere uirtutum præditi (ut nemo ignorat) tamē te patres, & flos ipse senatus inter tot, ac tantos claros, atque illustres uiros unum eligere uoluerunt, quem principem veneti imperij declararent. Quæ res tanta tamq; magni momenti est, ut maior esse non possit. testimonio enim suo effecerunt, ut nullus dubitaret eundem te cumulatissimum omnibus esse uirtutibus, & omnium tuæ ciuitatis præstantissimum existere. Neque me parua dicere existimo, cum præstantissimum omnium, qui in hac ciuitate sunt te ipsum appellem. Primum quia omnes uirtute superare, & pręcellere, qui in una ciuitate sunt gloriosum semper est habitum, atque existimatum. Deinde quia tuos ciues in hoc laudis genere uincere idem duco, ac si uniuersas, quæ ubique terrarum sunt, gentes eadem gloria anteires, & longo post te tramite relinqueres. Nam si nulla est natio, nulla gens, quæ gente Itala illustrior sit, & in omni uirtute admirabilior: & si itē origo initiumq; Venetę urbis illud fuit, quod nemo negat, id est ab hominibus propter uirtutem omnium præstantissimis, qui tum in Italia uigebant, qui rabiem eorum temporum in hoc angulo Hadriatici maris effugerunt, quid est cur du-

bitemus affirmare illud, quo de modò diximus, & te inter cęteros mortales ita excellere etiam non statuamus, ut neminem parem habeas? Si enim quis solem uiderit nobiliores, lucidioresq; stellas reddere lumine suo obscuras, atque illud idem non posse facere, & maiora in illis, quæ debiliores sunt contenderit, stultus omnino habebitur. Sic cum te tuos in omni genere uirtutis uincere, & superare uidemus, stulti sumus ni fateamur multo melius cęteros. Ego uero, qui & te iam diu cognoui, &, quod corporis, ualetudinisq; tuæ curam habeo, intime, familiariterq; tecum uersor, nunquam tuam excellentem uirtutem nõ intueor, nunquam tuos mores non admiror, non imitãdos mihi ante oculos propono, & diuinam illam tuam naturam assequi contendo. Cęterum quanquam illud tuorum maiorum proprium, peculiareq; fuerit semper uirtute excellere, qui quidem in summis magistratibus positi, procuratoriaq; dignitate, ut multi fuerunt, constituti, &, ut nunc est, frater tuus, nunquam non ostenderunt uerum esse quod dici solet,

Neque imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:

Tu tamen à studijs literarum, & philosophia ipsa, quasi quadam diligenti cultura addita fertilissimo solo, habuisti, quod tibi comparares ad eam felicitatem augendam, quæ summi Dei li-

beralitate in te erat. Non est in philosophia res tam abstrusa tamq; recondita, quæ tibi facilis, atque explicata non sit, tum quia peritiam græcarum literarum habes, & à fontibus hauris claris, & limpidis philosophiam, id est, ut tu appellas, scientiam rerum humanarum adiunctam, & copulatam Theologiæ christianæ, tum etiam quoniam quantum temporis, & ocij à maximis occupationibus tuis datur tibi, illud totum consumis in liberalioribus doctrinis, unde & animum tuum exornas, & populos tibi subiectos summa ęquitate moderaris: & antequam princeps esses declaratus inter summa negocia, quę intus, forisq; pro Rep. agebas, nūquam dimisisti studia literarum. Quare hac de causa possunt, qui tibi parent, & uiuunt sub tuo imperio, felices dici: quando Plato etiam tuus beatas resp. putauit, si aut docti, & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina, & sapientia collocassent. Et quoniam nihil abhorret à philosophiæ placitis medicina, idcirco factum fuisse existimo, ut eam uolueris tibi esse familiarem, & libenter uersari in præceptis illius facultatis perdiscendis, quæ, quemadmodum est quodãmodo necessaria omnibus, unusquisque enim se ipsum à nocuis præseruare debet, & est utile interdum, cum quis affectus est, ut is de medicamẽtis, & morbi genere, medicorumq; opinionibus

possit

possit iudicium facere ex arte: sic tantam parit iucunditatem, ut nihil ad oblectamentum animi medicinæ studiis reperiri possit iucundius. His accedit amor tuus singularis erga me, & Laurentium Massam nepotem meum: pro qua re tibi tantum debemus, quantum uerbis explicare non possumus. Sed nolim existimes me propterea mittere ad te labores meos, quod paruo hoc munere uelim gratias referre tibi pro beneuolentia tua, sed, ut omnibus testatum relinquerem omni tempore, me tibi esse obligatissimum: & ut mea scripta, quod suis opibus ipsa non queunt, gloria, & maiestate nominis tui commendentur opinionibus legentium, & inter homines diutius uiuant; atque ut patrocinio tuo grauissimo, summaque auctoritate tua fulcita possint odium ultare, & sustinere inuidiam eorum, qui cum nihil ipsi moliantur, quo posteri utilitatem capiant, semper tamen alterius industriã accusant, & damnant: qui eo magis deterrebuntur, quo uiderint te alacrius, & libentius ea suscipere. Quod ut facias te etiam, atque etiam rogo. Vale.

**

HVIVS SECVNDÆ PARTIS OPVSCVLOrum, Epistolarum, & Consiliorum Index.

FINIS.

A

B

C

D

N

O

***

Errata sic corrigito.

Folio.2.b.linea.27.ideo lege,adeo.F.4.a linea.5.unica lege mea. F. 6. a.linea.1.ætatis,lege æstatis.F.eodem.b.l.ii.omnia,lege somnia. & linea 13.plumbeaceæ.F.9.b l.29.tute potest,interpone,ex hæmorrhoidibus. F.12.a.linea.37.comistione,lege comestione.F.17.b.lin.24.tenuerit, re nuerit.F.19.a.lin.25.quomodo,quoniã. F.25.a.li.1.ʒ.5.q.5.& li.15.at si, adde,in.F.eodem. b.lin.19.ʒ.5.q.5.F.26.b.linea.26.anti,anethi.F. 27.b, lin.9,semperuiua,adde minor.F.29.b.lin.12.decocta,lege,decoque,& & linea.13.saccharo,sacchulo.& linea.16.contusis lege contusa.F.31.a l.35.hastale.lege,nastale.F.33.b.lin.9.iam,eam.F. 34. 6. lin.7. potest est, dele,est.F.36.b.lin.ult.quasi quas.F.37.a.lin.2.consequens, consequuntur.F.38.a.lin.9.domum,domo.F.41.b.lin.15.plurimum, pulmonum, F.43.a.lin.14.qui quod.F.51.b.li.17.corporis,corporei,& lin.36.lumina,limina.F.53.a.lin.14.quod,dele.F.eodem,b.lin.6.non,dele.F.55.a.li. 10.mutuando,lege,mutando.F.58.a.lin.15.iam ita.F.62.b.li.16.q quæ & lin.26.extremo,extraneo,& li.penu. putrefactus,putrefactiuus.F. 64. b.lin.30.Est,esse.& lin.pen.essentia,adde,non sit. F.67.a.lin.6. quæ ab; præpone,& quædã intrinsecæ.& lin.8.extrinsecis,intrinsecis..F.70.a.li. 14.quærenda, quærendũ,& lin.15.remissio,remissionẽ.F.eodem.b. li. 35.maritum,inanitum. F.71.b.lin.23.sibi,tibi.F.77.a.li.36.minoris,maioris.F.78.b.lin.32.intermittit,si,interpone;at.F.79.b.lin.32.inspiciẽtes incipientes.F.80.a.lin.6.ductu,tactu.F.93.b.lin.15.inunguntur;unguntur.F.94.a.lin.ulti.uulnere,obstaculo,interpone sine.F.96.b,li.2. phisici phtisici.F.102.b.li,35.per,dele.F.103.a.l.15.processu adde,curatus est. F.108.b.li.8.causa,dele.F.3.b,lin.32.quæ,quas.& lin.2.reuertere,reuerte.F.114.b.lin.31.ostendere,ostendi.F.115.b.lin.4.per,post.F.124. a.li 33.superflat superfluat.Fol.127.lin. 10.zazeneæ adde.℥.j. F. 129.linea. pen.&,ex.F.133,a,li.4.duo dico.F.eodem.b.lin.2.cogitatio, cognitio,, F.134.a.huius anni ad minus ex castratis,lege,& ex castratis unius anni F.136.a.lin.30.naturales,narrantes.F.140.b.li,13.misto,mistum.F.149. a.lin.10.causarum,causatorum.F.150.b.lin.38.terminum, torminum. F.151.b.lin.9.uenarum,uentura.F.155.a.l.9.amore,à more.F.157.li.27. multum casu ductas,lege multas iam dictas.F.160.b.lin.26.mox, nox. F.167,a.lin.14.plirisarcoticum,plirisarcotici.F.170.a.lin.19.eum,illud. & li.ult.ii. debent lege, is debet.Fo.eodem li.26.inspectantium, inspicientium.F.171.b.li.22.curauerit,lege,caruerit.F.174.lin.23,ʒ.vi.℥.vi.& lin.24.ʒ.1.℥.i.F.eodem.b.lin.28.thebaici,adde,℥.5.F.176.b.lin.18.declinationem,lege,declarationem.Fol.177.b.l.32.infudum,lege mundum. Fol.178.b.lin.21.hæc,hæ.

AD BONARVM ARTIVM STVDIOSOS AC VERITATI ET VERÆ SAPIENTIÆ AMATORES

NICOLAVS MASSA.



VM de more ad uisendos ægros una cum quibusdam bonarum artium & medicinæ studiosissimis iuuenibus in cymba ueheremur, commentaremurq; inter nos (ut aliàs solemus) de philosophicis atque medicis quæstionibus; illis me (ut solent) animi gratia interroganti bus: cumq; essent multa ad utranque partem in his rebus de quibus disputabamus, à nobis dicta & examinata: tandem incidimus in sermonem de eleganti animi discursu & perfecta rerum cognitione, atque de uerborum ornatu, concinnaq; & perpolita oratione: de quibus rebus sententiam nostram non inualidis fortasse rationibus tutati sumus. quæ cum probaretur ab illis, ea omnia aut pro maiori parte literis mandare uolui: ut, qui & ingenii bonitate, & dicendi ornatu plurimum inter bonarum literarum professores excellunt, hæc legerint, malorum quorundam auctorum persuasione omissa perfectam animi elegantiam & candorem magis cognoscant, illiq; studeant, & æmulentur. Oratio igitur nostra sic exordiebatur, (post aliquos sermones quos non scribo, ne uidear conterere uelle tempus in his quæ minus necessaria mihi uidentur) Admirantur sanè ac uehementer dolent bonarum artium professores, præsertim, qui in philosophiæ & medicinæ studia diligentius incumbunt, quòd quidam superioribus annis incredibili quadam hominum seditione aduersus eminentissimos quosdam in omni genere scientiarum scriptores, ita inuecti sunt, ut non satis constet quibus ex antiquis illustrium sapientum scriptis, cum in unoquoque alio studiorum genere, tum in ipsa medicina dare operam oporteat, quosve negligere satius sit. quamobrem si nulla unquam causa, nullaq; prouincia suscepta est à doctis uiris, quæ magis necessaria sit quàm pro ueritate

dicere, & contra garrulos æmulantes tutelam suscipere hominum præclarorum, certe in hoc omnes maxime uersari debent. Mihi autem hoc facere cogitanti fortasse difficile non erit assequi quod contendimus. istos enim ueritatis detractores conuenire unusquisque potest, cum ipsa ueritas contra hominum ingenia, calliditatem, & cauillosam solertiam se per se ipsam sua ui defendat: habeatq; plurimos etiam sui apertos cultores, & fraudi inimicos, quorum auctoritas & rationes plus apud ueridicos homines quam apud malignos certaminisq; cupidos & contentiosos ualebunt. Cæterum mihi quidem uidetur inquisitio & ueri inuestigatio propria hominis sapientis esse: equidem nil tam indignum sapientis grauitate semper putaui, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit & cognitum sine ulla dubitatione defendere: quod contingit istis calumniatoribus, qui nemini parcunt nulliq; non detrahunt, in quo ego soleo nostrorum temporum conditionem deplorare: in quibus tot ingenia in omni scientiarum genere celeberrima extare uidemus: ut homines admiratione plane obstupescant. tamen nescio quo spiritu ita multi ducuntur, ut contra omnes fere antiquos sapientes uniuersa mutare & uertere contendant. hi non solum in grammaticos, rhetores, & cæterarum artium auctores petulanter inuehuntur, sed in sacrarum diuinarumq; literarum, & philosophiæ, atque; quod ad nostram spectat facultatem, medicinæ etiam cultores temerarie, contumeliose, & insolenter, nec sine maximo generis humani discrimine, etiam odiose insultant, illos inter cætera accusantes, qui copia uerborum in suis scriptis atque ubertate elegantiaq; & facundia non sunt usi. Sed cogitare inter se debent qui horum hominum ornate loquentium sententiam adstipulant, magnis altissimisq; rebus tractandis maiorem eloquentiam exoptandam non esse, cum res maximæ & sublimes, quæ ab eleganti intellectu moliuntur, satis per se ornatæ & cultæ sint. Siquidem mentis elegantiam & pulchritudinem in optimo discursu, & firmis rationibus consistere omnes sapientes affirmant, quibus si uerborum fucum addideris, fortasse multum de sua maiestate detrahes, quemadmodum euenire pulchris mulieribus solet: quæ cum uultus suos coloribus pingere student, nihil augent, sed deturpant potius pulchritudinem, atque ea ratione uictus is sum ego qui cum

Auerroe nostro sentio, illos esse barbaros, qui ueram intellectus elegantiam & rerum cognitionem non habent, sed utinam unà cum uerborum ornatu ii qui hoc nostro tempore sapientes se haberi uolunt, mentis & intellectus elegantiam subtilitatemq; haberent, & rei ueritati potius quam uerborum ornatui, fucoq; orationis studerent: cum qui oratione tantum ualent, neque profundiori sententia præditi sunt, more sirenum cantu mihi leues homines tantummodo allicere uidentur, & nihil aliud facere. Sed huius inscitiæ erroris q; causa grammatici quidam fuerunt, uniuersa mutare tentantes, qui hoc nostro tempore emerserunt, itemq; alii qui non grammaticos se esse profitebantur, sed philosophos; qui utinam quidem fuissent, non enim haberemus cur maxime doleremus. Hi enim philosophiam fucatis uerbis docentes, non ab illis ueris sapientibus edocti qui principia artium & scientiarum tradiderunt (ut fuit Aristoteles & quamplurimi alii illustres auctores & expositores) ea homines suaderunt addiscere, quæ uerborum fuco metaphorisq; & poematum figmentis ornata essent, ab illis præsertim qui diuersis de rebus data sibi occasione diuersa scribendo narrant, disputant, monent, & suadent, ut sunt oratores & rhetores, qui de unaquaque re proposita se dicere profitentur, & Poetæ à quorum carminibus uolunt unamquanque scientiam nos posse & debere perdiscere. Consilium & temeritatem quorum non possum non detestari, ut pote quæ maximum addiscentibus malum pestemq; inferant, nisi aliquo modo occurratur. Sed quis quæso ita secors & obtusi ingenii est, ut credere possit melius ab alienis & non principia scientiarum docentibus posse discere, quam ab illis qui ex professo scientiam aliquam tradere studuerunt? quanquam non uerborum elegantia aut pulchris periodis, sed ingenii dexteritate sciendi modum & scientias docuerint. qui & si ab omnibus doctissimi censeantur & luce meridiana clariores sint; quosdam tamen enumerare non pigeat, ut uidere possitis quanto in errore uersentur qui aliter sentiunt. idq; incipiemus, à diuinarum rerum sapientibus, qui intellectus facundia & elegantia leges diuinas conscripserunt, & religionis nostræ fundamenta iecerunt, atque naturæ arcana illustrarunt. Dii boni quis dilucidior inter theologos Thoma Aquinate, res diuinas & religioni nostræ consentanea conscripsit? atque ab omnibus calumniis &

sophisticis cauillationibus defendit? & in Aristotelis libros clariorem expositionem edidit? O' admirabilem omnium intellectuum elegantiam, ó omnium scientiarum sine uerborum fuco indagatorem, & hæreseon acerrimum hostem & bellatorem, qui præceptoris sui Magni Alberti doctrinam non modo æquauit, uerum etiam longe superauit, & aliis materiam (præsertim subtilissimo Ioanni Scoto) æmulandi dedit, ita ut competitor data sibi quasi quadam tantæ ingenii elegantiæ occasione contenderit, eum si fieri potuisset superare. Verum is non uerborum cocinnitate sed ingenii mirabili & inaudito candore subtilissimi doctoris nomen sibi uendicauit. is intellectus sublimitate antiquorum omnium subtilitates superauit & uicit. & demum is omnem litem & causam obtinuit, rei ueritate atque constantia, non (ut dixi) Sirenum more homines cantu decipiens, & obcæcans ut ueritatem minime cognoscere possint, sed exquisitissimis rationibus rem uniuersam clare & dilucide ostendens. Et ne uobis in enarrandis diuinarum literarum cultoribus qui magnis de rebus nulla uerborum affectatione scripserunt, longa oratione tædio sim, multos qui clari ingenio fuerunt, uobis memoria repetendos relinquo. Quosdam tamen & illos quidem illustres uiros enumerabo: qui tam in supernaturali quam in naturali & rationali philosophia & etiam medicina & aliis scientiis intellectu & discursu præstantes fuerunt, tametsi quidam eos barbaros uocitent, & ueluti ignauos spernant, atque contra eos latrent; in quorum elegantissimorum ingeniorum numero doctissimum commentatorem Auerroim habemus, uirum certe magni ingenii, & ideo incomparabilis doctrinæ, ut nulli secundus à doctis uiris arbitretur. Vtinam nos item omissis uerborum fucis, tam digna tamq; multa sciremus, & illam illustris huius hominis intellectus elegantiam haberemus; non enim tam rari essent, qui uerè docti dici possent. Dii facerent ut qui nostra hac ætate philosophiam & reliquas bonas artes profitentur, ea ingenii elegantia præditi essent in rerum causis assignandis atque in omnibus ueris demonstrationibus afferendis, ut aliquando cum doctissimo Auerroe comparari aliqua ex parte possint. is per Deum non modo nostræ ætatis omnes sapientes æquauit, uerum etiam antiquos quicunque illi fuerint longe superauit, seq; mirabilem Diuinæ, rationalis, & natura-

lis philoſophiæ commentatorem & rerum omnium cauſarum indagatorem incomparabilem in omnibus ſuis ſcriptis oſtendit. Is etiam moralem philoſophiam,quam Ethicam Græci uocant, eleganti ingenio dilucidauit.Sed quid laboro? nonne Auerrois fama ſuper ſydera notus eſt? non ſolum in enumeratis, ſed in altisſimis reliquis omnibus ſcientiis, & medicinalibus etiam ſpeculationibus? poſſem & alios Arabes philoſophos & medicos illuſtres enumerare, quos uti barbaros ſpernunt, ut eſt mirabilis atque doctisſimus Algazel,uir quidem diuini ingenii, & ſubtilisſimi diſcurſus, & Auicenna, cuius doctrinam non ſatis laudare poſſum, præſertim ſupernaturalem illam, quam græci Metaphyſicam uocant,& rationalem, quam logicam dicunt, & etiam eam, in qua de omnibus partibus naturalis philoſophiæ diſſerit, item medicinæ opus, in quo tam ſpeculatiuam quam practicam ſcientiam ita docte & cumulate docuit, ut ſi quid ſuper addi poſſet, illud quidem incomprehenſibile foret. Quanti uero fecerit antiquitas Raſium Medicum, Auenzoarem, Haliabbatem,Iſaacum, Serapionem, Ioannem Meſuem, & plures alios doctisſimos & ingenio præditos Arabes, teſtes ſunt quamplurimi antiqui ſcriptores,& uolumina referta horum ipſorum laudibus. Poſſem etiam & Latinos plurimos enumerare, qui non linguæ ornatu, ſed ingenio & diſcurſu clari fuerunt, ut eſt Gentilis Fulginas Auicennæ ſubtilisſimus expoſitor, & Iacobus de Partibus, Matthæus de Gradis, Thadæus Florentinus, Thomas de Garbo, Iacobus de Fuligno, Truſcianus Monachus, qui & pluſquam commentator cognominatur, Petrus Aponenſis conciliator,Nicolaus Florentinus,Michael Sauonarola, Guilielmus Placentinus,Gordonius,& innumeri ferè alii,qui omnes priſcam medicinā ſuis ſcriptis illuſtrarunt.Sed fortaſſe dicetis,quorſum hæc tam multa de præſtantia ingenii atq; ſublimitate? ut ad monitos candidatos bonarū artiū faceremus,ſi qui ſunt, qui rerū cauſas negligētes, hunc exquiſite loquendi modū adamare ſolēt, ut aliquando reſipiſcere incipiant,ac medicinam ſalutarem contra hanc peſtem præparent. eſt enim (ſicuti exiſtimo) animorum maximus morbus ueritati rerumq; ſoliditati inania uerba anteponere, quæ quidem medicina facile parabitur, ſi primum & ante omnia ueritatem diſcurſu & ratione inueſtigare ſtatuerint, ea,quæ ad bene recteq; dicendum ſpectant, non omnino


omittendo, Quare uos & cæteros, quiqui illi fuerint siue professores siue candidati cuiuscunque scientiæ & disciplinæ, has nostras querelas intelligentes,& ueritatem scire cupientes, magnopere hortor, atque obtestor, ut omnes tam Latinos quam Græcos, Egyptios, Chaldæos, Arabes, Hebræos, atque etiam Italos,& alios quoscunque scriptores legant, si qui docti & eleganti ingenio fuerint, neque eos spernant, etiam si ab aliquibus é diuersis idiomatibus ad certam suam linguam uel aliam quamque, quæ aut inculta per se ipsa sit, aut sine uerborum ornatorum copia legantur, si modo dum uerba & ornatum contemnunt, sensuum elegantiam non omittant; in quibus maiestatem scriptorum & ueram elegantiam sapientes omnes constituunt. Siquidem interrogatus Cleanthes magni nominis(ille quidem Philosophus, qui Zenonis Cittiĉis scholam successor excepit) quid causæ esset, cur inter ueteres cum pauci philosophati essent, plures tamen quam nunc illustres & clari euasissent, Respondit quoniam tunc res ipsa exercebatur, nunc uero uerba tantum. ó mirabilem hominis uere. Philosophi sententiam naturæ & rationi consentaneam; qua admonemur ueritatem rei discere oportere: quod uos etiam, ut facitis, facere admoneo, & uerba contemnere, non enim sapimus quia ornate loquimur, sed quoniam per causas ratiocinando discurrimus, dũ mens uerum á falso,& probabile á necessario cognoscit, & secernit. Cuius sententiæ Plato etiam fuit, qui non propterea quód ornatui uerborum studerent, sapientes quosdam esse uolebat, sed illos putabat sapientes qui ingenio præstarent, & optimis artibus atque singulari doctrina ualerent. quod cum ita sit, uos iterum admoneo; sed quid ego uos admoneo? noui enim ingenium uestrum. illos potius admoneam qui isto delirio laborant, ut salutarem medicinam præparare studeant:(hoc pacto scilicet) ut primum quæ ad ratiocinãdum uel ad artem rationalem spectant animum intendant, & instrumenta ad hoc faciendum parent, quæ logica dicitur, & est rationalis scientia, uiam ad principia omnium scientiarum habens, sine qua cæteræ scientiæ minime acquiri possunt: siue illæ diuinæ, siue naturales sint; quód si rationalem scientiam cum recte dicendi ratione atque etiam poetica arte associauerint(quam pauci nostro tempore habent) hæ plurimum ornamenti sapienti animo erunt, sed si poetica & ars dicendi non aderit, eas non magnopere exopto

in sapiente: Verum qui tantum ut ornate dicant student, de ueritate nihil cogitantes, diuinam ratiocinandi & demostrandi scientiam omittentes, uel eam ab oratoribus & poetis discere melius posse arbitrantes quàm à propriis professoribus; ii in summo & maximo (unica quidem sententia) uersantur errore: præsertim cum Aristotelem & eius commentatorem Auerroim, atque alios eminentissimos expositores spernant & accusent, eorum uel scribendi breuitatem uel obscuræ abditæq; naturæ operationis declarationem incusantes, ut pote eam doctrinam quam ubique uerborum inuolutionibus, & sophismatibus ab expositoribus deprauatam sæpe legere contingat. Hæc uero clarorum hominum accusatio ut mihi persuadeo ualidiori & deteriori malo alimenta parat atque continue subministrat, hebetat enim addiscentium animos, & lumina cognitionis obstruit, ut postea illos non pudeat in doctrinas & scientias ab omnibus per tot sæcula & cultas & ueneratas inuehere: & hoc quoniam & uera cognitione carent, & habitum quendam fecerunt male de omnibus rebus dicendi, & nulli parcendi. Siquidem cognitio nil aliud (ex sententia omnium sapientum) est quàm usus, seu functio earum imaginum quæ in animo sunt, perinde ac in speculo quodam; quam cognitionem qui ignorant, non possunt sapientum arcana percipere: sicq; habitus diuturnior in alteram quasi naturam conuertitur. Satis igitur hæc dicta existimarem; si prius eos qui male de antiquis scriptoribus sentiunt, rogare possem, ut accusandi bonarum artium antiquorum & modernorum scriptorum studium deponere uelint, & si iterum candidatos & omnes optimarum literarum professores plurimum & uehementer etiam atque etiam impellere & hortari possem, ut sapientes & ingenio elegãtes, rationibus falsis & calumniis defendere conentur, atque omnes scriptores & bonarum disciplinarum præceptores, qui eleganti sunt ingenio legere uelint, non ut ab eis copiam uerborum aut persuadendi modum, phrasim, cultamq; orationem accipiant, sed ut ueritatem, & ea quæ faciunt ad rectam rerum cognitionem, quas scire cupiunt, addiscere & extorquere ualeant, atque in suum usum conuertant, addendo si deficiunt, & declarando si obscure scripserint; eos semper laudibus extollendo qui subtilissima naturæ arcana aperierunt, tametsi non ornata & culta oratione scripta fuerint, eos etiam admonitos esse uelim me non

minori studio illos fugiendos esse præcipere, qui suadent nullis credendum, præterquam (exempli gratia) Aristoteli, Platoni, Theophrasto, Hyppocrati, Galeno, & quibusdam similibus antiquis & claris scriptoribus, nisi eorum dicta dictorum auctorum auctoritate comprobentur, cum liceat omnibus cum ratione dicentibus sine antiquorum auctoritate fidem præstare, & sua scripta legere: liceatq; in hac auctorum copia & abundantia probatos aliquos cum ratione scribentes eligere, & ad suam instructionem & doctrinam accõmodare. Cæterum etiam à factionibus, & fucatis sectis cauendum, & tanquam à contagione uenefica procul fugiendum, Et, si præcipere eis possem, admonerem ut in imitandis antiquis scriptoribus non in omnibus dictis & uerbis eos imitari uelint, & (ut aiunt) in uerba magistri iurare, sed in optimis rationibus & discursu fundamenta reponere; sicq; tantum ab illis elicere liceat, quantum animus suo rationali discursu intelligere ualet. Porrò stultum ineptumq; esse ab aliquo id haurire uelle, uel quod non habuit, uel nos assequi non possumus. Hæc si cordi habebitis, omnia uobis clara erunt, ut potè à fontibus bonarum artium salubribusq; sumpta. Quæ si aliis impartiri uolueritis, diuinum quidem opus operati eritis, cum omnibus prodesse dei optimi maximiq; munus sit. Quam plurimas alias rationes & exempla præter dicta ad maiorem dictorum confirmationem potuissem illis dicere, & nunc literis mandare, sed quoniam rem in promptu & in luce clarisſima iudicaui, dictum satis fuisse uolui. quæ quantum ueritati faueant, facile legendo docti cognoscent. Valete. M D L VI.

METHODVS

METHODVS MEDENDI VNIVERSALIS ad omnes morbos particulares, ex intentione omnium illustrium medicorum: uidelicet Hippocratis, Galeni, Auicennæ & aliorum. in quo quantitates & qualitates medicaminum, & eorum uirtutes particulares docentur. ad Laurentium Massam nepotem opusculum.



VEMADMODVM Curatiuas intentiones in morbis elicere debemus, à decem prænotatis rebus mi Laurenti, tam naturalibus, q̃ non naturalibus, & præter naturam, satis explicatum arbitror ea Epistola, quam ad Apollonium Massam nepotē M. D. X L I. Calendis decembris scripsi. Nunc uero ut tibi quantum possim, satisfaciam, persequar ea, quæ pertinent ad particularem hominum curam in diuersis dispositionibus præter naturam, singularia.n. medicamenta, atq; regimen ad te scribam. *Intentio.* Magnum sane opus omnino, & arduum conor; cum difficile admodum sit, ut quis singularia quæque medicamenta singularibus morbis, & reliquis; atque etiam singularibus hominum conditionibus pro hominis temperatura, ætate, moribus, & reliquis recte inuenire possit: quemadmodum in illis ad Apollonium clare scripsi. Sed cum te ista tota mente ex tuis literis desiderare uideam, ut bonarum literarum, præsertim medicinæ ultimum finem, & perfectionem habere possis, de eis dicere incipiam: quanquam & ardua, & laboriosa me scribere rogas, sciam. Sed ut non solum te excitem, ad legendum has nostras institutiones curandorum morborum particularium hominum; uerum etiam ad illustrium medicorum lectionem studia obtester, id libens faciam: si quidem nostræ (ut uidebis) institutiones non dissident ab Hippocratis, Galeni, Auicennæ, & aliorum clarissimorum medicorum placitis, cuius rei te iudicem instituam; ut pote ab illis sumpta, qui non nisi summa ratione, & arte, curatiuam methodum scripserunt. Veruntamen singula medicamenta ad unamquanque ægritudinem, & singularem hominem eligere, non paruam iterum dico difficultatem negocii imponit; cum hæc methodus recte eligendorum, & admini-

strandorum medicaminum non ab omnibus antiquis ex omni parte distincte scripta sit. Ex quo difficile semper fuit particularem modum in curandis morbis administrare; quam difficultatem Galenus in secundo de Victu acutorum morborum commento.xi.annotauit: quicquid tamen sit, rem ipsam hoc iacto fundamento tibi declarare incipiam: uidelicet; Methodum curatiuam ex morbi cognitione in primis elicere operæprecium est. Sed cum genera morbi tria sapientes omnes Medici affirment, uidelicet malam temperiem, malam compositionem, & solutam unitatem: primum de cura morborum in temperatura dicere incipiam: sed cum mala temperies aliquando sola, & aliquando cum materia reperiatur, non eodem modo in una, & altera medici procedunt, sed alio, & alio modo. Etenim si morbus in temperatura sine materia fuerit, satis sibi erit, si præter regimen rerum necessariarum alterantia contrario morbo administres, uerbi gratia calidæ tantum intemperiei frigida exhibendo intus, & extra, secundum membrorum naturam & situm: similiter frigidæ calida administrando, & eodem modo humidas siccis, & siccas humidis remediis iuuando. Quod si morbus mala temperatura cum materia fuerit, quod sæpissime uidebis, quippe cum uix fieri possit ut morbus sit sine aliqua humorum malitia, seu præter naturam & quantitate & alteratione: immo nec nisi raro sincerus & exquisitus humor in nobis reperitur, quin cum aliquo alio permixtus sit, ut testatus est Galenus quarta particula Aphorismorum, commento xlix. & Auicenna prima, primi cap. de humoribus circa finem per longum examen: atque etiam tertia quarti, cap. de apostematibus. Igitur si morbus in temperatura cum materia fuerit, siue uniuersalis ut febris, siue particularis, ut sunt inflammationes particularium membrorum: primo operæprecium erit humorum quantitatem, & qualitates cognoscere, cum quibus morbus societatem habet. Etenim hæc cognitio facilius per accidentia haberi poterit: atque etiam per ea, quæ postea consequuntur, ut docuit Galenus x. de medicinis secundum loca; et Auicenna secunda tertii, doctrina tertia. hunc uero cognitionis modum, quem à priori sapientes uocant, ab euidentibus siue primitiuis causis habebis, utputa si sciueris præteritum regimen sex rerum necessariarum, in qua cognitione plurimum studere oportet, ut recte materialem causam inuesti-

Methodus curatiua unde.

Tria sũt genera morborum.

Alterantibus solis quando utendum.

Humor sincerus rarò inuenitur.

Cognitio quantitatis et qualitatis morbi unde.

Modum cognitionis à prio

gare ualeas. Nam si æger usus fuerit cibariis, quæ choleram æta- tis tempore generare possunt, aut in regione calida, aliis ad augmentum caloris præter naturam facientibus, proculdubio morbum à materia biliosa, tanquam à causa materiali ortum fuisse dixeris. Quod si in hyeme comederit lactucas, uel alia cibaria frigidum, & humidum alimentum generantia, duxeritq; uitam ociosam, pituitam causam materialem præter intemperiem esse dices. At si regimen permistum fuerit, ita ut & bilem, atque etiam melancholiam gignere possit, morbum cum diuersitate materiæ esse dixeris. Sicq; à causis ad effectus procedens morbi naturam in temperatura cum materia & eorum qualitates cognosces. Cognoscimus quoque à posteriori scilicet per effectum causam cognoscendo: & erit cum causam per effectum inuestigauerimus: uerbi gratia ut dixit Galenus in libro de Plenitudine, circa finem, sanguinis repletionem cognoscimus ex repletione, & tensione uenarum, atque etiam ex his, quæ hæc accidentia consequuntur. quarto etiam de tuenda ualetudine hoc idem cognoscere docet. Auicenna quoque secunda tertii citato paulo supra loco, dicebat plenitudinem sanguinis ostendit grauitas uniuersi corporis, caliditasq;, pulsus plenus, & fortis, alices, & oscitationes, grauitas capitis cum faciei, atque oculorum rubore, oris dulcedo, linguæ, & palati rubor, atque urinæ rubeæ non subtilis, propria quoque temperatura, & ætas. Phlegmatis uero abundantiam significat pigritia uniuersi corporis, grauitas, & laxitas una cum frigiditate, & corporis colore ad albedinem tendente: item sputi abundantia insipidi tamen; sitis priuatio, nisi forte cum ipsa materia pituitosa alii humores abundauerint: uerbi gratia sanguis, quo in casu sputi sapor dulcis erit: quod si bilis associata fuerit, amarus erit sapor: at si melancholia permista fuerit, sapor acetosus erit: præterea ex signis quæ pituitam multiplicare ostendunt, est uentriculi debilitas, excrementorum quoque color, & dominium & humorum permistio; ut est urinæ albedo, & substantia aquosa, secessus, siue uentris inferioris excrementa non colorata cum plurima materia pituitosa permista, facies quoque tumida, & capitis grauitas, atque somni graues apparent, in quibus pluuiæ, niues, flumina, ac frigus, & stupor membrorum uidentur uideri. Choleræ uero superabundantiam habitudo, & color citrinus corporis ostendunt,

ri docet per exēpla.

Modum cognitionis à posteriori docet per exēpla.

Sanguinis replętionem ostendentia.

Phlegmatis signa.

Pituitæ cum alio humore mistæ signa.

Bilis superabundantiam indicantia.

orisq́ amaritudo, & ſitis, ac etiam uelocitas, & pulſus frequentia; præterea ex excrementorum uentris inferioris qualitate facile dominium bilis cognoſces: nam in talibus urinæ ſunt citrinæ, igneæq́, fæces croceæ, uel citrinæ, & mordicantes. Euomunt ſæpe tales bilem flauam, ac etiam rubeam: ſomnia quoque ſunt læuia, in quibus uidentur uidere incendia, excandeſcentias, rixas, & ſimilia. Choleræ uero nigræ dominium ſiue melancholiæ oſtendunt habitus gracilis, & color fuſcus ſiue liuidus corporis, ac etiam omnium operationum imbecillitas, triſtes cogitationes, & ſolicitudines: præterea iſti uigilant, & dormientes ſomnia terribilia uident: quod ſi in uentriculo abundauerit, famem mendoſam excitare ſolet: in his ſæpe ſplen tumet, & urinæ ſunt liuidæ, ſeu fuſcæ, & fæces nigricantes, & plumbaceæ apparent. His itaque prænotatis ad morborum cum materia, uel ſine materia cognitionem, ac etiam ad humorum prædominantium dignotionem, atque illis decem additis intentionibus medicis in curandis ſingularibus morbis, quæ ad Apollonium, ut dixi, aliàs ſcripſi: & ſunt morbi cognitio, cauſæ, accidentia, temperatura, uirtus, ætas, ſexus, conſuetudo, aer, & anni tempus; quibus cognitio totius corporis partium, quæ per diſſectionem habetur, addenda erit.

Signa melãcholiæ.

His itaq; præhabitis, primum regimen uictus ſecundum morbi, & reliquorum accidentium indigentiam, ægritudinis cauſam amouere ſtudebis, ſi eam immaterialem, uel cum materia ex dictis cognoueris: quod facies, ſi materialis fuerit, humores morbum cauſantes euacuando: ſed cum in præſentia euacuatio (ut aiunt medici) duplex ſit, minoratiua ſcilicet, & electiua ſeu eradicatiua: & minoratiua communes ſuperfluitates per ea quæ uentrem leniendo uentriculum, & inteſtina educant, & hæc ſine hæſitatione nulla præcedente alteratione, quam medici digeſtionem, ſeu concoctionem uocant, in quocunque tempore fieri poteſt, puta cum clyſtere leniente, aut per aſſumptam per os medicinam lenientem, qualis eſt caſſia fiſtularis: uel alia conſimilis medicina ſecundum humorum diuerſitatem in uentriculo, & aliis uiis communibus propinquis exiſtentium: ſiquidem tales ſuperfluitates ſemper paratæ ſunt, cum ſint in inteſtinis, & uiis propinquis: hoc eſt, quod admonuit Hippocrates ſecundo Aphoriſmorum, Aphoriſmo xxix. & Galenus in fine commen-

Morbi materialis curationem docet.

Lenitio ſemper poteſt fieri.

ti,cum dixerit,Inchoantibus morbis si quid uidetur mouere moue. mouendæ utique sunt superfluitates in quanto, uel in quali peccantes, quæ in uiis uicinis ductuum sunt, leniendo scilicet. Electiua, seu eradicatiua euacuatio non fit nisi digesta, seu præparata,& concocta peccante materia,iuxta illud Hippocratis prima particula aphorismorum,aphorismo xxii.dicentis,Concocta medicari atque mouere non cruda neque in principio, modo non turgeat: in commento cuius aphorismi clare Galenus admonet non deberi materiam firmatam in aliqua parte corporis moueri: quæ uero in communibus uiis ductuum sunt, semper euacuari possunt: quare ad eas medicinas quæ leniendo, & minorando materiam in morbis materialibus euacuant, in primis deueniam. Nam morbi qui à malitia temperaturæ fiunt per contraria alterantia sine euacuatione sanantur, & ut omnia præ manibus habeas, ita ut nihil amplius desiderare possis, ex ordine tibi medicinas tam minoratiuas, quàm concoctiuas, & euacuatiuas utriusque humoris scribam: sanguinis uero minoratio, seu euacuatio, quoniam non eget præparatione, eductioni semper est paratus, Galeni testimonio, xi. Methodi medendi: ideo incisa uena, ubi necessitas fuerit sanguinem euacuare, tute illum euacuabis, consentiente uirtute, ætate, morbo, & anni tempore &c. Et quoniam tam minoratiue,quàm eradicatiue euacuando non unam solum materiam, seu humorem educere semper, sed diuersum secundum opportunitatem oportet; ideo ab euacuantibus choleram, seu humorem sapientem naturam cholerae, secundum choleræ diuersitatem incipiam: deinde ad illas, quæ pituitam seu materiam pituitosam secundum sui diuersitatem, accedam:postremo eas medicinas, quæ melancholiam seu humorem melancholicum secundum eius diuersitatem adnotabo. Primum itaque à minoratiuis, & concoctiuis, & electiue ducentibus choleram incipiam: cum humor cholericus, siue biliosus subtilis, magis molestus, & frequentius ad putredinem ducitur, teste Galeno & experientia: peccante igitur cholera talem medicinam præparabis. Recipe floris cassiæ, unc.i.aut unc.i.s. plus minus'ue secundum patientis dispositionem, fiat ex ea bolus cum saccharo optimo, uel fiat potus cum decocto ex hyssopo, & mastiche, aut cum aqua cichoracea,& sumatur per horam ante prandium, uel ante cœnam secundum rei op-

Eradicatio quando fieri debeat.

Pharmaca pro euacuatione cholerae.

portunitatem; attamen non desunt qui post assumptam cassiam, duas aut tres horas expectant: quoniam timent ne post cibum uomitus prouocetur, sed hoc scire uolo quòd melius à calore uentriculi actuatur, si plus temporis ante cibum intermittatur: sed quoniam cassia ob lentorem eius substantiæ sæpe uentum & flatus excitare solet, ita ut aliquando intestinorum dolores, & quidem uehementes insurgere faciat, ideo ad tollendam uentositatem, medici addere solent drach.i. liquiritiæ puluerizatæ, si plurima est patientis caliditas, aut drach.i. hyssopi puluerizati, quando nulla est caliditatis suspicio, uel drach.i. masticheſ: etenim hæc omnia cassiæ flatuositatem moderant, ac tollunt. Veruntamen si immediate post cassiæ assumptionem cibum accipiet, ab eius uentositate minus molestabitur. Et ratio est, quoniam post cibum calor ad interiores partes refugit, & præsertim ad uentriculum, & in eo concentratur, sicq; fortior factus, uentositatem discutit, atque etiam dissipat. Quòd uero cassia utranque choleram purgat, sinceram scilicet & mistam leniendo, testis est experientia, & Auicenna secundo Canonis sic de cassia dicens: Est uentris lenitiua, educens choleram adustam, & phlegma sine nocumento, & absque mordicatione: ita ut sit etiam prægnantibus conueniens: similiter Mesue dixit cassiam esse ex medicinis, in quibus est fiducia iuuamentorum, & est sine nocumento, carens acuitate, & mordicatione, & omni excessu lædente, ita ut posit exhiberi in omni ætate, & pueris, & etiam prægnantibus: mundificat stomachum, bilem & pituitam sine nocumento educit: loco cuius cassiæ si haberi non poterit, fuit Auicennæ consilium sumere dimidiam partem mannæ, & triplum ponderis ipsius pulpæ passularum, atque etiam octauam partem turbith: addita quoque portione liquiritiæ. Sunt præterea & aliæ non paucæ medicinæ minorantes & educentes choleram, leniendo sine molestia: uerbi gratia, Recipe pulpæ tamarindorum unc.ii. bulliat in unciis sex aquarum boraginis, & cichorei, usque ad consumptionem tertiæ partis, & exhibeatur, ut dixi de cassia; potest etiam dari syrupus rosatus solutiuus ex multiplici rosarum infusione factus usque ad unc.iiii. & etiam syrupus uiolatus solutiuus ex multiplici uiolarum infusione ad unc.iiii. & quinque: uel detur manna quæ choleram exquisitam, & citrinam euacuat. Quantitas uero talis erit: Recipe mannæ electæ, unc. ii. plus mi-

Docet tollere uentositatem Cassiæ.

Mutare lenitiua in casu docet.

nus'ue secundum ægri conditionem, & dissolue eam decocto passularum, uel aqua cichorei, & similium: sed inter cætera cassia est medicina omnes humores leniendo eductiua, ita ut tute in omni materia cholerica dari possit. Sunt etiam minorantes medicinæ compositæ quædam, ut est electuarium diaprunis non solutiuum, descriptione Nicolai: de quo ægrotantes sumere possunt ad unciam unam cum dimidia usque ad duas, in forma boli cum saccharo, uel dissoluto cum aqua boraginis, uel endiuiæ. Similiter dari potest electuarium lenitiuum, & electuarium de sebesten non completum: quæ electuaria possunt sumi in forma boli, & dissoluta cum decocto aliquo, puta passularum, aut tamarindorum, uel cum aquis stillaticiis boraginis, uel cichoreæ, & similium. Errant grauissime, atque omni reprehensione digni sunt, qui à principio non apparente signo concoctionis addunt in iam dictis minoratiuis medicinis medicinas fortes, ut est Electuarium de succo rosarum, Diaprunis solutiuum, aut rosatum Mesuæ, & alias medicinas fortes in quibus plurimum scāmonii, aut turbit commistum est: cum tales medicinæ non leniendo, sed laxando, & soluendo electiue educant: ista tamen à principio addi possent, si materia turgeret, ita ut periculum esset ne ad aliquod membrum ex principibus deueniret, ipsumq; læderet iuxta illud Hippocratis primo Aphorismorum, citato superius loco, commento xxii. Concocta medicari &c. modo non turgeat plurima uero non turget; sed illa quæ mala qualitate uenefica affecta est, ut contingit in illis febribus, quas mali moris Galenus primo de differentiis febrium, dixit. Et quoniam plurimi sunt qui nolunt, aut non possunt iam dictas medicinas in forma boli deuorare, aut dissolutas bibere, abhorrent ab eis, hoc in casu necessitate cogente, ubi plurima repletio fuerit, exhiberi possunt pilulæ ex aloe loto cum succo endiuiæ, una cum aliquo syrupo immediate post earum deuorationem sumpto: & gratia exempli talis sit ordinatio: Recipe pilularum de aloe loto. ʒ.i.s. fiant pilulæ quinque, & aurentur, & post earum deglutionem bibat immediate hunc syrupum. Recipe syrupi de Endiuia un.i. rosati un.s. aquarum cichorei, boraginis, an. un.i.s. misce: accipiat postea prandium duabus aut tribus horis post. Sunt enim hæ pilulæ medicina leuis educens materiam stercorariam ab intestinis, & choleram mistam repertam circa principia uenarum

Error illorū qui dant medicinas fortes à principio.

De pilulis.

mesaraicarum: possunt quoque pilulæ de tribus communes pro minoratiuo exhiberi, & de hiera simplici in eadem quantitate, & cum præscripto syrupo post earum immediate deuorationem. Sed cum cholera alia exquisita, & alia maioris famæ sit, & alia minoris, dictumq; sit in exemplis minoratiuarum medicinarum ꝙ illæ dictæ medicinæ minoratiuæ possunt materiam cholericam exquisitam, & cum aliis humoribus permistam euacuare: ideo te admonitum esse uelim, ꝙ eædem in exemplis medicinæ superius scriptæ choleram etiam minoris famæ in uiis communibus repertam educere possunt: quapropter si cognoueris choleram minoris famæ abundare, non discedas à cassiæ exhibitione, cum qua permiscebis aliquid Electuarii lenitiui, uel diacatholiconis plus minus'ue secundum maiorem quantitatem, & malitiam humoris, & patientis tolerantiam: desiderat etiam materia pituitosa, seu phlegmatica propriam minorationem si abundauerit. Quare sic eam, ubi opus fuerit, euacuabis. Recipe electuarii lenitiui un.i.s.uel.ʒ.xv.& fiat bolus cum saccharo, uel fiat potio cum decocto fœniculi, uel betonicæ, aut aquis stillaticiis tam fœniculi, q̃ betonicæ, uel hyssopi: potes etiam materiam à prædominio pituitosam minorare cum electuario de sebesten non completo, ut puta. Recipe electuarii de sebesten.ʒ.xii.uel ʒ.xv.fiat bolus cum saccharo, aut potio cum suprascripto decocto, uel aquis stillaticiis, & erit medicina leuis educens leniendo sine molestia. Notabis tamen ꝙ syrupus rosatus solutiuus habet uirtutem educendi materiam diuersam à prædominio pituitosam in stomacho, & intestinis existentem. Educit quoque materiam pituitosam à prædominio leniendo decoctum senæ cum passulis in aqua fœniculi, uel hyssopi stillaticia: v.g. Recipe foliorũ senæ.ʒ.vi.passularũ un.ii.aquæ hyssopi, fœniculi, an.un.iii.buliant ad consumptionem tertiæ partis, & detur cum un.ii. oximellis simplicis; ꝙ si patiens ababhorret exhibitione medicinarum in forma boli, aut potionis, dentur pro minoratiuo trochisci de uiolis sine scammonio usque ad.ʒ.ii. uel tres, quos trochiscos cum aqua fœniculi dissoluere potes & exhibere. Sunt etiam optimæ, pilulæ alephanginæ, & mastichinæ & de asaieret; quoniam materiam crassam educunt, à uentriculo & intestinis sine molestia, & agitatione, & sint ad pondus unius drachmæ, uel quinque scrupulorum; uerbi gratia, Recipe pilularum alephanginarum

Cholera multiplex.

Docet lenitiua pro cholera minoris famæ.

Nota de syrupo rosato solutiuo.

phanginarum ℈.v. fiant pilulæ quinque & aurentur. Quæ omnes medicinæ sumantur mane, & tardetur cibus saltem quatuor horis post. hæc enim de cholera dicta sint. Animaduertendum modo est pituitam, seu humorem pituitosum plurimas sub se species habere, nimirum naturalem, & non naturalem. Est autem naturalis pituita illa, quæ aliquando apta est in sanguinem conuerti, cum sit sanguis imminute decoctus: cuius sapor dulcis, neque plurimum frigida. Non naturalis uero diuiditur plurimis diuisionibus, nempe in crudam, aquosam, subtilem, muccilaginosam, uitream, gypseam, & ut uerbis Auicennæ utar, non naturale phlegma habet diuersitatẽ diuersæ essentiæ apud sensum; ita ut pituita & insipida, & dulcis, & acida, & acetosa, uel pontica sit. Est quoque pituita acris seu mordax, & salsa uel per admistionem humoris biliosi, uel per aliquam ulteriorem ebullitionem à calore præter naturam aflante: sed ne te in istis morer, hæc satis dicta sint, ut possis data occasione medicinas minoratiuas exhibere secundum diuersitatem phlegmatis abundantis: uerbi gratia phlegma, seu pituitam subtilem minorabis cum electuario lenitiuo: crassam uero cum eodem electuario, addendo trochiscos de uiolis sine scammonio: quoniam eius basis est turbit: qui de sui proprietate materiam pituitosam crassam sine molestia expurgat. Notabis etiam casiam fistularem materiam crassam in stomacho, & intestinis existentem fœliciter educere, cui addere potes drachmam unam specierum hieræ, uel trochiscos de uiolis sine scammonio ad quantitatem unius drachmæ, ut eius euacuatio magis humori approprietur. Postremo considerandum etiam erit de minoratiuis humorum melancholicorum; quæ melancholia siue humor melancholicus & ipse multiplex est, uidelicet naturalis, & non naturalis: naturalis uero fæx sanguinis est, non naturalis autem alius est ille, qui fit uel per adustionem bilis naturalis rubeæ, uel per adustionem choleræ non naturalis subtilis: & melancholia quædam fit per adustionẽ choleræ crassæ: fit etiam melancholia ex adustione phlegmatis, seu pituitæ, si credimus Auicennæ: & similiter ex sanguinis adustione. fit quoque melancholia adusta ex naturalis melancholiæ adustione: hi omnes humores melancholici nocent & sua qualitate, & quantitate: ideo cum oportuerit melancholicum humorem minorando educere, operæpretium erit scire eius naturam, & ex dictis

Differentiæ Naturalis pituitæ & non naturalis.

Lenitiua pro pituita.

Melãcholicus humor multiplex.

cognoscere quem euacuare intendimus, ut si abundantiam humoris melancholici naturalis minorare uolueris, id facies exhibendo electuarium lenitiuum una cum diasena Nicolai secundum patientis tolerantiam. ut uerbi gratia: Recipe electuarii lenitiui un.i. diasenæ Nicolai un.s. misce, & cum saccharo fiat bolus. Si uero humorem melancholicum ex adustione choleræ tam naturalis quàm citrinæ minorare uolueris, optimum erit electuarium lenitiuum una cum cassia fistulari, ut puta: Recipe electuarii lenitiui, floris cassiæ an.ʒ.vi. plus, minusve secundum necessitatem, fiat ex eis bolus cum saccharo, & detur per horam, aut duas ante cibum mane, uel fiat ex eis potio cum aqua buglossæ, uel boraginis: quod si humorem melancholicum ex pituitæ adustione minorare uolueris, qui crassus est, dabis electuarium lenitiuum cum iam dicta diasena Nicolai aut diacatholicon cum diasena facto bolo cum saccharo, uel sint dissoluta cum aqua fumiterræ. Cum autem humorem melancholicum ex sanguinis adustione minorare uolueris, id facies, sic medicinam ordinando. Recipe electuarii lenitiui un.i. pulpæ tamarindorum un.s. misce, & cum saccharo fiat bolus, uel cum decocto boraginis, uel lupulorum fiat potio: aut cum aquis dictarum herbarum stillaticiis, uel detur electuarium diacatholicon ad un.i.s. in forma boli, uel dissolutum ut supra. Et tametsi optima minoratio in melancholia ex sanguinis adustione, sit sanguinis missio aperta uena nigra, siue communi, aut appositis sanguisugis hæmorrhoidibus: nihilominus tutius est exhibere medicinam per os: quoniam sæpe in tali sanguinis missione subtilis sanguis & bonus egreditur, sicq; crassus redditur magis inobediens, cum iam remissus sit aliquo modo per euacuationem boni sanguinis, calor naturalis digerens, & præparans ipsum. Veruntamen tute potest sanguis melancholicus euacuari dicente Hippocrate sexta particula aph. aph.xii. Sunt & aliæ medicinæ quæ possunt dari cum humorem melancholicum minorare uolueris, ut est decoctio senæ cum passulis, & aqua lactis, aut aqua boraginis: ad idem ualet decoctum Epithymi cum passulis, cum aqua lactis, uel stillaticiis, ut boraginis, buglossæ, & fumiterræ. Est præterea syrupus de pomis sabor, qui educit humorem melancholicum sine molestia, si ex eo ad un.iiii. exhibeatur, qui sic præparatur. Recipe succi buglossæ domesticæ, & siluestris an. L.ii. succi pomorum dulcium

Lenitiua pro humore melancholico.

Pharmacia tutior est quàm missio sanguinis in euacuatione melancholiæ.

redolentium Lib.iii.folliculorum senæ unc.iiii.croci drach.ii. sacchari tabarzet Lib.iii.sena in succis infundatur per diem, & noctem post eius contritionem, deinde bulliant ebullitione una, uel duabus, & cum saccharo secundum artem fiat syrupus: crocus autem confricetur in panno in eius decoctione. Est & alius syrupus de pomis solutiuus qui omnem materiam melancholicam indifferenter euacuat, si ex eo ad tres usque ad uncias quatuor exhibeatur. descriptio cuius talis est, Recipe succi pomorum dulcium unc.xv.succi fumiterræ, lupulorum, endiuiæ, an.unc.vi. florum buglossæ, boraginis, radicum ipsarum, capillorum Veneris ana drach.vii. Epithymi cretensis, senæ, polypodii, fumiterræ, ana unc.i. chamædreos, stœchados, florum chamomillæ an.drach. iii.s. corticum myrobalanorum indorum, chebulorum citrinorum, an.drach.vi. omnia præter epithymum bulliant in libris.iii. aquæ communis ad consumptionem tertiæ, deinde bulliant succi & epithymus bullitione una, coletur cum bona expressione, in qua addantur sacchari libræ.iii. & fiat syrupus cui addatur unc.i. ellebori nigri ligati in petia ut simul bulliat usque ad perfectam syrupi cocturam, qui elleborus maneat semper cum dicta petia cum syrupo in suo uase: quo syrupo utere, quoniam est medicina in omni euacuatione humoris melancholici proficua sine pari. His dictis omnibus, & aliis, rationales medici ad minorandam materiam humorum præter naturam in morbis in temperatura cum materia utuntur secundum eorum iudicium extimatiuum certæ ueritati propinquum. Minorata igitur materia residuum euacuandum erit; sed cum ex Hippocratis sententia primo Aphorismorum, Concocta medicari, & mouere non cruda expediat: ideo concoctiua, seu digestiua, uel præparatiua diuersorum suprascriptorum humorum tibi subscribam: si prius te admonuero digestionem, seu præparationem humorum aliquando fieri in humore, qui non ex omni parte præter naturam est, & a medicis, hic humor iuuatiuus dicitur, de qua præparatione nihil dicam, cum a sola uirtute corrigi possit: sed de præparatione, quæ in humoribus aliis, qui iam præter naturam facti sunt, sermo erit, qui nocui dicuntur. Sed cum non uno modo tantum præter naturam efficiantur humores; ideo neque in eorum præparatione, seu concoctione semper uno modo procedimus; nam digestio in iuuatiuo ex Aristotelis sententia quarto

Meteorum ſemper ingroſſando procedit, dicant alii quicquid ſibi placuerit. Veruntamen in iam præter naturam humoribus factis non tantum incraſſando, uerum etiam ſubtiliando, attenuando, & incidendo: ſiquidem ut docte dixit Auicenna prima quarti de præparatione humorum ad euacuationem, digeſtio eſt ſubtilium ingroſſatio, & craſſi ſubtiliatio, atque uiſcoſi inciſio, de quibus ad te ſcribam: ſed liceat, ad tuam maiorem digeſtionis, ſiue præparationis humorum notitiam paulum digredi. Dicebam ego paulo ante humores aliquando non ex omni parte præter naturam eſſe, tametſi aliquam alterationem, uel in minori, aut maiori ſecundum propriam, & ſui iuſtitialem naturam in qualitatibus habeant. Hi uero humores ſic diſpoſiti, medici iuuatiuam materiam uocant, quæ ſemper, & ſine adminiculo medicinarum ad benignum a uirtute reducitur, niſi ſit impedita, uel ab intrinſecis, uel extrinſecis cauſis, de quibus ſi in præſentia ad te ſcribere uellem, hæc noſtra peroratio nimis longa foret: dicam igitur de illa præparatione, quæ in nocitiuo ſit, in qua te hoc primum ſcire uolo, quod aliquando nocitiuus dictus humor tametſi præter naturam ſit, eſt nihilominus alteratus ita propinquus bonitati, & ex ſui natiua natura bonus, ut facile poſſit per digeſtionem, ſeu præparationem ad priſtinam naturalem, & benignam ſui naturam reduci, ita ut in eo nulla putredinis conditio manſerit, quam rem Galenus ſignificare uoluit tertio Artis paruæ, cum dixerit concoctionem facere ut putredo ceſſet, manente nihilominus materia: & hic eſt unus modus concoctionis, ſeu præparationis humorum. Eſt poſtea alia humorum concoctio, ſeu præparatio non reducibilis per digeſtionem ad benignum: quoniam iam gradum putredinis corruptioni propinquum habet acquiſitum, ut non poſſit regredi, cum humor amiſerit propriam formam. Hi uero humores ita putridi minime ad benignum reduci poſſunt, uel ad ſuam naturalem conſiſtentiam: quare illa digeſtio quæ in ipſis ſit non eſt illa, quæ eos ad benignum reducere poſſit, ita ut ceſſet putredo remanente priori materia in ſui natura; ſed eſt quidam modus præparationis ad naturæ, uel artis euacuationem: quæ præparatio ut paulo antedixi, non eſt ſemper incraſſando. his ſic præfatis, digeſtiua ex ordine choleræ ſeu bilis ſubſcribam, incipiens a ſimplicibus rebus choleram præparantibus: & ſunt hæc, cichorea,

Nota diuerſos modos cōcoctionis humorū.

Cholerā præparātia duplicia.

endiuia,acetofa,borago,buglofſa,lactuca, lupulus, & omnes intyborum ſpecies, ex quibus dantur aquæ ſtillaticiæ, uel eorum decocta ad unc.vi.uſque ad.x.cum ſaccharo, uel ſine. Compoſitæ ſunt ſyrupi ab auctoribus ſcripti, ut eſt ſyrupus acetoſus ſimplex, oxyzacchara de endiuia,de cichorea, de ſucco acetoſæ, uiolatus,roſatus,de acetoſitate citri,de ribes,de granatis, de agreſta, de nenuphare,de papauere,de buglofſa, & alii ſimiles. Animaduerte tamen quód & ſi tam ſimplices enumeratæ medicinæ digerentes, quàm compoſiti ſyrupi choleram ſinceram, uel ſubtilem præparare poſſunt, non tamen ſemper in omni morbo tute adminiſtrari poſſunt in omnibus: quoniam cum cholera in aliquo membro putret, quale eſt pectus, & caput, uel alia pars neruoſa, non ſine diſcrimine ſyrupum acetoſum, uel oxyzaccharum,uel de granatis aut de agreſta,& ſimiles dare potes, cum acetum,& acetoſa omnia noceant neruis,pectori, & capiti: & ea ratione, cum febris fuerit cum tuſſi, aut cum apoſtemate pleuritico, aut cum dolore capitis, alienatione, & uigiliis, uel neruorum doloribus ab acetoſis omnibus abſtinendum erit. Inſuper non te prætereat ſyrupos ordinare ſecundum loca uaria in quibus ſæpe cholera putret: Medici uero febris mineram appellant,ut uerbi gratia ſi humores, uel putredo pro maiore parte circa iocinoris regionem fuerit, dentur ſyrupi de cichorea, de endiuia, acetoſus ſimplex cum decocto endiuiæ, cichorei, boraginis, buglofſæ, & ſimilium,uel cum aquis ſtillaticiis cichorei, boraginis, endiuiæ, buglofſæ, & ſimilium: & cum fuerit dolor capitis, uel paſſio ſtomachi,detur cum dictis ſyrupis ſyrupus roſatus, & ſi fuerit tuſsis uel anhelitus difficultas detur ſyrupus uiolatus, aut de liquiritia, quoniam eſt extinguens caliditatem febrilem ſua nimirum humiditate. ſed ut omnia præ manibus habeas, ponamus iuuenem bilioſæ temperaturæ febrientem ſebre tertiana pendente a cholera exquiſita, uel citrina, quo in caſu ſic digeſtiuum ſyrupum ordinabis. Recipe ſyrupi acetoſi ſimplicis unc.i.de endiuia unc.s.decoctionis cichorei,endiuiæ,boraginis unc.iii.miſce:uel diluatur cum aquis ſtillaticiis dictarum herbarum, & detur mane: uel detur hic, ſic ordinando. Recipe ſyrupi de cichoreo ſimplici un.i.acetoſi ſimplicis un.s. aquarum buglofſæ endiuiæ an.un.ii.miſce & exhibeatur;poteſt etiam exhiberi decoctum endiuiæ, boraginis, acetoſæ, & ſimilium:

Non omnia præparantia in omni morbo cõuenire, etiam ſi materia ſit eadẽ.

Acetum & acetoſa omnia nocent neruis, pectori et capiti.

Caſus in quo docet præparare cholerã.

Cholera maioris famæ & minoris quæsiti.

quoniam omnes istæ medicinæ possunt choleram exquisitam, & citrinam præparare, quæ citrina dicitur cholera subtilis maioris famæ ad differentiam choleræ crassæ maioris famæ, quæ est illa quæ fit ex permistione choleræ rubeæ cum phlegmate crasso, & talis cholera assimilatur uitellis ouorum, & ideo uitellina dicitur; in cuius præparatione non exhibent medici syrupos ita frigidos, ut in citrina subtili, ne ex refrigeratione magis incrassetur: sed dant illis syrupos, uerbi gratia hoc modo. Recipe syrupi de endiuia un.i.syrupi acetosi unc.s.aquarum cichoreæ, lupulorum, boraginis an.unc.i.misce: uel detur decoctum cichorei, endiuiæ, boraginis, & lupulorum cum syrupo de cichoreo, & acetoso simplici, & ubi plurima materia crassa cum cholera permista fuerit, loco syrupi acetosi ponatur oxymel simplex, & ponatur aqua fœniculi, uel petroselini cum aqua cichorei, uel endiuiæ uel aliis in syrupis hoc modo. Recipe syrupi bisantini simp. unc.i.de endiuia unc.s.aquarum cichoreæ, lupulorum an.unc.i.s.misce, uel si materia magis crassa fuerit, detur syrupus bisantinus cum aceto ad unc.i.uel oxymel de duabus, uel tribus, uel quinque radicibus secundum materiæ peccantis lentorem. Quod si materia biliosa non tantum cum pituita crassa permista fuerit, sed etiam cum humore melancholico ut sæpe fit, tunc dentur syrupi hoc modo. Recipe syrupi de endiuia, de buglossa, acetosi simplicis an.un.s.aquarum cichoreæ, boraginis, fumiterræ an. unc.i.misce, uel detur decoctum boraginis, buglossæ, cichoreæ, lupulorum, & fumiterræ, cum syrupi de cichoreo simplici unc.i.s.quod si plurima materia cholerica adusta permista fuerit, & est illa quæ dicitur cholera minoris famæ, tunc dabis syrupum hoc modo. Recipe syrupi de buglossa, uiolati, de nenuphare ana unc. s.aquarum endiuiæ, acetosæ, boraginis an.un.i.misce, & exhibeatur: potest quoque dari decoctum buglossæ, boraginis, nenupharis, lupulorum, & acetosæ cum syrupo de buglossa & acetoso: nam isti & similes possunt extinguere caliditatem ustiuam choleræ adustæ. Et quoniam præter choleram adustam, datur etiam cholera praxina uiridis, quæ fit ex adustione ulteriori choleræ uitellinæ, & sæpe in uentriculo generatur: hanc medici æruginosam uocant, cum æris ærugini similis sit, & uenenosa, ex cuius putredine si febris insurrexerit, quod raro fit, nullus euadit. Veruntamen cum sit ita acris, & naturæ infesta, ante eius putre-

Præparatia choleram quæ mista sit cũ pituita & melancholia docet.

dinem si uirtus ualida fuerit, per uomitum, aut per secessum expellitur in hac maligna, cum non expectet, sed cito interficiat, quanto citius fieri potest, eam euacuare oportet nulla praecedente praeparatione aut concoctione. Nec propterea alterantia, & contemperantia eius malignitatem praetermittenda sunt, quare dentur syrupi de buglossa, de succo acetosae, rosatus, de acetositate citri, geleniabin ex saccharo, & similes dissoluti cum aquis stillaticiis boraginis, buglossae, acetosae, lupulorum, & similium: & hoc, quoniam praeter extinctionem caloris febrilis, hi syrupi contra operantur malignitati humoris uenenosi cor roborando, & accidentibus succurrendo: quae accidentia saeuissima sunt: nam cum pro maiori parte in stomacho generetur, fiunt inquietudines, anxietates stomachae, uomitus biliosus: & uiridis, secessus etiam similis est, cui insequuntur singultus, lipothymiae, animi defectus, casus pulsus, dolor capitis, alienationes, insomnietates, & alia fortia accidentia, mutaturque facies, & faciei color: quibus accidentibus succurrere festinanter oportet euacuando, & praedictis syrupis alterando hoc modo. Recipe syrupi de acetositate citri un.i. de buglossa un.s. aquarum boraginis, endiuiae, acetosae an. un.i. misce uel dentur alii cum aliquo respiciente materiam uenenosam, ut terra Lemnia, sigillatam uocant, uel bolus Armenicus orientalis, aut alia medicina contraria uenenis: semper tamen esto memor materiam habere mineram in uentriculo, & fieri per adustionem cholerae citrinae, ex quibus extinguentia, & uentriculum roborantia rationabiliter exhibebis, ut est syrupus rosaceus ex succo rosarum, & saccharo factus: sed animaduertendum est, quod non semper quando apparet uomitus, uel secessus uiridis, illam materiam choleram prasinam, seu aeruginosam esse credere oportet genitam per cholerae adustionem, cum saepe fiat color uiridis in humoribus ex permistione cholerae cum humore melancholico sine aliqua humorum adustione: siquidem pictores uiridem colorem faciunt nigricantem colorem cum citrino miscendo. Sed choleram prasinam, siue aeruginosam malam non tantum colore cognosces uerum etiam ex accidentibus paulo ante dictis. Quod uero cholera uiridis fiat aliquando modo supradicto, aut ex commistione olerum, aut aliarum rerum uel ex mala concoctione cibi in uētriculo, testatus est Galenus secundo aphorismo.

Malignitatem humorū contemperātia praetermittēda non sunt, etiā si morbus sit ex cito interficientibus.

Ventriculum roborantia semper exhibenda in febre ex cholera uiridi aut aeruginosa.

Viridis color quomodo fiat.

Cholera uiridis

Pluribus ex causis fit. rum commento xxix. humor iste cholericus hoc modo genitus minime mortiferus est, & euacuationi præparari potest. Quare cum opus fuerit, sic pro eius præparatione syrupi ordinandi

Præparãtia ipsã. sunt. Recipe syrupi acetosi simplicis, de cichorea, de buglossa an. unc. s. uel unam, aquarum boraginis lupulorum an. unc. i. s. uel duas, misce, & dentur secundum rei indigentiam: uel fiat decoctum ex boragine, buglosso endiuia, & lupulis, & detur cum unc. i. oxymellis, & unc. s. syrupi rosati ex rosarum infusione. Datur quoque præter choleram prasinam, cholera zinaria

Cholera zinaria quid sit. ita maligna, & uenenosa, quæ est illa, de qua dicebat Auicenna, quod cadens in terram facit eam ebullire, & si muscæ, uel alia animalia eam gustauerint, statim moriuntur: neque aliquam præparationem expectare potest, & cognoscitur per signa superius dicta, quæ fortiora sunt. Et tales laborantes solis pro-

Officium Medici. gnosticis dicebat Hippocrates relinquendi sunt. Medici tamen, & si uideant malum irreparabile, non propterea desistere debent à rationabilibus auxiliis euacuando primo, deinde uentriculum, & cor roborando, ut superius de cholera prasina dixi. Et hæc satis dicta sint de illis quæ materias biliosas concoquere, seu præparare euacuationi possunt. Expositis medicinis, quæ humores biliosos præparare possunt, dicam quemadmodum materiæ diuersæ, pituitosæ concoquendæ, uel præparandæ sint supposita in eis diuersitate superius scripta, supposita quoque medicinarum præparantium diuersitate; quæ est quod quædam

Pituitam præparãtia simplicia quæ sint. sunt simplices, & quædam compositæ: simplices ut betonica, fœniculus, petroselinum, apium, scabiosa, hyssopus, origanum, pæonia, pulegium, absinthium, calamentum, saturegia, maiorana, capillus Veneris, polytrychum citrach, carduus, serpyllum, & similes, & aquæ stillaticiæ ex eis, uel decoctum dictarum

Pituitam præparãtia composita. herbarum: compositæ uero sunt oxymel simplex, & compositum ex duabus, tribus & quinque radicibus, mel rosatum, oxymel scilliticum, syrupus de hyssopo, de eupatorio, de absinthio, de betonica, de capillis Veneris, de calamento, de prasio, aqua mellis, & similes. sed animaduertendum tibi erit, quod cum genera pituitæ non naturalis sint diuersa tam in substantia, quàm in qualitate; & diuersa in substantia puta est pituita mucilaginosa, cruda, aquosa, gypsea, uitrea, quæ cæteris peior est: & in sapore illæ pituitæ diuersæ sunt, uidelicet, insipida, aut dulcis, aut salsa,

aut acetosa, uel acida, uel pontica: secundum earum diuersitatem digestiuas medicinas appropriatas ordinare oportet: si igitur pituitam insipidam, uel dulcem præparare concoctioni uolueris, sic syrupos, uel decoctum ordinabis. Recipe mellis rosati unc.i. oxymellis simplicis unc.s. decoctionis betonicæ, & absinthii ℥ iii. misce: uel diluatur cum aquis stillaticiis betonicæ, & absinthii, & consimiliũ. potes etiam in tali pituita exhibere oxymel de duabus radicibus uel de quinque, cum aqua fœniculi, & scabiosæ, uel cum decoctione dictarum rerum. Quod si salsa fuerit, dentur isti: Recipe syrupi acetosi simplicis unc.i. mellis rosati unc.s. aquarum fœniculi, fumiterræ ana unc.i.s. misce, uel fiat decoctum ex dictis: & ubi materia plurimum salsa fuerit, potest poni syrupus oxyzacchara, & etiam de cichorea. Acetosa, & pontica pituita hoc modo præparatur. Recipe oxymellis simplicis, syrupi de lupulis, de betonica an. unc. s. aquarum capillorum Veneris, calamenti an. unc. i. s. misce, uel sint decocti ex dictis rebus: at si pituita fuerit crassa, mucilaginosa, cruda, syrupi sint ualentiores, puta: Recipe oxymellis de duabus radicibus, uel de quinque unc.i. syrupi de betonica unc.s. aquarum saluiæ, hyssopi. an. unc. i. s. misce, uel fiat decoctum ex melle, hyssopo, fœniculo, & similibus, cum quo diluantur supradicti syrupi, & ubi materia magis crassa fuerit, syrupos fortiores exhibere poteris, ut est oxymel scilliticum, syrupus de stœchade, & similes secundum urgentem necessitatem, iudicio extimatiuo mediante, semper tamen á leuioribus incipiendo: similiter si subtilior materia fuerit in sui substantia, mitiores syrupos administrabis, hoc idem de diuersitate pituitæ in sapore obseruandum tibi erit: quoniam si pituita multæ salsedinis fuerit, syrupi sint mitiores, & minus calidi, quàm illi qui exhibentur in pituita non salsa: ut puta in salsa, Recipe syrupi acetosi simplicis unc.i. mellis rosati unc.s. aquarum scabiosæ, fœniculi, buglossæ an. unc. i. misce. Plures alias medicinas phlegmatis præparatiuas scribere potuissem, quibus medici utuntur: quas dimitto, ne te potius remediorum multitudine scribendo confundam, quàm doceam. Ista igitur in præsentia satis erunt, & ad scribendum illa, quæ humores melancholicos præparare possunt ueniam, qui humor melancholicus habet diuersas species: nam una est naturalis, quæ est fæx sanguinis, & alia non natu-

Pituitam insipidã aut dulcem præparantia

Pituitam salsam præparare docet.

Pituitam acetosam & ponticã præparare docet.

Pro pituita crassa et mucilaginosa præparãtia.

Pituitam subtiliorem præparare docet.

Melãcho

lici humoris species diuersæ sunt.

ralis ex præternaturali melancholia: quædam uero fit ex choleræ rubeæ adustione, & quædam ex adustione phlegmatis, & quædam per melancholiæ adustionem, & quædam per adustionem sanguinis. hi omnes humores melancholici secundum propriam humoris naturam ad euacuationem præparari debent, à quo facta fuit. Sed antequam ad res particulares unumquemque humorem præparantes deueniam, medicinas humorem melan

Melancholicum humorē digerentes simplices & compositæ quæ sint.

cholicum digerentes tam simplices, q̃ compositas scribam: simplices uero sunt passulæ, liquiritia, buglossum, borago, melissa, malua, lupulus, fumoterræ, hepatica, scolopendria, tamariscus, serum lactis, & similes aliæ plurimæ. Sed compositæ sunt syrupus de buglossa, de fumusterræ, de nenuphare, de pomis dulcibus, de epithymo, de liquiritia, de capillis Veneris, oxymel cum minori quantitate aceti, syrupus uiolatus, decoctio epithymi, & similes, quæ uim humectandi, & modeste calefaciendi habent. & ut omnia, ut dixi secundum humoris melancholici naturam administrare possis, ad particulares ordinationes sic

Melāchol iam naturalem præparare docet.

descendam: primum si melancholia fuerit naturalis, quæ euacuari debet, præparetur sic. Recipe syrupi de buglossa unc. i. de pomis dulcibus unc. s. aquarum boraginis, lupulorum an. unc. i. s. misce, uel decoquantur uiolæ, borago, buglossum, & detur earum decoctum cum syrupo de buglosso, uel uiolato, & similibus:

Melāchol icum humorē ex adustione choleræ præparare docet.

sed si humor melancholicus ex adustione choleræ fuerit, dentur decoctiones buglossæ, endiuiæ, boraginis, uel dentur syrupi hoc modo. Recipe syrupi de endiuia, de buglossa, acetosi simplicis an. unc. s. aquarum boraginis, nenupharis, fumiterræ an. unc. i. s. misce, & quoniam sæpe cum putredine humoris melancholici per adustionem choleræ somnus ex illa calida, & sicca euaporatione impeditur: ideo si post cœnam detur hic syrupus, plurimum iuuabit.

Sommum iuuare docet.

Recipe syrupi uiolati unc. i. de nenuphare unc. s. aquarum buglossæ, melissæ an. unc. i. s. misce: si autem humor melancholicus ex adustione phlegmatis fuerit, dentur iam dictæ decoctiones non ita refrigerantes, uerbi gratia bulliant borago, buglossum, capillus Veneris, fœniculus, lupulus, &

Humorē melāchol icum ex adustione phle-

similes, uel dentur syrupi hoc modo: Recipe mellis rosati, syrupi de fumoterræ, de buglossa an. unc. s. aquarum boraginis, scabiosæ an. unc. i. s. misce. præterea si humor melancholicus ex adustione ipsius melancholiæ fuerit, medicinæ præparantes sint illæ, quæ

plurimum humectant cum modesta caliditate, ut sunt decoctiones boraginis, lupulorum, melissæ, buglossæ, fumiterræ, & similes: uel sint syrupi. Recipe syrupi de fumiterræ, de buglossa, de epithymo an.unc.s. aquarum boraginis, lupulorum, melissæ, an.unc.i.s. misce: si uero melancholicus humor fuerit ex adustione sanguinis, tunc operæpretium erit, eas medicinas exhibere, quæ sanguinem mundificant, ut est lupulus, fumusterræ, borago, cichoreum, asparagus, capillus Veneris, aut eorũ decoctiones: uel dentur syrupi hoc modo. Recipe syrupi de lupulis, de fumoterræ, de cichoreo simplici an.unc.s. aquarum buglossæ, boraginis. an.unc.i.s. misce. Postremo te scire oportet q; humores sæpenumero simul permiscentur, ita ut cholera, & pituita cum humore melancholico permisceantur: & sanguis etiam sæpissime per eorum admistionem inficitur: ideo cum tales fiunt permistiones in humoribus, in eorum digestione semper humorem admistum cum principali considerare oportet, ut possis in digestiuis, syrupos, uel alias medicinas præter illam quæ priori humori cõferunt, etiam ponere: & hoc non tantum de permistione facta cũ humore melancholico, sed in quacunque alia permistione aliorum quomodolibet humorum; ut puta si phlegma cum alio humore permistum fuerit, addatur mel rosatum, uel oxymel, uel syrupus byzãtinus cum aceto: si bilis; addatur syrupus de cichorea: si sanguis; de lupulis: si melancholia; de fumoterræ, uel de buglossa: sicq; diuersas considerando permistiones diuersi humoris naturalis, uel non naturalis, diuersas præparabis medicinas digerentes. uerbi gratia in permistione choleræ adustæ pone etiam syrupum uiolaceum, uel nenupharinum, sic in aliis secundum humorum naturam. Et quoniam dictum est de melancholia ex adustione sanguinis, uel cum permistione sanguinis, & quidam dicant in tali casu solam missionem sanguinis conuenire; hi salua doctrinæ & uirorum antiquitatis reuerentia errant: quoniam missio sanguinis non est concoctio, seu præparatio præcedens euacuationem, de qua Hippocrates dixit, sed est minoratiua, uel eradicatiua euacuatio, quam timuit Galenus in cura quartanæ ad Glauconem, cum semper humor melancholicus sit euacuationi rebellis, nisi prius præparetur: siquidem cum terrestris sit, aperta autem uena subtilis egreditur, crassus remanet: & ea ratione docuit Galenus citato loco experiri in cura quartanæ, an aperta uena

gmatis præparare docet.

Humorẽ melãcholicum ex adustione melancholiæ præparare docet.

Ex adustione sãguinẽ factũ præparare docet.

Quomodo commistos humores præparare debemus.

Error quorundã in melãcholia.

sanguis clarus, uel niger egrediatur: qp si clarus fuerit, uenam clau
dere iussit: si niger, dimittere ut egrediatur: nec propterea sangui-
nem sic mittere est species concoctionis, seu digestionis. non ta-
men ex omni parte male operantur, qui sanguisugas hæmorrhoi
dibus apponunt in permistione humoris melancholici cum san-
guine, si innatæ illæ sint, & assuetæ sanguinem euacuare. Hu-
cusque de minoratione, atque concoctione, seu præparatione di-
uersorum humorum præter naturam secundum eorum diuersi-
tatem dixi, nunc ueniendum est ad eas medicinas, quas medici ele
ctiuas, & eradicatiuas uocant, diuersos humores & partiales edu-
centes: sed primum te admonere uolo qp non datur, uel non dum
reperta est medicina, quæ sanguinem per secessum primo & per
se educat: tametsi Galenus dixerit libro de Facultate purgan-
tium medicamentorum hominem quendam inuenisse herbam
sanguinem educentem; qui ne forte eam aliis ostenderet, magi-
stratus obturatis oculis ad mortis supplicium eum condemna-
runt. Veruntamen potest medicina aliqua secundario aliquando
sanguinem educere: quæ euacuatio tribus modis fieri potest, uer-
bi gratia si medicina fortis fuerit, ut possit uenæ uelamen exco-
riare, seu erodere, de quorum numero est euphorbium, scammo-
nia, cucumerus asininus, mezereum, & similes: secundo potest
medicina sanguinem educere sua proprietate aperiendi orificia
uenarum, ita ut ab ipsis orificiis sanguis emanet, ut scribitur à
diuo Mesue, & aliis de Aloe: nam ut ipse dixit cap. de Aloe
nocet hæmorrhoidibus, & uenarum orificia aperit, sanguinem
emanare faciens: dicat in hoc doctissimus Manardus & alii re-
centiores medici, quicquid sibi placuerit. Tertius modus eua-
cuationis sanguinis est cum medicina in sui operatione effrenata
existit & indomita: aut ex ea nimia quantitas assumpta fuerit, ut
sunt omnes medicinæ calidæ, sicut scammonia, & aliæ similes:
quod cum ita, ut dixi sit, medicina sanguinis eductiua non est in-
quirenda. His itaque prænotatis, si necessitas plenitudinis, aut
malitiæ sanguinis ad eius euacuationem cogat, aperiatur uena se-
cundum rei opportunitatem, siquidem uenam quam iecorariam
uocant, in curuatura brachii communiter medici incidere solent
in febribus, & aliis morbis, in quibus intentio prima est sangui-
nem euacuare, ut in synocha, & peripleumonia, a qua uena, &
in quibus casibus sanguinem copiosum ad uirtutis tolerantiam,

Proponit nunc agere de medicinis electiuis.

Medicina aliqua secundario quot modis possit euacuare sanguinem.

De phlobotomia.

& quidam etiam ad animi usque defectum euacuare audent. Ego tamen semper modestiam, & securitatem laudo, quoniam sæpe uidi ex tali nimia euacuatione in iuuenibus & fortibus interitum ægroti, & aliquando permutationem ad frigidum, & diuturnum morbum, paralysim, & alias frigidas dispositiones, ex quo te alienis periculis cautum esse uelim: aperiuntur etiam aliæ uenæ ad sanguinis euacuationem in brachio, & aliis corporis partibus, ut est uena nigra seu communis in brachio, uel cephalica; aut in pede uena poplitis; uel illa, quam saphenam Arabes uocant, Latini uero maleoli uenam; uel illam, quæ inter minimum & quartum digitum est, aperiunt; & alias quàmplurimas uenas in diuersis corporis partibus, secundum diuersas corporis partes laborantes, à quibus semper quando dominium sanguinis uel malitia causa alicuius morbi fuerit, & uirtus toleret, & aliquod contrarium non fuerit, ut est febris pestilentialis post quartum diem, uel anni tempus, aut ætas non consentiens, optimum erit sanguinem intrepide mittere, ut in mulieribus si retentæ fuerint menstruales euacuationes, uenam maleoli, seu saphenam canonice aperies, & multitudine sanguinis melancholici hæmorrhoidales uenas aperies, præsertim si eas habuerit tumidas naturaliter, uel ex accidenti; quoniam sic euacuando semper morbi causam remouebis, quæ ex Galeni sententia uera cura dicitur. Sed præter sanguinis euacuationem, ubi, ut dixi opus fuerit cum sanguis in uenis per uniuersum corpus sit, regimen etiam cum illis, quæ sanguinem clarum reddere solent obseruandum erit, leniendo, aut alterando cum tamarindis, capillo Veneris, lupulo, boragine, buglossa, & similibus: hanc præterea, uel consimilem sanguinis euacuationem, si ille in exterioribus partibus corporis abundauerit, uel malus fuerit, & à uenis ad ultimam cutis partem trudatur, ut fit in febribus malis, & pestilentialibus per cucurbitularum appositionem facere poteris. Sed omissa sanguinis euacuatione ad aliorum humorum euacuationem sermonem conuertam, si prius te certiorem reddam, aliquando uentris lenitionē, seu leuē solutionē cum purgātibus medicinis sanguinem mundificantibus excusare à uenæ apertione: medicinæ simplices quæ leniter uentrem subducunt, sanguinem mundificant, sunt in primis cassia fistularis, tamarindi, manna, lupulus, succus fumiterræ, aqua casei, & similes: compositæ uero sunt syrupus

Sententia propria in mißione sanguinis.

Vera cura quæ dicatur.

Cucurbitulis quādo sit extrahēdus sanguis.

Excusatio à sanguinis mißione.

Correcti

ua sanguinis simplicia & composita.

rosatus solutiuus, decoctio communis tamarindorum, passularum, prunorum cum aqua lupulorum, & similes. Et hæc de sanguinis euacuatione, & mundificatione, seu correctione satis. Prius uero, & antequam medicinas diuersorum humorum euacuatiuas describam, pondus seu ut medici aiunt dosim, seu quantitatem, quæ possunt tute dari tam ex singularibus, seu simplicibus, quàm compositis uentrem soluentibus & diuersos humores educentibus, breuibus adnotabo, & præsertim earum quæ magis apud medentes in usu dicuntur à simplicibus incipiens. Cassia igitur & si lenitiua sit, educit tamen choleram, & pituitam, & ex eius pulpa datur ab un.i. usque ad ℥.xv. Tamarindi & ipsi choleram educunt, daturq; ex eis ab un.i. usque ad duas amotis nucleis, uel ex aqua decocti. Manna quoque choleram citrinam leniendo educit, datur ex ea ab un.i. usque ad tres. Ex Rhabarbaro datur à ʒ.i.s. usque ad tres, sæpe ex infusione præparato, & aliquando cum tota substantia. Ex agarico, datur solus à ʒ.i. usque ad drach.iii. Ex aloe datur à drachma una usque ad duas, aliquando loto, aliquando non loto. Ex scammonio datur à granis quatuor, usque ad xiii. Ex hermodactylis datur à drach.i. usque ad tres. Ex sena datur ab un.s. ad unam cum dimidia decocta. Turbith datur à drach.i. usque ad tres. Ex polypodio à ʒ.ii. usque ad un.s. myrobalanorum infusio tam citrinorum, chebulorum, quàm Indorum datur & emblichorum, & ponitur in infusione ex eorum substantia à drach.ii. usque ad drach.vi. præsertim citrinorum. Sed chebulorum à drach.iiii. usq; ad drach.x. Indorum à drach.ii. usque ad drach.iiii. & emblichorum à drach. i s. usque ad quinque, uel septem, quos etiam myrobalanos exhibent medici in substantia secundum diuersitatem exigentiæ. Attamen in substantia minor datur quantitas, quàm in infusione uel decoctione. Quicquid autem sit de omnibus dictis, à nimia euacuatione semper abstinendũ erit. Et hæc de simplicibus sit. Cõpositarum usualium medicinarum quantitates, seu dosis erunt uidelicet ex electuario lenitiuo, datur ab ℥.i. usque ad ℥.i.s. & duas; ex Diacatholicone datur quoque ab unc.i. usque ad duas: ex Diapruno non solutiuo datur ab unc.s. usque ad unc.i. uel unc.i.s. Ex Diasena unc.s. usque ad unam: Ex electuario de sebeste non cõpleto datur ab unc.i usque ad unc.i.s. Ex hiera simplici datur ab unc.s. usque ad unam. Ex electuario diaphœnicon datur a ʒ.iii. us

Dosis medicinarũ educentium choleram, pituitam, et melãcholiam.

Differentia exhibendi medicamentũ in substantia et in infusione.

que ad ʒ.vi. Ex electuario rosato Mesuæ datur à ʒ.iii.usque ad ʒ.vi. Ex electuario de succo rosarum datur a ʒ.ii. usque ʒ.iiii. Ex diapruno solutiuo datur a ʒ.ii.usque ad unc.s. Ex electuario de se beste completo datur ab unc.s.usque ad ʒ.xii. Ex Benedicta datur ab unc.s.usque ad unc.i. Ex hiera Pacchii descriptione Scribonii datur a.ʒ.iii.usque ad.ʒ.vi.similiter de aliis hieris compositis dari potest, ut est hiera colocynthidos, & hiera logodion. Est etiam confectio de turbith,& ex ea exhibent a ʒ.ii.usque ad.ʒ.vi. Sunt etiam pilulæ, quæ in diuersis morbis exhibentur, ut sunt pilulæ aureæ, ex quibus dant a ʒ.i.usque ad.ʒ.ii.sunt quoque cochiæ, ex quibus dantur a ʒ.i.usque ad ʒ.i.s.uel ad duas. Ex pilulis fœtidis dantur a ʒ.i. usque ad ʒ.i.s. Ex pilulis de hermodactylis tam maioribus, quàm minoribus exhibentur a ʒ.i.usque ad ʒ.i.s.& duas. Ex aggregatiuis dantur a drach.i. usque ad duas. Ex Arabicis a drach.i.usque ad drach.ii. Ex pilulis de agarico Mesuæ à drach.i. uel usque ad drach.ii. Sunt etiam plurimæ aliæ medicinæ compositæ in quotidiano usu,de quibus nihil in præsentia dicam: quoniam nimis nostra in longum procederet oratio. unum tamen non præteribo,uidelicet,quod semper medicinæ sunt associandæ, uel præparandæ cum rebus quæ humores euacuandos respiciunt, uel membrum a quo humores educere oportet. Et ut ad intentum propositum ueniam:ad medicinas humores electiue euacuantes sermonem conuertam. Ex quibus prior cholera erit, quæ uel simplex,& naturalis est,uel composita,& præter naturam. Naturalem choleram peccantem educit casia,tamarindi,rhabarbarum,si exhibeantur puta hoc modo. Recipe rhabarbari electi drach.i.s.spicæ grana vi.uini maluatici drach.iii. decoctionis tamarindorum, passularum cum unc.iiii. aquæ cichorei,infundatur per octo horas,& facta expressione in ea dissoluantur pulpæ casiæ drach.xii.& fiat potus,deturque quinque horis ante cibum. Potest etiam sumi casia cum rhabarbaro in forma boli hoc modo. Recipe floris casiæ drach. xiii. rhabarbari maturi electi drach.i.s. fiat ex eis bolus, & exhibeatur quinque horis ante cibum. Quod si necessitas cogat ad exhibitionem in forma pilulari,dentur hoc modo. Recipe rhabarbari maturi electi ℈.v.fiant ex eis pilulæ quinque cum aqua cichorei, uel succo rosarũ puro; sumanturque quinque aut sex horis ante cibum cum apozemate aliquo;uerbi gratia, Recipe syru-

Medicamẽta sũt associanda quibusdam.

Medicamẽta choleræ naturalis electiua.

pi de cichorea unc.i. rosati unc.s. aquarum boraginis, endiuiæ, an.unc.i.s.misce;qui exhibendus erit post pilularum assumptionem. Si uero cholera euacuanda subtilis, citrina fuerit, hoc in casu Manna cum rhabarbaro, & decocto tamarindorum exhibere optimum erit: uerbi gratia, Recipe rhabarbari maturi electi drach.i.spicæ grana v.uini aromatici drach.ii. decoctionis hordei, passularum, & tamarindorum.an.unc.s.in aquis cichoreæ, & buglossæ infundantur ex arte, & facta diligenti expressione in ea dissoluatur Manna usque ad unc.ii.uel plus. Et quoniam Manna est medicina satis leuis, ideo ex ea usque ad unc.iii. exhibere possumus. Aduertendum est etiam quod cum tamarindi aliquo modo stomacho frigido noceant, ideo corrigendi sunt cum mastiche, uel schœnantho, & macis. Compositæ uero medicinæ eradicatiuæ educentes choleram naturalem, & citrinam præter naturam peccantem sunt diaprunũ simplex, & completum, electuarium de psyllio Mesuæ, diamanna Mesuæ: electuarium de sebeste completum; & non completum Montagnanæ. Sunt & pilulæ quæ eradicatiue educunt choleram iam dictam, ut pilulæ aureæ, aggregatiuæ, de tribus, de aloe loto ex infusione rhabarbari, & similes. Ex quibus data euacuandi occasione sic ordinabis.

Tamarindorũ correctiua.

Recipe diapruni non solutiui unc.i.s.uel diacatholiconis, fiat bolus cum saccharo, uel fiat potio cum aqua cichorei, & endiuiæ, aut cum decoctione communi fructuum::quam sic ordinabis. Recipe passularum, liquiritiæ, hordei, seminum communium, an. unc.s.iuiubarum nu.x.prunorum nu.vi.aquæ boraginis unc.x. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & coletur, cum qua potes dissoluere alias medicinas, uel in ea rhabarbarum infundere. Quod si fortiorem medicinam dare desideras adde electuarium rosatum Mesuæ ad drach.ii.quoniam educit sine molestia choleram citrinam: potes etiam addere infusionem rhabarbari hoc modo ordinando. Recipe rhabarbari electi maturi drach.i.s. spicæ uel schœnanthi gr.vi.uini aromatici drac.iii.aquarũ cichoreæ, buglossæ an.unc.ii.uel decoctionis communis unc.iii. infundantur ex arte, & facta diligenti expressione adde electuarium diapruni simplicis, uel diacatholiconis unc.i.s.misce, & fiat potio, detur per quinque, aut sex horas ante cibum. quod uero dixi de diapruno, & diacatholicone, & electuario rosato Mesuæ, intellige etiam de electuario de psyllio, de sebeste, de succo ro-

Electuarii de psyllio documentum.

sarum,

ſarum,& aliis dictis componendo ſecundum occaſionem & rei indigentiam. quod ſi pilulas dare operæprecium fuerit, eas ſic ordinabis. Recipe pilularum aggregatiuarum drach.i.s. fiant pilulæ quinque, & aurentur: exhibeanturq́ ſex horis ante cibum, & poſt earum aſſumptionem immediate bibat hunc ſyrupum. Recipe ſyrupi de endiuia ℥.i. roſati ℥.s. aquarum cichoreæ,boraginis, an.℥.i.s.miſce: potes etiam ordinare pilulas hoc modo. Recipe pilularum aurearum drach.i.rhabarbari maturi electi ℈.i.fiant ex eis pilulæ quinque cum ſucco roſarum puro, & poſt earum aſſumptionem bibat ſupraſcriptum ſyrupum. Sumi etiam poſſunt aliæ iam memoratæ pilulæ,& aliæ quoque,medicinis addendo,& minuendo unius,uel alterius quantitatem, ut neceſsitas poſtulabit: ſemper ætatem,uirtutem, morbum, & alia conſiderando. Sequitur ut de choleræ non naturalis euacuatione dicam: & primo,quoniam ex ea diuerſæ ſunt ſpecies,cum quædam ſit non naturalis per admiſtionem aliorum humorum,ut eſt cholera uitellina maioris famæ per admiſtionem pituitæ cū cholera,& quædam per aduſtionem,& permiſtionem quoq;,ut cholera minoris famæ ut dictum fuit: ideo ſecundum eorum diuerſitates,diuerſas medicinas exhibere operæprecium erit, quæ ſunt in duplici differentia,ſimplices,& compoſitæ. ſimplices ſunt ut caſsia fiſtularis,ſuccus roſarum purus, aloes lota, rhabarbarum, agaricus, ſcammonia,& ſimiles; compoſitæ uero ſunt, ut electuarium lenitiuum, de ſebeſte, diacatholicon, diaphœnicon, diaſenæ, diapruni, hiera ſimplex & compoſita, electuarium de ſucco roſarum Meſuæ, confectio hamech, & ſyrupus roſatus ſolutiuus, & ſimiles, ex quibus dabis ſecundum rei indigentiam: ut puta ſi materia fuerit cholera uitellina ex pituitæ permiſtione,& non ex aduſtione,ſic ordinabis. Recipe floris caſsiæ nouiter extractæ ℥.i.s.fiat bolus cum ſaccharo, uel fiat potus cum aqua fœniculi, uel lupulorum, aut cum decocto fœniculi, aut aniſorum, uel detur ſyrupus roſaceus ſolutiuus uſque ad ℥. iiii. dilutus cum aqua lupulorum,& boraginis. Ad hoc ualet electuarium lenitiuum, de ſebeſte ut dictum fuit, datum in forma boli,uel dilutum cum aquis dictis uel decocto hoc modo. Recipe electuarii lenitiui ℥.i. de ſebeſte ℥.s. uel diaphœniconis drach.iii. fiat ex eis bolus,uel potus, & poſt quinque uel ſex horas comedat: quod ſi Rhabarbarum dare uolueris cum iam dictis, utique recte facies:

Medicamēta electiua cholerę non naturalis

Notanda

de Rheu-barbaro. quoniam præterquam q̄ choleram utranque euacuat, est quoque medicina corrigens malitiam aliarum medicinarum, & stomachi, atque iocinoris roboratiua, quam sic præparabis. Recipe rhabarbari electi drach.i.s.spicæ gr.vi. uini maluatici drac. iiii.decoctionis communis superius scriptæ ℥.iii. infundantur ex arte, & facta colatura, in ea dissoluantur electuarii lenitiui ℥.i.de sebeste drach.iii. misce, & fiat potio, cui adde succi rosarum puri ℥.s.deturq́; ut supra quinque horis ante cibum. Si autem cholera fuerit uitellina ex adustione, cassia optima est, & electuarium diapruni cum rhabarbari infusione, ut superius diximus. Choleram uero adustam, uel permistam cum alia, quæ minoris famæ dicitur, euacuabis hoc modo. Recipe diacatholiconis ℥.x.electuarii de psyllio drach.v.misce, & fiat bolus cum sacharo, uel potus cum decoctione communi, uel cum aquis stillaticiis cichorei, boraginis, endiuiæ, lupulorum, & similium: cui ut superius dictum est addere potes drach.i.uel drach.i.s.rhabarbari infusi:& sic melius, & fœlicius purgabis. ualent plurimum in euacuando materiam uitellinam crassam trochisci de uiolis sine scammonia, & cum scammonia, & ideo addendi sunt ad uigorandam medicinæ operationem a drach.i.usque ad drach.ii. cum cassia, & aliis dictis medicinis. Potes etiam dare pilulas, ut sunt pilulæ aggregatiuæ, pilulæ de tribus cum rhabarbaro, aureæ, & similes, si æger potionem, aut in forma boli medicinam tenuerit, quas sic ordinabis. Recipe pilularum aggregatiuarum drach.i.uel drach.i.s.fiant pilulæ quinque, & aurentur, sumanturq́; sex horis ante cibum: uel ubi crassiorem materiam euacuare uolueris, sic ordinabis, Recipe pilularum aurearum, aggregatiuarum, an.℈.ii.fiant pilulæ quinque & aurentur, & sumantur ut dictum est cum apozemate, seu syrupo superius dicto, aut cum ℥.iiii.aquæ cichorei, uel cum iure parui pulli: & quando maiorem cognoueris adustionem, uel humorum adustorum permistionem, fortiores medicinas propinabis; non tamen sint expoliatæ a uirtute leniendi, ut puta: Recipe electuarii lenitiui, uel diacatholiconis, uel de sebeste non completi. ℥.i. diapruni solutiui drach.iiii.succi rosarum puri ℥.i. decoctionis passularum, hordei, sebeste, senæ cum aqua lactis, aut lupulorum quantum satis est, misce, & fiat ex eis potio, in qua etiam loco electuarii diapruni si materia permista cum humore melancholi-

trochisci de uiolis ad quid utiles sint.

co fuerit, ponere poteris drach.ii.uel drach.ii.s. confectionis hamech: & in decoctione addere myrobalanos chebulos,& flores boraginis,&buglossæ. Si uero cũ phlegmate, addatur diaturbith, uel trochisci de uiolis: semper tamen rhabarbarum infusum, uel cum sui substantia tute permiscere poteris,& agaricum quoque: uerbi gratia, si cholera fuerit minoris famæ,& permista cũ phlegmate crasso, Recipe rhabarbari maturi electi drach.i. agarici albi frangibilis optimi drach.i.s.spicæ gr.iiii.zingiberis gr.x.mellis rosati ℥.s.uini aromatici drach.iii.decoctionis passularum, hordei,senæ,polypodii,cum aquarum lupulorum,& boraginis ℥.iii. infundantur ex arte,& facta expresione adde electuarii lenitiui drach.vi.de dactylis drac.iii.fiat potio, sex horis ante prandium sumenda. Et quoniam agaricus sæpe uomitum excitat, ideo si per duas horas post medicinæ exhibitionem assumens dormierit, minus molesta erit eius operatio. Si uero in forma boli dare uolueris, detur hoc modo. Recipe electuarii lenitiui drach. vi.de dactylis drach.iii.rhabarbari electi puluerizati ℈.ii.agarici præparati, seu trochiscati drach.i.s.misce,& cum saccharo fiat bolus,dormiatq; per duas horas post, quinque uel sex horis ab assumptione comedat. At si pilulas dare uolueris, optimæ sunt pilulæ de tribus cum rhabarbaro, pilulæ de hiera cum agarico, pilulæ de agarico Mesuæ,ut puta: Recipe pilularum de tribus cum rhabarbaro drach.i.de agarico Mesuæ ℈.ii.fiãt pilulæ quinque,& aurentur; uel dentur aggregatiuæ solæ, uel cum agarico trochiscato, cum aliquo syrupo respiciente humorum euacuandorum substantiam & naturam: ut,Recipe syrupi de betonica ℥.i.mellis rosati ℥.s.aquarum cichoreæ,lupulorum,an.℥.i.s. misce, & detur:nam istæ omnes enumeratæ medicinæ educunt utranque choleram minoris famæ,uidelicet & factam per adustionem, & factam per admistionem aliorum humorum præter naturam. Si uero choleram æruginosam, & prasinam abundare uidebis, scito hoc q raro qui hunc humorem aggenerant a morte euadũt: siquidem cum molestissimus sit humor, ut plurimum uomitum excitare solet, uel sine ipso, aut cum ipso hominem interficere. quapropter medicinæ euacuantes, & mouentes, non tuto exhibentur. Attamen ut raro medici possunt suis auxiliis eum adiuuare,quicquid tamen fit,cum aliquando uiderim ego aliquos a cholera æruginosa molestatos euasisse: ideo si datur tempus, & com-

Nota pro uitãdo uomitu ex assumpto medicamento.

Cholera praßina & æruginosa laborantes rarisſimi euadunt.

moditas, exhibeatur aliquod leue eductiuum, ut est diacatholicon, quod ualet in acutis, & peracutis morbis, uel sint eae medicinae, quae sine molestia a stomacho educunt, ut est lenitiuum, syrupus rosatus solutiuus, manna cum decocto senae dissoluta ex usu esse poterit: quicquid autem fit, semper in medicinis ipsis addere debes aliqua uentriculum, & reliqua uiscera roborantia, ut est succus rosarum purus, uel geleniabin de saccharo, aut syrupus de corticibus citri, & similia choleram diuersam educentes. sequitur, ut de illis, quae materiam pituitosam euacuant dicamus. quae pituita cum sit diuersarum specierum, ab una incipiam ex ordine procedendo, & est phlegma dulce, & insipidum, quod potest diuersis medicinis & simplicibus, & compositis euacuari: simplices sunt turbith, salgēma, agaricus, hermodactylus, chartamus, myrobalani, tam chebuli, q̃ belirici, & emblici, & aliae similes: compositae uero sunt hiera diacolocynthidos, diaphoenicon, electuarium lenitiuum, electuarium de sebeste, benedicta, agaricus praeparatus, uel trochiscatus, trochisci de uiolis sine scammonio; pilulae alephanginae, cochiae, mastichinae, de benedicta, foetidae, de agarico Mesuae, de hermodactylis, de euphorbio, & similes aliae multae tam simplices, q̃ compositae, ex quibus eliges secundum morbi, uel dispositionis praeter naturam indigentiam: uerbi gratia, Recipe electuarii lenitiui ℥.i. de sebeste ℥.s. de dactylis. drach. ii. fiat ex eis bolus cum saccharo, uel potio cum aqua foeniculi, uel cum decocto passularum, senae, polypodii in aqua foeniculi, & exhibeatur quinque horis ante cibum, uel detur ℥.i. lenitiui, & ℥.ii. agarici praeparati, aut cum drach. ii. specierum de hiera simplici in forma boli, uel dissoluti in aqua foeniculi, uel supradicta decoctione, uel detur electuarium de dactylis usque ad drach. vi. aut in forma solida, scilicet in rotulis ex saccharo ab ℥.s. usque ad ℥.vi. similiter dare potes electuaria alia sola, uel cum aliis mista: quando materia phlegmatica crassior erit, puta dando benedictam, uel hieram pacchii, uel cum decocto iam dicto, uel alio respiciente materiam crassam. ꝙ si cum pilulis euacuare uolueris istae ex usu erunt. Recipe pilularum cochiarum drach. i. agarici trochiscati ℈.ii. fiant pilulae quinque, & dentur quinque, aut sex horis ante cibum, uel dentur aliae dictae secundum diuersas intentiones; & in imbecillitate uentriculi, quae ut plurimum esse solet in illis, qui humore phlegmatico abundant: ideo esto memor

Notandum in exhibendis medicamētis.

Pituitam dulcem electiue educentia.

pilularum alephanginarum, mastichinarum, de hiera simplici, & ut dictum fuit quando dantur pilulæ fortiores, quales sunt cochiæ, fœtidæ, de euphorbio, de hermodactylis, datur etiam cum ipsis syrupus ut puta talis. Recipe syrupi de betonica ℥.i. mellis rosati ℥.s. aquarum fœniculi, scabiosæ, uel hyssopi. an. ℥.i.s. misce: soluit etiam uentrem & educit materiam pituitosam crassam, lentam & crudam ius galli antiqui ex arte decocti, uidelicet si in eius uentre ponantur passulæ, polypodium, semina carthami, anisi, fœniculus, glycyrrhiza, semina, uel radices althææ, & decoqnantur ad carnis galli cōsumptionem, de quo iure datur usque ad ℥.vi. uel plus mane sex horis ante cibum. Est enim medicina mirabilis in doloribus intestinorū a materia phlegmatica cruda, uel uitrea: ualet etiam habentibus materiam crassam in pectore, & asthmaticis, siue difficulter respirantibus à causa materiali, frigida; digerit, & euacuat, ut dixi, crassam omnem, & pituitosam materiam. Datur etiam ius galli antiqui solus, ubi materia non ita crassa est, neque morbus; uel accidentia fuerint in ultima malitia, ut puta in colica leui ex uentositate, uel retentione fæcum: sunt etiam qui primum ex dicto iure ad ℥.viii. clysterem imponunt, addito oleo chamæmelino, & melle rosaceo an. ad ℥.iii. & salis ℥.i. ut prius, fæces obstruentes inferius educantur: deinde exhibent mane per os, ut dictum fuit. quòd si fortiorem operationem huiuscemodi clysteris desideras, addere potes electuarii lenitiui, & benedictæ an. ℥.i. & imponere: uel addatur electuarium de dactylis, & Indum: quo modo ambo materiam uitream, & alias crassas in intestinis existentes educunt. Cum uero phlegma ponticum, uel acetosum, uel subtile aliquo modo euacuare desideras, esto memor quòd hæc materia non probe educi potest cum fortibus dictis medicinis, quoniam calidæ sunt plusquam natura humoris pro sui euacuatione exigeat, & ideo utere medicinis pituitam euacuantibus mitioribus, puta, Recipe electuarii lenitiui ℥.i. de dactylis ℥.s. dentur in forma boli, uel cum aqua fœniculi dissolutis, uel eius decocto: uel dentur pilulæ, Recipe aloes non loti drach.i. uel drach.i.s. fiant ex eo pilulæ, & exhibeantur ante cibum sex horis: uel dentur pilulæ de hiera cum agarico. Recipe pilularum de hiera cum agarico drach.i.s. fiant pilulæ quinque & exhibeantur: uel sint pilulæ alephanginæ, mastichinæ, aut de benedicta & similes. Si uero sal-

Ius galli commendatur ad diuersa.

Nota de phlegmatis pontici aceto si & subtilis euacuatione.

Pituitam

falsā eua cuare do cet. sam pituitam euacuare uolueris, primum animaduerte, quod illa duplici modo generatur, scilicet per adustionem phlegmatis, aut per admistionem humoris biliosi cum pituita subtili. quare cum ambo caliditatem habeant, in eius euacuatione detur medicina hoc modo. Recipe floris cassiæ, electuarii lenitiui an. drach.vii. misce, & cum saccharo fiat bolus, uel cum aquis cichorei, & fœniculi fiat potio, sumatur sex horis ante cibum, uel dentur pilulæ ex aloe, & aureæ. Recipe aloes loti, pilularum aurearum an.℈.ii.s.fiant pilulæ quinque, & exhibeantur quinque, aut sex horis ante cibum:& in hoc casu exhibere potes electuarium lenitiuum, & de sebeste, & quoque de dactylis, & pilulas aggregatiuas secundum rei indigentiam, & ægrotantis commoditatem. Postremo soluentia, seu euacuantia humorem melancholicum subscribam, si prius te admonuero, sicut in aliis humoribus de isto etiam dicens, Humorem melancholicum præter naturam multiplicem esse, uidelicet permistum cum aliis humoribus, & solum, ex diuersis humoribus per adustionem factum, quem euacuare poteris & cum simplicibus, & etiam compositis medicinis. Simplices uero sunt elleborus, sena, epithymum, myrobalani nigri, & chebuli, lapis lazuli, lapis Armenus, & similia. Composita autem sunt electuarium lenitiuum, diasena, confectio hamech, electuarium Indum, decoctio epithymi Mesuæ, & syrupus de pomis solutiuus, pilulæ de lapide lazuli, pilulæ Indæ, de fumo terræ, arabicæ, & aliæ similes. Si igitur humor melancholicus fuerit fæx sanguinis superabundās, quem euacuare oportet, medicina sit talis, puta: Recipe electuarii lenitiui ℥.i.diasenæ ℥.s.fiat ex eis bolus cū saccharo, uel potus cū aqua fumi terræ aut cum decoctione senæ, & passularum in aqua boraginis, uel fumiterræ: uel fiat decoctio talis, Recipe folliculorum senæ drach.iii.passularum ℥.ii.s.epithymi drach.i.s.myrobalanorum nigrorum, chebulorum an.drach.ii.aquæ lactis uel stillaticiæ boraginis, & fumiterræ ℥.x.bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & detur sex horis ante cibum, uel dētur pilulæ de fumo terræ ad drach.ii.aut pilulæ Indæ ante cibum saltem sex horis.

Melācho licum humorē eua cuantia electiue.

Quod si humor melancholicus fuerit ex adustione choleræ, purgandus erit hoc modo. Recipe electuarii lenitiui ℥.i.diasenæ ℥.s.decoctionis infrascriptæ ℥.iiii.fiat ex eis potio, & exhibeatur quinque horis ante cibum. Decoctio talis erit: Recipe passu-

Ex adustione choleræ.

larum ℥.ii.foliculorum fenæ drach.ii.prunorum Damafcenorum nu.vi myrobalanorum citrinorum drach.ii.florum fumi terræ; boraginis, bugloffæ an.drach.i.s. aquarum fumi terræ, cichorei an.℥.v.bulliant ad confumptionem tertiæ partis, & coletur, cum qua ufque ad ℥.iiii.potes dicta electuaria diffoluere, ut dixi, & etiam in maiori quantitate eam fumere, puta ℥.vi.& erit medicina optima, & leuiter purgans. Sunt, & aliæ medicinæ, quæ dictam melancholiam educunt: ut uerbi gratia, Recipe floris casfiæ, electuarii lenitiui an.℥. v. diapruni folutiui drach.iii. fiat ex eis bolus, uel cum aquis boragini, & endiuiæ fiat potio, aut cum fupradicto decocto in aquis ftillaticiis facto, aut cum aqua lactis, in quo decocto potes etiam drach.i.rhabarbari infundere, quoniam habet uim educendi choleram aduftam, & etiam melancholiam ex ea factam, uel detur decoctio epithymi Mefuæ completa ufque ad ℥.vi.Dantur etiam pilulæ ad humorem melancholicum per aduftionem cholerae hoc modo. Recipe pilularum aggregatiuarum drach.i.de fumo terræ drach.s.fiant pilulæ quinque, & aurentur, & cum eis detur fyrupus talis. Recipe fyrupi de endiuia, de bugloffa, de fumo terræ an.℥.s.aquarum cichoreæ, boraginis an.℥.i.s. mifce: uel dentur aliæ pilulæ, ut funt pilulæ Indæ, & fimiles. Si uero materia fuerit melancholica per aduftionem phlegmatis euacuanda, optimum erit exhibere medicinam humorem pituitofum refpicientem, una cum illis, quæ melancholiam educunt hoc modo. Recipe paffularum ℥.i.fenæ, polypodii an. drach.iii.epithymi drach.i.s.myrobalanorum nigrorum chebulorum an.drach.i.aquarum fumi terræ, bugloffæ an. ℥.v.bulliant ad confumptionem tertiæ partis, & detur fola, aut in ea diffoluatur electuarium lenitiuum, uel de febefte, de dactylis: potes etiam medicinam fic ordinare. Recipe electuarii lenitiui ℥.i. Indi drach.iii.fuprafcriptæ decoctionis quantum fatis fit mifce, & fiat ex eis potio; ualet quoque confectio hamech, & electuarium Indum.Purgat etiam melancholiam ex phlegmatis aduftione ius galli cum epithymo, & fena, & polypodio decocti, &c. Sunt & pilulæ aureæ, quæ de turbith dicuntur: quæ una cum pilulis Indis, uel de lapide lazuli hanc materiam purgare poffunt: & pilulæ Indæ folæ, & cum aliis exhibitæ hanc materiam educunt; quæ fic ordinari poffunt. Recipe pilularum Indarum drach.i. aurearum drach.s. fiant pilulæ

Ex aduftione phlegmatis.

quinque, & exhibeantur ut dictum est. Melancholia facta per melancholiæ fæcalis adustionem, hoc modo purgari potest. Recipe diasenæ Nicolai ℥.i.electuarii lenitiui ℥.s.misce, & fiat bolus cum saccharo, uel cum decocto fumiterræ, boraginis, buglossæ & epithymi in aqua casei, fiat potus, & sumatur quinque horis ante cibum: uel detur decoctum senæ, & epithymi cum passulis in aqua boraginis. Sunt & pilulæ Indæ conuenientes, & aliæ superius dictæ ex lapide lazuli, & lapide Armeno, & similes. Humor autem melancholicus qui per adustionem sanguinis fit, purgetur cum leuibus sanguinem mundificantibus, puta cum hac, uel alia simili medicina. Recipe floris cassiæ ℥.i.diasenæ ℥.s.misce, & cum saccharo fiat bolus, uel fiat potio cum hac decoctione. Recipe passularum ℥.i.tamarindorum, glycyrrhizæ an.drach.ii.florum fumiterræ, boraginis, buglossæ, lupulorum an.drach.i.aquarum capillorum Veneris, scolopendriæ an.℥ iiii. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, cum qua fiat ex dictis potio sumenda quinque horis ante cibum: uel detur diacatholicon cum decoctione communi, & ut omnia unico uerbo perstringam, omnes medicinæ leues, quæ sanguinem mundificant in casu optimæ sunt, siue sint simplices, siue compositæ.

Ex adustione sãguinis.

Cum uero materia melancholica cum aliis humoribus permista est: cura est utranque materiam euacuare, cum medicinis permistis ualentibus ad unam & aliam materiam expurgandam: ut si humor melancholicus permistus fuerit cum pituita, detur una cum medicina expurgante melancholiam, etiam electuarium de dactylis, uel diaturbith, uel trochisci de uiolis sine scammonio, uel agaricus, & similes. Si autem cum humore bilioso permista fuerit, addantur cassia, tamarindi, rhabarbarum, manna, electuarium diapruni rosatum Mesuæ, & similes: si cum sanguine permista fuerit, addantur medicinæ sanguinem (ut paulo supra dixi) mundificantes, ut est fumusterræ, borago, lupulus, capillus Veneris, manna, cassia, tamarindi & similes. &c. Sed optima mundificatio, atque sanguinis, si cum humore melancholico permistio fuerit, euacuatio, est aperire uenam, & sanguinem mittere, ea ratione dico in casu si uenam iecorariam dexteri, aut sinistri brachii secueris, sanguinemque miseris: dum uero uena incisa est, & sanguis clarus subtilisque egreditur, melius est eam euacuationem dimittere, & minime sanguinem euacuare; sicque, hoc in casu

De euacuando humore melãcholico cum aliis admisto.

optime

optime operabis: melius quidem facies, si tales patientes innatas hæmorrhoidas habuerint, eas aperire, & ab eis sanguinem mittere ad quantitatem tolerantiæ: quæ apertio fit per appositionem sanguisugarum, & per apertionem cum instrumento incidente. Et hæc de medicinis præparantibus, alterantibus, atque euacuantibus unumquemque humorem per superius sumpta satis tibi erunt. Sed ne alia ex parte euacuantium modi tibi deficiant, secundum rei opportunitatem; scribam etiam modum euacuationum, quæ per supposita clysteria medici facere consueuere; ut scilicet intestinorum excrementa educat per anum imposita: quam operationem laudabis, & utilis est. &, ut dicebat Auicenna, dilecta est plurimum. Clysteria igitur diuersa administrantur secundum diuersitatem dispositionum præter naturam, & causarum humorum peccantium, uel abundantium in ipsis. Quare si intestina lenire uolueris, & eorum excrementa extra educere, utere clystere communi: quod præparabis hoc modo: Recipe foliorum maluæ, uiolarum, blitis, mercurialis, an. man. i. bulliant in aqua dulci; deinde accipe dictæ decoctionis libram unam, seu unam cum dimidia, olei communis. ℥. iiii. facchari rubei. ℥. iii. salis communis. ℥. ii. uitellum unius oui, misce, & calidum imponatur. Quòd si præter fæces communes, materiam pituitosam in intestinis existentem educere uolueris, clysterem sic ordinabis. Recipe foliorum maluæ, blitis, caulium, betonicæ, cẽtaureæ, florum chamomillæ, anethi, an. m. i. bulliant in aqua communi, de qua decoctione accipe libram unam, uel unam cum dimidia, olei chamæmelini. ℥. iiii. mellis rosati. ℥. iii. salis communis. ℥. ii. uitellum unius oui, misce, & imponatur. At si maiorem uim molliendi aluum, & materiam educendi desideras, potes addere ista electuaria: Recipe electuarii lenitiui, de dactylis, an. drach. vi. misce, & adde in prædicto clystere: ad hoc ualent & alia multa electuaria, si addantur; & est in primis cassia, quæ pro clysteribus præparatur: hiera picra, & ipsa optime educit, & electuarium de sebeste, & alia. Si uero materiam biliosam ab intestinis præter fæces communes clystere euacuare uolueris, facies sic: Recipe foliorum maluæ, uiolarum, blitis, hordei, an. m. i. bulliant in aqua dulci: deinde Recipe dictæ decoctionis L. i. uel L. i. s. olei uiolati. ℥. iiii. facchari rubei. ℥. iii. salis communis. ℥. ii. uitellum unius oui, misce, & supponatur. quòd si maiorem operationem deside-

Clysteria parare docet penes diuersas intentiones.

ras,adde casſiæ pro clyſtere præparatæ ℥.i.cum autem humorem in inteſtinis melancholicum exiſtentem præter fæces euacuare uolueris,fiat clyſter hoc modo: Recipe foliorum maluæ, uiolarum,boraginis,fumi terræ,blitis,an.m.i.bulliant in aqua communi:deinde,Recipe decoctionis dictæ libram unam,uel unam cum dimidia,olei amygdalarum dulcium ℥.iiii.ſacchari rubei ℥.iii. ſalis communis ℥.i.s. electuarii lenitiui unc.i.miſce,& ſupponatur. Quòd ſi fortiores clyſteres deſideras, adde etiam electuarii diaſenæ Nicolai ℥.s.uel de ſebeſte Montagnanæ: quo in caſu ualet etiam casſia pro clyſtere præparata. Eſto tamen memor in educendis melancholicis excrementis abſtinere ab exiccantibus, & nimis calefacientibus:ſiquidem mollia,& modeſte calida conueniunt,uerum ſi in inteſtinis uentoſitas moleſtans fuerit, doloresq; cauſaret, fiat clyſter hoc modo: Recipe florum chamomillæ, anethi,foliorum maluæ,mercurialis,parietariæ,hyſſopi, & betonicæ,an.m.i.ſeminum fœniculi,aniſorum,cymini,an.℥.s. furfuris pugillum unum:ſimul ebulliant:deinde, Recipe dictæ decoctionis L.i.uel L.i.s.olei chamæmelini,anethini,an.℥.ii.benedictæ ℥.i. ſalis communis ℥.ii.uitellum oui; miſce,& imponatur. Veruntamen ſi unà cum uentoſitate etiam humores acres fuerint, cauendum erit a nimium calefacientibus:ideo loco benedictæ poni poteſt electuarium lenitiuum,& loco olei anethini oleum amygdalarum dulcium, & in decoctione maiorem quãtitatem foliorum uiolarum: ſimiliter & in aliis humoribus in inteſtinis unà cum uentoſitate facies;ut puta,quando fuerit phlegma uitreum, adde in decoctione rutam, & amoue uiolas,atque loco olei chamæmelini,pone oleum rutaceum;uel loco ſupraſcriptæ decoctionis,pone ius galli cum iam ſuperius dictis,decoctum rutæ in iure inteſtinorum;& hoc modo ſecundum diuerſitatem humoris, medicinas mutando,uel in eis addendo procedes. Habes itaque hucuſque methodum applicandorum medicamentorum, minorantiũ, digerentium, atque eradicatiue purgantium deſuper ſumptorum, atque per inferius ſuppoſitorum, quæ poſſunt tibi in genere ad partiales humorum purgationes ſatis eſſe: ſed quoniam ex iam dictis cauſis materialibus fiunt morbi, & diſpoſitiones non paucæ, & in toto, & in particularibus membris,corpus conſtituentibus,ideo quo pacto regulandi, præparandi, atque purgandi ſint humores in unoquoque membro, facientes morbum

Documẽtum notandum.

aliquem, uel præter naturam alterantes, & ea membra roborari debeant, tibi subinde ex ordine subscribam, à capite incipiens. Et ut particularium affectuum præter naturam recte tibi curam ostendam; fingam hominem iuuenem, uel consistentem, temperaturæ calidæ, & siccæ, qui sine discrimine, ut fit, omnia ingerat, & in aliarum rerum necessariarum quoque usu aberret, ita ut in diuersis partibus corporis, & diuersis temporibus, diuersis morbis, seu dispositionibus præter naturam laboret. Incipiam igitur a capite, ut dixi, affectus & curas enumerare exordiendo. sit itaque iste patiens, & uocet medicum, dicatque dolorem capitis pati, atque sui mali causas repletionem significet, & dolorem grauatiuum cum loci caliditate, & extensione esse dicat, ex quibus immediate iudicabis malam temperiem cum materia huius mali causam esse: quare de eius amotione tibi cogitandum erit; ut scilicet amota causa, morbus, qui mala temperies est in capite, & accidens quod est dolor amoueatur. Igitur primum a uini potu abstinentia, & cibariorum moderantia incipiendo, sic materiam euacuare incipies, nimirum præmisso clystere, sanguinem incisa uena nigra euacuando, ni forte aliquod contradicens fuerit: ut est uirtutis imbecillitas, anni tempus, ut sunt dies caniculares, & illis contrarii, aut aliqua corporis dispositio prohibens sanguinis euacuationem: quo in casu, cum euacuare opus fuerit, ad sex unciarum quantitatem plus minusve secundum iudicium rationale extimatiuum euacuabis: deinde præparentur reliqui humores ad faciliorem euacuationem cum medicinis materiam peccantem respicientibus, atque etiam membrorum naturam in quo resident, & a quibus eos abducere desideras. siquidem non omnia possunt in quodlibet agere, sed determinatum in determinatum ex Aristotelis sententia. Medicinæ uero quæ materiam calidam, & permistam moderantur, & ad euacuationem præparant, ut superius diximus, sunt cichoreum, endiuia, borago, buglossum, nenuphar, lupulus, & similes: quæ uero caput respiciunt & ab eo educunt, sunt rosæ, coriandri, cichoreum, betonica, & similes. Materiam frigidam respicientes sunt, uerbi gratia stœchas, pæonia, saluia, betonica, quæ utranque materiam respicit, & aliæ multæ. Primo igitur si patiens præter sanguinis abundantiam, & aliis humoribus abundauerit, præsertim cholericis, ita

Casus.

De dolore capitis; et eius curandi ratione.

Lenitio uentris.

Phlobotomia.

Præparantia materiam calidam.

Caput respicientia.

Quando in principio minoratiuis utendum. ut timeas raptum ad caput, eos abducere aliqua leui medicina minoratiua curabis, puta sic: Recipe floris cassiæ drach. xii. fiat ex ea bolus cum saccharo, uel potio cum aquis cichoreæ,& betonicæ, exhibeatur ante cibum per horam, ut dixi: quoniam quando medicinæ leues sunt, ut cassia, manna, syrupus rosatus solutiuus, facile possunt á stomachi calore uinci, ita ut mutata non operetur: & etiam quoniam non sunt ex illis, quæ a remotis educant, ita ut egeat tempore, quo á longinquis materiam trahere possit: quare cum cibo cito post assumpto intestinorum materiam,& uicinarum partium purgant. post quam minorationem, residuum materiæ ad eradicatiuam euacuationem præparare operæpreciũ erit: quod facies syrupos exhibendo, hoc modo: Recipe syrupi de endiuia ℥.i. rosati ℥.s. aquarum cichoreæ ℥.ii. betonicæ ℥.i. misce,& dentur in mane, usquequo in urinis signa concoctionis materiæ apparuerint: quibus apparentibus signis, residuum materiæ, hoc modo euacuabis: Recipe floris cassiæ unc.i. electuarii rosati Mesuæ drach.ii. misce,& cum saccharo fiat bolus, uel cum aquis cichoreæ, & betonicæ fiat potio. potes etiam hoc modo pilulas exhibere: Recipe pilularum aureárum drac.i.s fiant pilulæ quinque,& aurentur, exhibeanturq́; ante cibum per quinque horas; uel dentur pilulæ aggregatiuæ, aut sine quibus, uel de tribus cum rhabarbaro. Quód si cum capitis dolore, uel læsione fuerit abundantia, seu malitia humorum frigidorum, minoretur materia cũ electuario lenitiuo, uel de sebesteń puta sic: Recipe electuarii lenitiui unc i. de sebeste drac.iii. misce, & cum saccharo fiat bolus, uel cum aqua betonicæ fiat potio. Deinde residuum materiæ præparetur hoc modo: Recipe mellis rosati ℥ i. syrupi de betonica ℥.s. aquarum lupulorum, scabiosæ an ℥.i.s. misce, dentur calidi mane: uel dentur syrupi de buglossa, & fumo terræ, si materia fuerit melancholica,& hoc usquequo in urinis apparuerint signa concoctionis; quibus apparentibus dentur euacuantes medicinæ hoc modo: Recipe electuarii lenitiui ℥ i de dactylis ℥.s. syrupi rosati solutiui ℥ i. aquæ betonicæ quantum sufficit: misce,& fiat potio, sumatur quinque horis ante cibum. Quód si materiam melancholicam permistam euacuare uolueris, detur hoc modo: Recipe electuarii lenitiui ℥.i. diasenæ ℥.s. misce, & cum saccharo fiat bolus; uel cum decocto senæ, & passularum fiat potio; aut dentur pilulæ, hoc modo:

Syrupos præparãtes materiam docet.

Eductiua cholericæ materiæ.

Lenitiua humorũ frigidorum.

Syrupus præparans materiã frigidam.

Euacuantia materiam frigidam.

Recipe pilularum aurearum, aggregatiuarum, Indarum, an. drach. s. fiant pilulæ quinque, & dentur: uel dentur cochiæ, & aliæ, in aliis etiam reliquis partibus capitis, & gulæ, seu faucium dispositionibus, solæ, uel cum apozemate, seu syrupo superius scripto appropriato, ita ut semper habeas medicinam humores euacuandos respicientem, & loca, seu membra à quibus euacuare oportet: siquidem in medicinis (teste Galeno libro de simplici medicina) sunt uirtutes ab elementorum componentium formis, per quas dicuntur calidæ, frigidæ, humidæ, uel siccæ; & dicuntur primæ uirtutes. Est etiam secunda uirtus in ipsis, quæ pendet à primis dictis, per quas operantur subtiliando, resoluendo, attrahendo, exiccando, relaxando, & consimiles operationes operando. Estq́ tertia uirtus, quæ humorem respicit, ita ut illum primo expurget, ut in rhabarbaro, qui sua secunda uirtute iecoris obstructiones aperit, & choleram purgat. Tertia uero à iocinore eam magis, quàm ab aliis educit. Rosa uero choleram, & à capite magis, sicq́ in quamplurimis aliis simplicibus, & compositis medicinis hæ uirtutes apparent: nam hermodactylus prærterquam quòd pituitam educit, habet etiam eam à iuncturis euacuandi facultatem, ut in processu morbi tam uentris medii, q̃ inferioris, & aliarum extremarum partium uidebis. Viso igitur modo procedendi in affectibus præter naturam tam calidorum, quàm frigidorum in capite, seu uentre superiori, & eorum partium ad modum curandi affectus præter naturam in uentre medio, siue in pectore tam calidi, quàm frigidi cum materia descendit. Et primo te scire uolo, quòd medicinæ quæ pectus respiciunt, quædam sunt simplices, & quædam compositæ: simplices uero, ut sunt uiolæ, tussilago, seu farfara, glycyrrhizæ, passulæ, capillus Veneris, hyssopus, scabiosa, pineæ, amygdalæ, pulmo uulpis, & similes; manna, agaricus, cassia, ireos, colocynthis, & similes. Compositæ autem sunt syrupi uiolatus simplex, & compositus, de glycyrrhiza, de capillis Veneris, de pulmonaria, de hyssopo, de prasio, & similes. Solutiuæ sunt diacassia, electuarium de sebeste, diasena, agaricus præparatus, uel trochiscatus, hiera pacchii, pilulæ de agarico Mesuæ, & similes. Ponamus iterum præfatum iuuenem incidisse in dispositionem præter naturam calidam pectoris cum materia: huic succurrendum erit cum suis contrariis. Victus in primis ratio instituatur.

Virtutes in medicamentis sunt triplices.

De medicinis respicientibus pectus.

Casus in quo pectus ægrotat & cu ratur.

Ratio uictus.

tuta cum abstinentia à carnibus, & uino. quod si signa dominium sanguinis ostendentia fuerint, & non sint contradicentia aliqua, sanguinem mittere non dubitabis: deinde minorabis materiam medicina lenitiua, hoc modo ordinando:

Phlobotomia.

Lenitiua materiæ calidæ diuersimode data.

Recipe floris cassiæ nouiter per setonem extractæ ℥.i.s. uel minus, ut res postulabit, fiat bolus cum saccharo, uel fiat potus cum decocto pectorali, sic ordinando: Recipe passularum, liquiritiæ, hordei, an.℥.s. florum uiolarum ʒ.ii. Iuiubas num.xii. sebesten.nu.x. aquarum uiolarum, farfaræ, an.℥.iiii. bulliant, & colentur; cum quorum colatura dissolues suprascriptam cassiam: uel dissoluatur cũ aquis uiolarum & capillorum Veneris, & fiat potus, sumaturq; per horam, aut duas ante cibum; deinde dentur syrupi ad præparandum residuum materiæ hoc modo:

Syrupi præparãtes materiam calidam.

Recipe syrupi uiolati ℥.i. de glycyrrhiza ℥.s. aquarum farfaræ, scabiosæ, capillorum Veneris an.℥ i. misce, & detur mane quinque horis ante cibum per aliquot dies: donec scilicet in urinis coctionis signa apparuerint: quibus apparentibus dentur medicinæ ad residuum materiei euacuandum sic:

Euacuatiuum.

Recipe floris cassiæ ℥.i. agarici præparati ʒ.ii. oxymellis simplicis ℥.s. decoctionis pectoralis, suprascriptæ quantum sufficit, & fiat ex eis potio sumenda quinque aut sex horis ante cibum: & quoniam agaricus sua leuitate, sæpe ad superiora euaporat, atque ad uomendum incitat: ideo si post eius assumptionem dormierit per unam, aut alteram horam, ad fundum stomachi descendet, cessabitq; uomendi uoluntas, seu nausea illa:

Somnum præcipit post agarici sumptionem.

Pro materia crassa calida.

si uero materia in pectore, uel partibus eius crassa fuerit, ut sæpe contingit, detur pro medicina minoratiua hæc, Recipe floris cassiæ ℥.i. electuarii de sebeste non completi ʒ.iii. plus, minusve secundum ægri uirtutem, & uentris obedientiam: misce; & fiat bolus cum saccharo, uel potio cum ista decoctione. Recipe passularum, hordei, glycyrrhizæ, an.℥.s. sebesten num.x. seminum althææ ʒ.iii. hyssopi m.s. aquarum capillorum Veneris, scabiosæ an.℥.iiii. fiat decoctio: cum qua dissoluatur cassia, & electuarium, sumaturq; mane quinque horis ante cibum: deinde dentur syrupi per aliquot dies post, hoc modo: Recipe syrupi de glycyrrhiza ℥.s. uiolati compositi ℥.i. aquarum capillorum Veneris, scabiosæ, an.℥.i.s. uel si materia ualde crassa fuerit, detur syrupus talis.

Pro crassiori.

Recipe syrupi uiolati compositi ℥.i. de hyssopo ℥.s. & ubi incidere uolueris, adde ℥.s. oxymelitis, aquarum sca-

biosæ, hyssopi an.℥.i.s.& detur. Caue tamen in dispositionibus pectoris ab aceto, & cum aceto compositis, quoniam sua frigiditate, & siccitate nocet, & aliquando non permittit tussiendo expuere. Facta præparatione, quam cognosces, & per bonitatem sputaminum, & quoque per urinæ concoctionem, iterum hoc medicamine purgabis: Recipe floris cassiæ, electuarii de sebeste non completi, an.℥.v. agarici præparati ʒ.ii. oxymellis simplicis ℥.s. suprascriptæ decoctionis quantum satis erit, fiat ex eis potio, sumaturque quinque, aut sex horis ante cibum. Nota tamen ex sententia Galeni, Auicennæ, ac omnium illustrium medicorum, quod in morbis pendentibus a materia crassa, uel cum ipsa permistis, raro illam materiam unica euacuatione eradicare possumus: quare regula in talibus est sensim eam præparare, sensimque & in pluribus uicibus eam educere. quod etiam ratio dictat, cum difficulter, & non nisi aliquo temporis spatio crassa materia ad euacuationem præparari potest: & ideo reiterandæ sunt medicinæ præparantes, ut sunt syrupi, & decoctiones, & etiam medicinæ euacuantes: sicque totam materiam euacuare poteris. Postremo de affectibus uentris inferioris cum materia, & suis partibus dicendum erit: & à uentriculo, & intestinis incipiam: stomacho conferentes medicinæ, (sicut & in aliis membris dictum est), sunt & simplices, & compositæ, & quoque calidæ, & frigidæ, & in aliis qualitatibus superantes. Simplices sunt ut rosæ, cichoreum, acetosa, labrusca, coriandrum, coralium, mentha, absinthium, fœniculus, mastiche, cinnamomum, gariophyllum, zingiber, myrobalani, rhabarbarum, aloes, & similes. Compositæ uero ut diacatholicon, hiera tryphera, diaphœnicon pilulæ de aloe ex infusione rhabarbari, de tribus cum rhabarbaro, mastichinæ, de hiera, alephanginæ, & similes; uerbi gratia si in uentriculo fuerit mala aliqua dispositio cum materia calida, detur euacuatiuum sic: Recipe diacatholiconis ℥.i. specierum hieræ drach.i.s. misce, & fiat bolus cum saccharo, uel cum aqua cichorei fiat potio, sumaturque quatuor horis ante cibum: deinde dentur syrupi hoc modo. Recipe syrupi rosati unc.i. de cichorei unc.s. aquarum lupulorum, acetosæ, an ℥.i.s. misce, & exhibe mane quinque horis ante cibum, donec concoctionis signa apparuerint, deinde reliquam materiam sic euacuabis. Recipe diacatholiconis unc.i. de dactylis drach.ii. specierum hieræ drach.i.s. misce,

Acetum fugere debemus in dispositionibus pectoris.

Notandum.

Regula in morbis pendentibus à materia crassa.

De medicinis uentriculo conferentibus.

Euacuatiuum materiæ calidæ.

syrupi pro eadem.

Euacuati

uum alte rum. & fiat boluscum saccharo, uel potio cum aqua cichorei, exhibeatur quinq; horis ante cibũ; sed si materia crassa fuerit, medicinã
Pro crassa. euacuatiuam sic ordinabis. Recipe electuarii lenitiui, de dactylis an.ʒ.v. hieræ simplicis drach.ii. misce, & cum saccharo fiat bolus uel cum aqua absinthii, & fœniculi fiat potio, uel dentur pilulæ æquiualentes, ut in calida materia, pilulæ de tribus cum rhabarbaro, & in crassa, masti chinæ, alephanginæ, & similes, quæ sine
Notandum. uiolentia, & molestia educunt: dixi hoc, quoniam quando uentriculus imbecillis est, fortes medicinæ, & exagitantes non sunt exhibendæ; quoniam ut dicebat Princeps Auicenna Hippocratis auctoritate medicinæ purgant, & inueterant; ex qua forti operatione redditur stomachus imbecillior: quare tutius est cum illis, quæ sine molestia purgant, & stomachum roborant procedere, ut sunt pilulæ alephanginæ, de hiera, mastichinæ, & similes.
De iocinoris dispositionibus. Quod si in iocinore aliqua mala dispositio cum materia calida fuerit: primum si corporis ætas, uires, & habitus consentiant, uenam brachii dexteri, quam basilicam uocant, aperire, optimum erit auxilium: præsertim si temperies cum sanguinis multitudine fuerit, quæ cognoscitur ex corporis colore, & uenarum magnitudine.
Phlobotomia. post quam uenæ apertionem cassiam exhibebis, puta,
Lenitio materiæ calidæ. Recipe floris cassiæ drach.x. plus, minusve ut res postulabit, deinde dentur syrupi præparantes hoc modo; Recipe syrupi de endiuia unc.i. rosati unc.s. aquarum cichorei, hepaticæ, an.unc.i.
Syrupi præparãtes. s. dentur per aliquot dies, donec appareat signum concoctionis in urinis: deinceps præparetur hæc medicina: Recipe rhabarbari maturi electi drach.i.s. spicæ gr.vi. uini maluatici drach.iii. de-
Eductiuum materiæ calidæ. coctionis tamarindorum, passularum, florum buglossæ, & boraginis in aquis cichorei, & endiuiæ, de qua ponantur unc.iiii. & infundantur per octo horas, & facta expresione, adde floris cassiæ unc.i. syrupi rosati solutiui unc.i.s. misce, & fiat potio, sumenda
Syrupi præparãtes mate riam frigidam. quinque horis ante cibum. Si uero materia frigida, uel crassa fuerit, dentur post minorationem cum cassia hi syrupi. Recipe syrupi rosati unc.s. de cichoreo cum rhabarbaro unc.i. aquarum lupulorum, endiuiæ an.unc.i.s. misce, & cum concoctio in urinis apparuerit, fiat euacuatio hoc modo: Recipe rhabarbari ma-
Eductiuũ materiæ frigidæ. turi electi drach.i. uel drach.i.s. spicæ grana vi. uini aromatici drach.iiii. decoctionis passularum, glycyrrhizæ, hordei, an. unc.s. seminum endiuiæ, anisorum an. drach.ii. aquarum cichoreæ, lu-

pulorum

pulorum an.℥.s.fiat decoctio, de qua adde cum dictis rebus un. iii.& infundantur per.x.horas, & facta expressione adde ℥.i.diacatholiconis, ſucci roſarum puri ℥.i.miſce, & fiat potio, & exhibeatur. Si uero ſplen laborat cum plurima in eo materia contenta, hoc minoratiuo minoretur illa. Recipe electuarii lenitiui ℥.i.diaſenæ ʒ.iii.fiat ex eis bolus,& detur duabus horis ante cibum, poſtea exhibe ſyrupos hoc modo. Recipe ſyrupi de fumo terræ ℥.i.de bugloſſa ℥.s.aquarum ſcolopendriæ, & betonicæ an.℥.i.s.miſce, & dentur uſquequo in urinis aliqua appareat concoctio, qua apparente detur ſyrupus hoc modo. Recipe ſyrupi de betonica, de fumo terræ, de lupulis an.℥.s.aquarum ſcolopendriæ,capillorum Veneris, an.℥.i.s.miſce, & dentur mane. Valent in caſu pilulæ de tribus cum rhabarbaro uſque ad ʒ. i.s.fiant pilulæ tres, uel quinque,& dentur ſex horis ante cibum: pilulæ etiam aggregatiuæ in caſu ſunt ex uſu. At ſi renibus, ueſica, & uaſis urinariis diſpoſitio aliqua præter naturam fuerit, ſiquidem multæ ſunt,præſertim materiales, quæ egent & malæ temperiei correctione, atque etiam humorum eductione; ſcias uelim plurimas eſſe medicinas renibus conferentes, ut eſt caſſia fiſtularis, aloes, agaricus, rhabarbarum,electuarium lenitiuum, de ſebeſte, de dactylis, Indum, eleſcoph,pilulæ de benedicta,aggregatiuæ, de hiera, & ſimiles, quæ dari poſſunt ſecundum rei indigentiam, puta ſi a renibus, & membris ſibi communicantibus materiam calidam, uel permiſtam cum calidis educere uolueris, detur caſſia hoc modo. Recipe floris caſſiæ ʒ.xii.fiat bolus cum ſaccharo, uel potus cum aqua maluæ, & per horam ante cibum exhibeatur: quod ſi materia educenda craſſior fuerit detur hoc modo. Recipe electuarii de ſebeſte ℥.i.s.fiat bolus cum ſaccharo, uel cum aqua althææ fiat potio, ſumaturq; quatuor horis ante cibum; & quoniam plurima ſunt accidentia: & illa quidem grauia & moleſta, ut mingendi difficultas, atque ardor in emiſſione urinæ & poſt: ideo ad huiuſmodi accidentia plurimæ ſunt medicinæ, quæ plurimum ex uſu ſunt, ut eſt decoctum foliorum maluæ cum iure parui pulli, & etiam decoctum radicis altheæ, & glycyrrhizæ,ut puta. Recipe maluæ m.i.dequoquatur in iure pulli, & exhibeatur mane, ſic etiam facies cum radice althææ, & glycyrrhiza. Decoctum granorum de ſebeſte plurimum prodeſt; prodeſt ſyrupus de glycyrrhiza de papaue-

De ſplene laborante.

Lenitiuum.

Syrupi.

Euacuatiuum.

De renũ diſpoſitionibus.

Lenitiuũ pro materia calida.

Pro craſſa.

Potio ad ardorem & difficultatem in mingẽdo.

re, uiolatus, & similes: de illis uero, quæ ab intestinis educunt, iam superius ubi de educentibus à stomacho sermo fuit, satis dictum fuit. Clysteria etiam ibi ab intestinis educentia scripsi, & ne aliqua ex parte tibi remedia deficiant, quæ in communibus quibusdam dispositionibus præter naturam, et quotidianis ægrotantium uisitationibus medicis præ manibus habere operæpretium est: addam etiam quædam salutifera mulieribus ex utero laborantibus remedia: quoniam sæpissime mulieres ex uteri affectibus in suas ægritudines incidunt. Si igitur matrix, seu uterus laborauerit cum humorum repletione, corporis superfluitates sic purgentur. Recipe electuarii lenitiui ℥.i.de sebeste ℥.s. fiat bolus cum saccharo, uel cum aqua betonicæ fiat potio, deturque quatuor horis ante cibum, præparenturque humores reliqui cum illis quæ materiam respiciunt, ut puta. Recipe syrupi de betonica ℥.i.de capillis Veneris ℥.s. aquarum artemisiæ, matricariæ, cichoreæ an.℥.i.misce, denturque usque ad apparitionem signi concoctionis in urinis, deinde exhibe medicinam sic: Recipe electuarii lenitiui ℥.i.de sebeste, agarici præparati an.ʒ.ii, aquarum betonicæ, capillorum Veneris, an.℥.s.misce, & fiat potio, uel fiat illa cum hac decoctione: Recipe passularum ℥.i.calamenti, lupulorum, an.man.s.seminum fœniculi, anisorum, an. ʒ.iii.aquarum betonicæ, artemisiæ, an.℥.iiii.bulliant, & facta colatura, cum ea dissolue electuaria, uel dentur pilulæ mastichinæ, uel de hiera cum agarico, uel fœtidæ, aut Indæ, & similes, & ubi plurima repletio fuerit in toto, & humorum diuersitas, cum crudorum abundantia detur electuarium elescoph, quoniã est medicina educens à toto materiam dictam: præsertim à renibus, & utero. Reliquum est ut eas medicinas, quas à membris exterioribus educunt tibi significem. A iuncturis uero purgant hermodactylus, turbith, euphorbium, serapinum, salgemma, sal Indum, colocynthis, electuarium Indum, elescoph, hiera composita, electuarium de succo rosarum, pilulæ aureæ, de hermodactylis, fœtidæ, Indæ, de sarcocola, de opoponace, & similes; quæ dari possunt secundum rei necessitatem, puta in podagra, uel chiragra, cum plurima fuerit repletio: & non fuerit materia in fluxu: quoniam tunc magis exagitatur, & ad iuncturas præcipitaret. Ideo ubi necessitas purgandi fuerit, leues sint ab initio medicinæ. Verbi gratia: Recipe electuarii lenitiui

De uteri affectibus & eorum curatione.

Electuarii elescoph uirtus.

De educentibus à iunctu ris.

Notandum.

℥.i.s.fiat bolus cum saccharo, uel potio cum aqua betonicæ: & post dentur syrupi ad præparandum materiam hoc modo: Recipe syrupi de betonica ℥.i.mellis rosati ℥.s.aquarum lupulorum, saluiæ, an.℥.i.s.misce, & sumatur quinque horis ante cibum: uel sit talis. Recipe syrupi rosati ℥.s. de betonica ℥.i.aquarum cichoreæ, iuæ, an.℥.i.s.misce denturq́ ut supra: & hoc, donec in urinis concoctionis signa apparuerint: deinde purgetur sic. Recipe electuarii lenitiui ℥.i.s.de succo rosarum, agarici præparati, an.ʒ.i.s. aquæ betonicæ, uel suprascriptæ decoctionis quantum satis est, fiat ex eis potio, quam propinabis quinque horis ante cibum: uel dentur aliæ medicinæ à iuncturis educentes, ut quando materia permista est cum humore bilioso, adde electuarium de succo rosarum, uel dentur pilulæ dictæ mastichinæ, de hiera, aut fœtidæ, uel aureæ, & de hermodactylis: & hoc quando iam confirmati sunt dolores. Et quoniam sæpissime in longis ægritudinibus propter caloris imbecillitatem fit mala præparatio nutrimenti in membris nutritiuis, & etiam ex imbecillitate uirtutis assimilantis in membris particularibus suboriuntur diuersæ cutaneæ dispositiones, ut sunt scabies, pruritus, & tubercula: quæ omnia à malitia humorum corruptorum proueniunt: quare eam materiam tam antecedentem quàm coniunctam sic euacuare studebis. Recipe electuarii lenitiui ℥.i.s.fiat bolus cum saccharo, aut potio cum aqua fumi terræ, uel detur totidem floris cassiæ, aut electuarii diacatholiconis: quod si fortius medicamen ad educendum materiam cutaneam desideras, adde in dictis confectionem hamech. Secundum ægri tolerantiam, alterabis quoque residuum materiæ cum rebus appropriatis, uerbi gratia. Recipe syrupi de fumo terræ ℥.i.de endiuia ℥.s.aquarum boraginis, lupulorum, an.℥.i.s.uel detur serum lactis, in quo decoctæ sint herbæ similis uirtutis, uidelicet borago, buglossa, lupulus cichorea, fumus terræ, hepatica & similes, & hoc usque ad concoctæ materiæ tempus: quod erit, quando in urinis nebula æqualis alba, & lenis apparuerit: post quã apparitionem detur medicina hæc, uel alia similis. Recipe electuarii lenitiui ℥.i.de succo rosarum, confectionis hamech, an.ʒ.i.s.succi rosarum puri ℥.i.aquarum fumi terræ, cichoreæ, an.q.s.fiat ex eis potio, uel fiat cum decocto epithymi Mesuæ. uel dentur pilulæ hoc modo. Recipe pilularum de fumo terræ ʒ.i. aurearum ʒ.s.fiant

Lenitiua à principio exhiberi debent.

Syrupi ad iuncturas.

Eductiuum materiæ mistæ.

Cutis infectiones unde fiat et earum curandi modus.

Lenitiuum.

Syrupi ad infectionẽ cutis.

Euacuatiuum.

pilulæ quinque sumendæ per sex horas ante cibum: uel dentur pilulæ fœtidæ, Indæ, & similes. quod si uirtus fortis fuerit, in talibus esto audax etiam super exhibitione solutiuorum fortium, ut est diapruni solutiuum, & electuarium elescoph, & similia. his itaque notatis & digestis medicinis in omnibus humoribus, & particularium partium corporis facientibus ad eorum purgationem: superest ut ad eam partem medicaminum quæ exterius applicantur in diuersis membris, atq; diuersis dispositionibus præter naturam orationem conuertam, a capite incipiens. igitur si morbus calidus in capite fuerit, & post euacuationem dictam non amotus fuerit, applicentur remedia localia primo tonsis capillis usque ad cutem, iube ut caput cum oleo rosaceo ungatur pluries: quod si non contulerit, fiat oxyrhodinum hoc modo. Recipe olei rosati ℥.iii. aquæ rosatæ ℥.ii. aceti albi ℥.i. misce, & in ampulla simul conquassentur, donec melius quo fieri potest incorporentur, & capiti sæpe madefacto lini panno subtili applicetur: uel fiat inunctio cum hoc linimento, Recipe unguenti rosati Mesuæ ℥.i. olei uiolati, uel nenupharini ℥.s. misce & cum eo caput sæpe inungatur, uel sumatur succus lactucæ, & uiolarum an. partes æquales cum oleo rosaceo, & madefacto pano lini subtile sæpe capiti imponatur. quod si non dormierit inungantur tempora, & nares cum unguento populeone, & oleo nenupharino, fiantq; lotiones cruribus & brachiis, præsertim in maximo dolore hoc modo. Recipe florum uiolarum maluæ, lactucæ, salicis, foliorum nenupharis, corticum papaueris albi, radicum mandragoræ, ana m.ii. bulliant in aqua fontis, seu putei, cum qua decoctione modeste calida lauentur crura, & brachia: quoniam diuertit a capite, atque etiam caliditatem ustiuam remittit, somnumq; conciliat: fiant frictiones, cruribus, brachiis, & aliis partibus: apponantur cucurbitulæ cum scarificatione, & sine scarificatione ad diuertendum, uel deriuandum alio materiam: fiantq; clysteria, uel suppositoria ad educendam materiam per secessum: si uero fuerint alienationes, uel deliria, apponantur sanguisugæ post aures, uel aperiatur uena frontis uel narium: ita ut sanguis ad tolerantiam uirtutis egrediatur, & in similibus est ultimum & expertum remedium. quod si morbus frigidus, & a causa frigida fuerit cum materia, factis euacuationibus applicentur capiti medicinæ locales sic. Recipe olei chamæmelini,

De illis quæ ab extra corpori applicantur.

Capiti applicanda in calido affectu.

Vnguentum.

Vt somnus concilietur.

Lotiones.

Frictiones.

Cucurbitulæ.

Clysteria.

Ad delirium.

In affectu frigido.

Euacuationes.

liliorum, nardini, an.℥.s. stœchados puluerizati, maioranæ, ah. ℥.s. ceræ parum, misce. & cum eo caput inunge, prius tonsis capillis, uel fiat oxyrhodinũ hoc modo, Recipe olei chamæmelini unc.i. nardini, rosati an.unc.s. aceti unc.ii. misce & conquassentur simul, donec fiat optima, ut poterit permistio, cum quo unge caput, uel in eo panno lini infusio super caput calidum sæpe ponatur, uel fiat fomentum sic. Recipe florum betonicæ, stœcados, chamomillæ, calamenti, maioranæ. an.m.i.s. bulliãt in aqua communi, ex quo decocto, panno lineo in eo infuso, caput fomentetur: in omnibus istis addi potest aliquod calidius simplex ad uigorandam uirtutem, ut est ladanum, castoreum, euphorbium: quod non laudo nisi in casu desperatissimo: fieri etiam possunt uesicatoria super comissuram coronalem, cũ cantharidibus, & fermento hoc modo. Recipe cantharidum abscisis alis, & capite, drach.iii. fermenti unc.i. aceti quantum sufficit, fiat unguentum molle, & pone super locum. Fiunt præterea in antiquis doloribus cauteria super comissuram coronalem, quod est ultimum remedium: sed ante hæc fortiora remedia apponantur uentosæ sine scarificatione spatulis, prius factis frictionibus cruribus brachiis, & dorso: sunt tamen qui cum fomentis, sæpe capiti dolenti appositis dissoluunt materiam causantem dolorem, & malam temperaturam mutant hoc modo. Recipe milii, salis communis, an.m.ii. uini albi odoriferi, aquæ uitæ an. L.i. bulliant simul, & in eo panno lini infuso locus pluries in die fomentetur: & faciunt etiam sacculum ex sale, milio, & floribus chamomillæ, & mentha, & ponunt calidum super locum doloris: succus etiam menthæ solus, si sit in eo pannus lini sæpe infusus, & sæpe appositus, dolorem capitis a materia frigida sanat. In somni uero profunditate fiant odoramenta, & naribus applicentur hoc modo. Recipe serpylli, spicæ. an.m.s. bulliant in aceto, & naribus applicentur hoc modo. Recipe serpylli, spicæ, an.m.s. bulliant in aceto, & naribus calidum apponatur, in quo castorei portionem addere potes. Fiunt etiam caputpurgia & masticatoria: si quidẽ masticare mastichẽ mane, bonum est; cerebrum.n. mundificant a pituitosis superfluitatibus: masticatorium etiam facere potes ex seminibus stafisagriæ, mastiches, & cera simul permistis, uel si per nares attraheretur in hoc caputpurgium. Recipe succi blitis, maioranæ, an. partes æquales; usus etiam theriacæ, & Mithri-

Inunctiones. *Notandum.* *Vesicatoria.* *Cauteria.* *Fomenta.* *Sõni profundi cura per odoramenta.* *Masticatoria.* *Caputpurgia.*

datis, uel pleris arcotici utilis est in similibus, si fuerit; prosunt enim & membra omnia roborant. In dolore uero antiquo in illis, qui ad consueta munia exeunt ablutio capitis cum lixiuio, in quo hæc simplicia decocta sint, plurimum ualet.

Lixiuiũ ex decoctis medicinis.

Recipe stœchados, saluiæ, betonicæ, senæ, agarici, an. m. s. bulliant, & cum decocto caput ante cibum lauet. ualent etiam dictæ medicinæ ad uertiginem, uel scotomiam si fuerit antiqua.

Vertigini & scotomiæ cõferens.

Faucibus & gulæ in calidis conferentia.

Medicinæ locales faucibus & gulæ in calidis fluxionibus conueniunt, semper uiua cum butyro ad ignem calefacta, & exterius apposita: ualet etiam succus solatri, & si locus oleo uiolaceo ungatur, ualet tam in calida, q̃ in frigida materia, cassia fistularis dissoluta cum oleo rosato in calida, in frigida cum chamæmelino si exterius more emplastri applicetur: faciunt in calida gargarismata ex aqua hordei, & diamorone, uel uino granatorum, aut succo uuæ acerbæ, ualent mirabiliter albumina ouorum cum aqua rosacea confusorum, in frigida fiat ablutio, seu gargarizatio cum decocto hordei cum cortice, passularum, glycyrrhizæ, in quo oxymellitis portio ponatur.

Localia pectori admouenda.

Lambitiua.

Saponea.

Vnctiones.

Medicinæ locales, quæ pectoris dispositionibus opitulantur, secundum dispositionis diuersitatem in qualitatibus calidis, uel frigidis applicentur. In calida detur ad lambendum syrupus uiolatus cum aqua farfaræ, uel fiat decoctum ex iuiubis, hordeo, farfara, saccharo candido, ex quo sumatur lambendo sæpe; uel fiat saponea cum aqua florum uiolarum: et pectus hoc unguento inungatur. Recipe olei uiolati unc. i. amygdalarum dulcium, pinguedinis gallinæ recentis, butyri recentis, an. unc. s. misce, cum quo unge partes exteriores pectoris, uel ungatur cum unguento pectorali, quod ab Aromatariis præparari solet:

In causa frigida.

si uero dispositio à causa frigida fuerit, detur lambendo syrupus uiolatus compositus, de capillis Veneris: & ubi materia ualde crassa fuerit, detur syrupus de hyssopo, de prasio, & similis, loch sanum & expertum, uel de pino, fiat inunctio exterius hoc modo. Recipe olei amygdalarum dulcium, liliorum alborum, pinguedinis gallinæ, an. unc. i. mucilaginis althææ, seminum lini an. unc. s. misce.

Epithemata.

At si cum febre, uel sine febre cor patiatur, præparentur localia sic. & primo Epithema in causa calida, Recipe aquarum rosatæ, acetosæ, boraginis, an. unc. iiii. uini aromatici, aceti albi, an. unc. s. specierum cordialium temperatarum ʒ. i. s. coralliorum rubeorum, sandalo-

rum, an.drach.s.misce, & in eo infuso panno lineo ueteri uel serico purpureo, sæpe sub mamilla sinistra tepida applicetur: uel fiat unguentum hoc modo. Recipe olei rosati completi, nenupharini.an.unc.s.succi rosarum, buglossæ, nenupharis.. an.℥. iii.sandalorum rubeorum, coralliorum rubeorum, margaritarum, an.drach.s.specierum cordialium temperatarum drach.i.ceræ parum, misce, & fiat unguentum molle, cum quo sæpe sub mamilla sinistra tepido ungatur, uel fiat sacculus cordi conferens hoc modo. Recipe rosarum, uiolarum, nenupharis, labruscæ.an.drach.i.s. seminum acetosæ drach.ii. ossis ex corde cerui drach.i.sandalorum rubeorum citrinorum, an. drach.s. puluerizentur omnia, & ponantur in sacculo ex serico purpureo, & cordi applicetur, eo prius aliqualiter tepefacto aspersione aquæ rosatæ calidæ, & parum aceti permistæ; uel dentur electuaria cordi conferentia hoc modo. Recipe sacchari rosati, uiolati buglossati, boraginati.an.℥.i.fragmentorum de gemmis margaritarum, coralliorumr ubeorum præparatorum.an.drach.i.syrupi de acetositate citri unc.i.s.misce, & detur sæpe: quod si morbus diuturnus fuerit, uel ex alia causa cum febre, uel sine febre cor patiatur, Recipe aquarum melissæ, buglossæ, boraginis.an.℥.iiii. uini maluatici ℥.i.aceti unc.s.specierum diamusci.℈.i.macis, cinnamomi, garyophyllorum.an.℈.i. ligni aloes, croci an.℈.s. misce, & panno lineo in eo infuso tepida lateri sinistro sub mamilla applicetur, uel fiat unguentum sic, Recipe olei de spica, de ben.an.℥.s. seminum citri, ligni aloes, garyophyllorum. an.℈.s. succi melissæ drach.iii.ceræ parum, misce & fiat unguentum, cum quo calido unge sub mamilla sinistra sæpe, uel fiat sacculus hoc modo. Recipe florum boraginis, buglossæ, melissæ.an.℥.s. ben albi, & rubei. an.℈.ii.ossis de corde cerui, musci, ambræ. an.gr.iiii. puluerizentur, & fiat ex eis sacculus cum panno serico purpureo, ponaturque sub mamilla sinistra tepefactus cum aspersione uini maluatici & aquæ rosatæ. Interius uero dentur ut est confectio de gemmis, diamuscum dulce, aromaticum rosatum: uel fiat hoc electuarium, Recipe floris anthos cum saccharo conditorum, florum buglossæ, boraginis an.℥.s.specierum confectionis de gemmis, uel diamusci drach.i.syrupi de corticibus citri ℥.i.misce, & detur sæpe: & hæc satis de pectoris localibus remediis. Atque ad uentris inferioris remedia descendo, & à uentriculo incipiam; si igitur

Vnguentum.

Sacculus.

Electuaria.

Cōfectiones.

ſtomachus laborat mala diſpoſitione calida, & iam præceſſerunt euacuationes materiarum facientium, uel fouentium eam, fiat hæc inunctio. Recipe olei roſati completi ℥.i.myrtini ℥.s. ſucci roſarum drach.iii.coralliorum rubeorum præparatorum,ſandalorum roſarum, florum labruſcæ, coriandrorum præparatorum,an.drach.i.ceræ parum miſce, & fiat unguentum, cum quo regionem uentriculi ante cibum inungatur, uel utere unguento ſtomachali conſueto, uel fiat epithema hoc modo. Recipe roſarum rubearum,ſandalorum, cichorei, labruſcæ, coriandri, an.m.i.bulliant in aqua, & in eo decocto infuſo panno lini ſuper regionem uentriculi admoueatur. fiat etiam epithema ſic: Recipe ſucci roſarum puri, ſucci cichoreæ.an.℥.V.ſpecierum diarhodonis Abbatis drach.i.trium ſandalorum drac.s. coralliorum rubeorum.℈.ii.miſce, & cum panno lineo ut dictum eſt applicetur, uel fiat ſacculus ſic. Recipe roſarum rubearum,ſandalorum omnium, florum labruſcæ, coriandrorum præparatorum, an.drach.ii.puluerizentur, & ponantur in ſacculo lineo & ſtomacho applicetur, primo illum cum aſperſione aquæ roſaceæ calidæ calefacto: dentur etiam confectiones, ut eſt diarhodon Abbatis, diacytoniton, ſaccharum roſaceum, & ſimilia. ſi uero uentriculus ex cauſa frigida laborauerit ungatur cum oleo maſtichino & de abſinthio ſimul miſtis, uel præparetur oleum hoc modo. Recipe olei amygdalarum amararum ℥.iiii. uini aromatici ℥.iii.abſinthii minutim inciſi.m.i.cichorei m.s. bulliant ad conſumptionem uini, & facta colatura regio ſtomachi inungatur:uel hoc linimento, Recipe olei de abſinthio, maſtichini,de mentha,de ſpica,an.℥.s.ſpecierum aromatici roſati drach.i. garyophyllorum, cinnamomi, macis, an.℈.i. ceræ parum, miſce & fiat unguentum. uel fiat fomentum hoc modo. Recipe abſinthii,menthæ pulegii,an.m.s.ſpicæ,ſchœnanthi, galangæ, calami aromatici,an.drach.i. gariophyllorum drach.s. coriandrorum ℥.iii.bulliant in aqua fontis cum quarta parte uini montani ſtyptici,& cum panno, uel ſpongia in eo infuſa calida ſtomacho admoueatur, uel ponatur decoctum in ueſica calidum & ſuper uentriculum teneatur, uel fiat ſacculus hoc modo. Recipe menthæ abſinthii, betonicæ, pulegii,an.℥.s.ſpecierum diagalangæ,gariophyllorum,nucis muſcatæ,an.drach.i.s.miſce, & piſtentur omnia, & ponatur in ſacculo lini, & ſtomacho, cum aſperſione uini aro-

Pro ſtomacho Inunctiones.

Epithemata.

Sacculus.

Cõfectiones in materia calida.

ni aromatici calidi, calefacto, apponatur; intus uero exhibeas ante cibum per aliquot horas aromaticum rosatum, diagalanga, diatrion pipereon, pliris arcoticum diamuscum, uel confectionem, sic. Recipe conseruæ florum rorismarini ex saccharo, corticum cytoniorum conditorum, zingiberis conditi. an.℥.i. fiat ex eis mistura cum syrupo de corticibus citri, & exhibeatur ante cibum, & in ultima imbecillitate detur mithridatica confectio, uel theriaca, à drach.s. usque ad unam. Cum uero in iocinore affectus præter naturam fuerint, & factæ fuerint euacuationes tam per secessum q̃ per uenæ sectionem, medicinæ locales sint istæ: primo in discrasia calida, Recipe olei rosati completi.℥.i. specierum diatriumsandalorum drach.i.s. ceræ parum, misce, & fiat linimentum, cum quo regionem iocinoris in parte dextera sub costis mendosis, siue spuriis inunges: uel fiat hoc, Recipe olei rosati completi, nenupharini, an.℥.i. succi cichorei ℥.s. aceti ʒ.ii. rosarum rubearum pulerizatarum, spodii, sandalorum, an.℈.ii. camphoræ, gr.ii. ceræ parum, misce, & fiat unguentum: uel utere unguento, siue ceroto sandalino domini Mesuæ, uel unguento rosaceo ipsius, uel hoc emplastro, quod longo usu plurimum comprobatum uidimus, Recipe sandalorum rub. alborum, an. ʒ.iiii. rosarum rubearum ℥.i.s. menthæ, absinthii an.ʒ.ii. farinæ hordei ℥.ii.s. uini granatorum.q.s. misce & fiat emplastrum, fiat etiã epithema, uel fomentum hoc modo, Recipe endiuiæ, cichorei, rosarum rubearum an.m.s. sandalorum rubeorum ʒ.ii. bulliant in aqua communi, & infuso in eo pãno lineo sæpe tepido, & non calido apponatur, uel fiat epithema sic. Recipe succi endiuiæ, cichorei, acetosæ, rosarum puri, hepaticæ, an.℥.v. aceti ℥.i. specierum triumsandalorum ʒ.ii. spodii ʒ.i. misce, & administretur ut supra. hoc epithema plurimum ualet in febribus ardentibus ad remittendam hepatis inflammationem, uel fiat sacculus hoc modo. Recipe rosarum rubearum, nenupharis, an.ʒ.ii. sandalorum rubeorum, citrinorum, coralliorum rubeorum, an.ʒ.i.s. berberorum, florum labruscæ spodii, an.ʒ.i. misce, & pulerizentur, fiatq́ ex eis sacculus & hepatis regioni admoueatur, prius per aspersionem aquæ rosaceæ & parum aceti tepefactus. Interius uero dentur, ut est saccharum rosaceum, confectio trium sandalorum, trochisci de spodio, de berberis, & similes, uel fiat electuarium sic. Recipe sacchari rosati ℥.i. uiolati ℥.s. trochiscorum

Confectiones in materia frigida.

Localia pro iocinore.

Electuarium.

de spodio ʒ.i.syrupi de cichorio simplicis ℥.s.misce, & detur saepe, sed in dispositione hepatis frigida procedatur sic: Recipe olei de absinthio, rosati completi, an.℥.i.specierum trium sandalorum, specierum dialaccae, an.ʒ.i.succi cichorei ʒ.s.aceti ʒ.ii. cerae parum, misce, & fiat unguentum, locumq́; uel hepatis regionem cum eo tepido ungatur: uel cum isto, Recipe olei rosati completi ℥.i.de absinthio ℥.s.misce, uel fiat hoc, Recipe olei de absinthio, de spica, rosati completi an.unc.s.cinnamomi garyophyllorum, spicae an.℈.i.cerae parum, misce, & fiat unguentum; uel fiat fomentum sic, Recipe absinthii, eupatorii scolopendriae, an. manip. medium, foeniculi, anisorum, cinnamomi, spicae, schoenanthi, an.drach.i.misce, & aqua communi omnia decocta, cum ea tepida hepar fomentetur: potes etiam uti saccharo hoc modo praeparato. Recipe absinthii, eupatorii, rosarum, an. m.s.seminum foeniculi, anisorum, an.drach.i.s.spicae, squinanthi, cinnamomi, garyophyllorum, an. drach.s.misce: & contusis ponantur in sacculo, & hepati admoueantur, prius tamen cum uino odorifero, & parum aquae rosaceae per aspersionem, uel suffitum tepefacto. Interim uero assumat confectionem diagalangae, aut dialaccae, uel diacalamenti, uel diacurcumae, diacymini & similes. Scito tamen q́ frequens usus syrupi de cichorio cum rhabarbaro & de absinthio simul mistis plurimum & usu est in dispositionibus splenis, quoniam ut plurimum frigidae sunt, raro calidae sic procedes: si splen inflammationem aliquam aliqua ex causa patiatur, factis uniuersalibus purgationibus, missoq́; sanguine ab eodem latere sinistro, locus ungatur hoc linimento.

Confectiones.

De splenis dispositionum cura.

Linimentum.

Recipe olei rosati completi unc.i.de absinthio unc.s.cerae parum, misce, & fiat unguentum: quod si inflammatio maxima fuerit, unge locum cum unguento rosato Mesuae: fiatq́; fomentum hoc modo, Recipe cichorii boraginis, absinthii, an.m.s. seminum endiuiae, scariolae, an.unc.s.bulliant in aqua communi, & locus fomentetur, fumanturq́; confectiones per os modeste refrigerantes, ut est diarodon abbatis, & similes. In dispositione autem frigida sic cum localibus procedatur. Recipe olei de capparibus, liliorum alborum, an.unc.i.de spica, pinguedinis gallinae an.unc.s.florum tamarisci, scolopendriae, an ℈.ii.seminum agni casti, foeniculi, bdellii, ammoniaci, an.drach.i.puluerizentur, atque in aceto dissoluantur, & ex eis fiat linimentum,

Confectiones.

& unge regionem splenis sub costis mendosis in sinistro latere: uel utere unguento pro splene: quod communiter ab aromatariis præparatur, fiantq; fomenta etiam hoc modo. Recipe absinthii, scolopendriæ, parietariæ, tamarisci, menthastri, florum althææ, maluæ an. m. i. bulliant in aqua communi, & parum aceti, & cum eo locus fomentetur: uel fiat emplastrum sic. Recipe farinæ. s. lini, fœnugræci, an. ℥. i. florum chamomillæ. m. s. radicum capparum, tamarisci, an. ℥. s. hyssopi humidæ ℥. i. ireos drach. ii. decoctionis radicum althææ quãtum sufficit, fiat ex eis emplastrũ cui adde olei de capparibus, liliorũ alborum amygdalarum amarum, an. ℥. s. pinguedinis gallinæ ℥. i. uitelli ouorum num. i. conquassentur omnia, & miscendo cum emplastro incorporentur, & super locum ponatur, uel fiat sacculus sic. Recipe florum scolopendriæ, tamarisci, menthastri, rutæ, calamenti, parietariæ, absinthii, an. m. i. contundantur, & simul misceantur, fiatq; ex eis sacculus: Interius sumat diacalamentum, dialacca, trochiscos de capparibus, diacyminum, & similia. Si uero renes, & uesica & membra cum eis communicantia laborauerint, eis sic localibus medicinis succurres, secundum affectus, & causarum diuersitatem. Siquidem si morbus, uel causa calida fuerit, puta dolor, aut inflammatio: post regimen, & purgationes cum medicinis localibus sic procedes. Recipe olei uiolati, rosati, nenupharini, lactis mulieris, an. ℥. i. misce, & unge partes dorsales, uel madefacto panno lineo desuper ponatur, uel cum unguento infrigidante Galeni inunge, aut cum unguento rosato Mesuæ: hæc eadem remedia faciunt ad ardorem urinæ. In uehementissimo dolore fiat hoc emplastrum. Recipe farinæ hordei, seminum maluæ an. ℥. i. decoctionis foliorum uiolarum, & nenupharis quãtum sufficit, & fiat emplastrum, & in fine adde uitellorum oui num. ii. olei uiolati ℥. ii. & loco super calefacto, uel doloroso apponatur. Intus uero sumatur syrupus de papauere de glycyrrhiza, diacodion, & similes, uel trochisci de alchachengi, uel fiat mistura hoc modo. Recipe sacchari boraginati, uiolati, buglossi, syrupi de papauere, an. ℥. i. misce, & fiat mistura, & sumat sæpe in dies. Si uero renes ex plurima materia crassa in eis retenta, uel ex alia causa tali morbo laborauerint, localia remedia sint illa, quæ eam contemperare, atque præparare possint, ut facilius expurgari possit, & renes roborare ualeant. Etenim si do-

Vnguentum. Fomẽta. Emplastrum. Sacculus. Confectiones. De renũ affectorũ cura per exteriora. Interiora. In materia crassa.

lor à materia crassa, uel lapillis in renibus, uel meatibus urinariis aut uesica existentibus fuerit, ungantur partes dorsi, ubi renes suppositæ sunt hoc linimento. Recipe olei de scorpionibus, pinguedinis gallinæ an.℥.i.misce, uel ungatur cum olei de capparibus: quoniam mirum in modum succurrit, facitq́; ad materiæ incisionem, & egressum per uiam urinæ: uel ungantur cum isto, Recipe olei de scorpionibus, amygdalarum amararum, de spica, an.℥.i. ceræ parum, misce, & fiat unguentum, & locum dolorosum inunge, siue fuerit dorsum, siue circa partes suminis, & colli uesicæ: quoniam plurimum ualet, uel fiat embrochatio sic. Recipe parietariæ, petroselini, artemisiæ, saxifragiæ, agrimoniæ, chamomillæ althææ an.m.i.bulliant, & cum dicta decoctione locus fomentetur: uel fiat emplastrum tale, Recipe farinæ fœnugræci, de seminibus lini, florum chamomillæ, seminum fœniculi, anisorum, agrimonii, omnia puluerizentur, & cum decoctione radicum althææ fiat emplastrum: ponecq́; super locum doloris ubicunque ille fuerit, siue in uesica, uel alio loco. in retentione urinæ moderni solent desuper, uidelicet per os exhibere oleũ amygdalarum amararum usque ad ℥.vii.cum pilulis de aloe, uel detur Iustinum Nicolai, uel lithon tripton, aut sanguis hyrci ex arte præparatus. Et in ultima disperatione ponunt per meatum uirgæ syringam, aut candelam ingredientem uesicam, uel faciunt, ex superius dictis herbis, floribus & seminibus balneum in quo iubent ægrum sedere ad umbilicum usque: desuper etiam dant diacurcuma, dialacca, & similes. In mulieribus uero præter plurimas dictas dispositiones uteri non paucæ fiunt dispositiones, ut sunt mensium retentiones, expurgationes, & nimius sæpe eorum fluxus, atque euacuationes materierum albarum: apostemata, ulcera, præfocationes, dolores, & similes. Si itaque menstrua retenta fuerint ex aliqua causa calida, ut fit in febribus, fiant cruribus frictiones, & coxis; ponanturq́; cucurbitulæ inter coxas cum scarificatione, & etiam sub poplite, ungaturq́; sumen hoc linimento, Recipe olei uiolati, nenupharini, lactis mulieris, pinguedinis gallinæ an.℥.i. misce; unge sumen, & intra uuluam: uel unge cum pinguedine gallinæ, anatis, & oleo liliorum, & uiolarum: quoniam temperata prosunt, frigida plurimum nocent: uel fiat fomentum ex decocto foliorum maluæ, uiolarum, en-

Vesica.

De cura mẽstruorum retentorũ.

diuiæ, hordei, alchachengi, & artemisiæ, bulliant in aqua, & somentetur uulua usque ad sumen, uel fiant clysteria ex decocto foliorum maluæ, nenupharis, endiuiæ, cichorii, artemisiæ: ex quo decocto, Recipe libram unam olei uiolati, amygdalarum dulcium, an. ℥.i.s. cassiæ pro clystere ℥.i. uitellum oui numero i. misce, & imponatur: quoniam dum in intestinis morabitur, faciet ad remittendam caliditatem matricis, & ad aperiendum orificium uenarum ipsas molliendo. At si nimius sanguinis fluxus ex caliditate subtiliante fuerit, præter regimen infrigidantem, & inspissantem, apponantur uentosæ sub mamillis sine scarificatione, fiant ligaturæ, seu strictoria brachii, & unctiones dorso cum unguento de corticibus castanearum, & oleo rosato omphacino: dentur confectiones ex sandalis: & si nimium exuperauerit dentur pilulæ de bdellio, sic. Recipe pilularum de bdellio. ʒ.i. fiant pilulæ tres, & dentur quinque horis ante cibum, uel detur ʒ.i. trochiscorum de charabe, & in ultima menstruorum fluxione cum cetera non iuuant detur drach.i. philonii Persici. Est enim singulare, & ultimum remedium, similiter in cursu matricis, in quo plurima materia acris acutè rodens, & dolorem faciens, fiant ligaturæ, & apponantur uentosæ præsupposito regimine infrigidante, & inspissante: ungatur dorsum cum unguento belegno, in quo addatur oleum rosatum, & lac mulieris, denturq; ad diuertendum, uel deriuandum prouocantia urinam leuia, ut est endiuia, cichorium, semina melonum, cucurbitæ, & cucumeris, ungatur locus uuluæ cum hoc linimento. Recipe olei rosati, lactis mulieris, an. unc.i. uitelli oui num.i. misce, & fiat linimentum: in apostematibus, & inflammationibus optimum est lenire locum cum oleis refrigerantibus, ut est oleum rosatum, uiolatum, de nenuphare, & similia. Si uero fuerint præfocationes ex retentione seminis, ut sæpe mulieribus contingit, fiant frictiones cruribus, & coxis: apponanturq; uentosæ sub poplitibus, uel inter coxas, liganturq; odorifera propè uuluam: uel fiat talis inunctio uuluæ. Recipe galliæ muscatæ, aliptæ muscatæ, an. drac. i. olei sambacini. ʒ.i. misce & fiat linimentum in mortario: uel fiat hastale, uel suppositorium, & in uuluam imponatur, hoc modo. Recipe radicis mercurialis crassæ, ad longitudinem unius digiti, deinde cum oleo liliorum alborum, in quo dissoluta sit drach.i. galliæ muscatæ, inungatur, & in uuluam imponatur, uel

De cura nimij fluxus menstruorū.

In apostematibus.

fiat hoc. Recipe specierum galliæ muscatæ, aliptæ muscatæ, an.drach.i.ladani drach.iii.fiant ex eis suppositoria, & filo appendantur, & in uuluam imitantur, fiatq; frequens inunctio cum oleo liliorum alborum, sambacino uel rutaceo: quoniam non solum facit ad corrigendam malam temperiem frigidam uteri, uerum etiam aperit eius oppilationes, mensesq; prouocat: localia etiam remedia hoc modo fieri possunt, uidelicet accipiendo cotonem, & ex eo facere uelut glandem oblongam, quam postea madefacies in hoc linimento. Recipe olei sambacini, nardini, liliorum alborum, an.unc.i.ceræ parum, misce, & illinito suppositorio in uuluam imponatur: potes etiam hoc alio linimento idem facere. Recipe succi mercurialis ℥.i.cucumeris asinini ℥.s.ficuum pinguium tritorum drach.iii. radicum gentianæ ℈.ii.rubeæ tinctorum drach.ii.misce, cum quo inunge suppositorium, ut supra, uel fiat hoc linimentum, Recipe galliæ muscatæ drach.i.s.olei sambacini.℥.i.misce, & fiat linimentum, cum quo os uteri ungatur: caue tamen odoratas has medicinas ad nares admouere, quoniam plurimum nocent, admoueantur autem fœtida, & male olentia, ut est castoreum, & Asa fœtida, per os detur diagalanga, uel pilulæ de asa fœtida, uel de galbano una uel plures, hoc modo. Recipe galbanæ.℈.i.fiat pilula una, & detur mulieri præfocatæ, uel sic. Recipe asæ fœtidæ ℈.i. fiat pilula una, & detur: uel fiant pilulæ hoc modo. Recipe asæ fœtidæ castorei, seminum pæoniæ, an.℈.i. fiant ex eis pilulæ cum aqua matricariæ. uel fiant istæ. Recipe galbani, castorei, an.℈.i.semi num pæoniæ.℈.s.fiant pilulæ cum aqua matricariæ, & detur ob noxiis præfocationibus, & etiam præfocatis. Superest modo ut ad localia extremarum partium remedia sermonem conuertam: & quibus remediis articulis laborantibus succurrere possis scribam: et quoniam aliquando à mala temperie calida, & aliquando frigida læduntur, si à calida, quæ cognoscitur per loci ruborem, & dolorem acutum, remedia sic ordinantur. Recipe olei rosati, uiolati, an.℥.i.uitelli oui nu.i.misce, & madefacto panno lini in eo, loco doloroso sæpe apponatur: uel fiat hoc linimentum. Recipe olei rosati, uiolati, mucilaginis psilii, an.℥.s.butyri recentis ℥.i.misce, & unge locum doloris, uel unge cum unguento rosato Mesuæ, uel fiat fomentum hoc modo. Recipe florum rosarum, uiolarum, nenupharis, solatri, salicis, uitis al-

Odorata pro naribus uitanda.

De localibus pro articulis.

bæ, myrtillorum,an.m.i.misce,bulliant in aqua communi, cum quo decocto locus fomentetur,infusa in eo uel spongia, uel aliqua alia re:caue tamen ne ex applicatione rerum calidarum meatus aperias, & maior pars materiæ ex hoc descendat,uel ne forte subtilem materiam resoluas, & crassa remaneat,& inde fiat diuturnior morbus:potes tamen in dolore uehementi facere emplastrum ex farina hordei cum decoctione rosarum, & maluæ, uel fiat ex mica panis, & lacte emplastrum cum oleo rosaceo, & loco dolenti apponere. Sed si dolores a mala qualitate frigida fuerint,fiant in primis illinitiones hoc modo. Recipe olei chamæmelini,amygdalarum dulcium,an.℥.i.uitelli oui num.i.misce, & locus inungatur,uel cum oleo de lilio, uel cum oleo de iunipero,aut cum oleo uulpino,uel de terebinthina:ista omnia mirabiliter prosunt in doloribus frigidis:possunt etiam fieri emplastra dolorem leuantia hoc modo. Recipe farinæ fœnugræci, de semine lini,florum chamomillæ, stœchados, saluiæ, an.℥.ii. fiat ex eis emplastrum cum decocto radicis althææ, & betonicæ, & super locum ponere,uel fiat hoc. Recipe stœchados, saluiæ, rosmarini, menthastri, pulegii, chamomillæ, meliloti, an. m.s. seminũ fœnugræci fœniculi,anisorum,an.℥.s. aquæ communis quantum satis sit pro decoctione,& fiat decoctio, cum qua loca dolorosa lauentur; uel fiat emplastrum ex furfuribus farinæ in uino dulci, & ponatur super locum, sumatq; per os aliquando terebinthinam Cypriam, uel nostratem, & decoctionem stœchados, & eius syrupum; uel sumat theriacam, & mithridatum, quoniam iuncturis prosunt, & neruorum morbis: prodet etiam in utraque materia tam calida, q̃ frigida in principio, & plurimum dolores mitigat inunctio loci cum oleo mustellino, quod sic præparatur. Recipe mustellam uiuentem, & pone eam in oleo communi & bulliat ad perfectam coctionem cum quo loca dolorosa inunge. Reliquum est autem ut de auxiliis extremarum partium, & cutanei pruritus, scabiei,& aliorum remediis dicamus, in quibus localia auxilia ut sunt linimenta, quæ non sine discrimine admonentur, nisi prius corpus ab excrementis communibus expurgentur,quo facto tuto possunt cucurbitulæ locis pruriginosis, & scabiosis apponi,atque illis scarificatis sanguinem malum ab illis partibus euacuare,deinde loca scabiosa illinire: prius tamen tali fomento loca humectabis: Recipe foliorum maluæ,

De cura cutis affectæ.

uiolarum, hæpaticæ, acetosæ, scabiosæ fumi terræ, an. m. i. bulliant in aqua dulci, cum qua lauentur loca scabiosa, deinde inungantur hoc linimento. Recipe terebinthinæ, & butyri lotorum in decoctione foliorum maluæ, an. ℥. iii. olei rosati completi unc. i. s. radicum lapathi, acuti, hellebori nigri, chelidoniæ, an. unc. i. puluerizatis puluerizandis ponantur omnia in mortario, & pistillo subiugentur ad perfectam permistionem, & in fine miscendo adde lithargyri. ℥. v. cerussæ. ℥. ii. styracis liquidæ unc. i. & fiat linimentum, ualet etiam linimentum hoc. Recipe butyri loti in decoctione maluæ ℥. iiii. cerussæ, sulphuris optime puluerizati, an. ℥. i. fucci limonum ℥. i. s. misce, donec omnia perfecte incorporentur, & unge loca scabiosa; ualet etiam linimentum ex sulphure, & oleo rosaceo, & est secura illinitio: si uero scabies antiqua fuerit, prius applicitis cucurbitulis post purgationem corporis, hoc decocto membra lauentur. Recipe fumi terræ, scabiosæ, gallithrici, polithryci, capillorum Veneris, maluæ, hordei cum suo cortice, epithymi, an. m. i. bulliant in aqua fontis, cum qua lauentur membra. scabiosa, deinde loca inungantur hoc linimento. Recipe pinguedinis porcinæ, butyri, terebinthinæ, olei amygdalarum amararum, an. ℥. ii. bulliant simul in aqua, ut omnia liquefiant: deinde congelari dimittantur, & accipe illam sic congelatam pinguedinem, cui adde. Recipe lithargyrii aurei ℥. s. cerussæ drach. iii. styracis liquidæ ℥. i. salis communis ℥. i. s. misce omnia, & in mortario posita, pistello subiugentur, donec recipiant perfectam mistionem, & ad formam linimenti redigantur, cum quo loca scabiosa ungere poteris: sed mirabile remedium, & omnibus pruritibus, & scabiei speciebus conueniens est illinitio cum oleo rosaceo, & sulfure simul permistis. Hactenus mi Laurenti existimo nostram orationem de modo administrandorum medicamentorum diuersos humores minorantium, digerentium, & eradicatiue purgantium, atque de localibus remediis, in particularibus membris, morbis conuenientibus recte processisse, ut te ad particularium morborum curandorum methodum introducere meis etiam laboribus possis. Vale, etiam atque etiam uale. Venetiis, M D L I I I.

AD

AD LAVRENTIVM PRIOLVM SERENISSIMUM Venetorum Principem,

EPIST. III.



T SI luculenter & docte à uiris quidem doctissimis plurima de intybis, siue cichoraceis scripta sint, Serenissime Princeps, non propterea temeritati, aut impudentiæ (si de eisdem tuæ Serenitati scripsero) mihi adscribere uelim. Equidem complures de hoc olere diuersa scribentes uidi, cum uarii uaria pro suo palato exponant; mihi quoque inter tot sapientes de eisdem oleribus breuius, & castigatius, ut tuæ Serenitati rem gratam facerem, commentari liceat; Neque unquam ullis potero persuaderi rationibus breuem methodum non esse magis probandam (dummodo nulla dicendi obscuritate affecta sit) q̃ prolixiorem, & multis laboribus ad legendum pro eius intellectu minus necessariis: præsertim cum tua Serenitas altissimis Reipub. rebus assiduè intenta, & sine ulla temporis intermissione operam nauet, ad hunc quidem iocundissimum laborem Laurentius Massa nepos, dum corpore affecto, his diebus transactis, in lectulo iacerem, me inuitauit: cum cichoreorum uires, ac usum te scire, summopere desiderare ei significasses, ut & uentriculi, & iecinoris affectui ex eius usu hic cibus auxilio, & medicinæ esset: cum alioquin à medicinis, & pharmacis seplasiariorum semper alienus fueris ob diuersarum rerum in illis permistionem, ac etiam quoniam eis minime consueuisti. quare his omnibus de causis, & ut omnis legendi labor tollatur, atque medicinæ exhibendæ molestia, hæc tibi illustrissime Princeps scribere uolui, dimittens superflua, necessaria tantum attingens, ut breuiori labore ex breui, & dearticulata lectione melius, dimissis medicamentosis medicinis, huius cibi administratione, seu usu, corporis saluti tutius, ac facilius consuleres, ac ut diu nobis dux, protector, & Princeps fœliciter præsis. At ut res breuibus expediri possit, statui in primis quæ & quot sint species cichorei declarare, deinde earum operationes, uires, & proprietates enumerare: postremo quibus præparationibus ad cibi usum (ut dictis affectibus conferant) præparari debent. A' Dioscoride tanquam a princi-

pe, & ab illo, cui omnis posteritas sapientum credidit, incipiam: Qui in primis libro secundo de medica materia, ubi de intybis & cichoreis tractat primo cicerbitam, seu sonchon asperam describit, sic dicens. Sonchi asperæ, quam aliqui cichoreum uocant, duo sunt genera, Syluestre magis spinis horret, alterum tenuitate quadam mollescit, quæ in cibis magis grata est. descripsit etiam tertiam speciem, & arboream scilicet, quam expertissimi omnes nostri temporis herbarii, & scriptores ignorant. Sequenti quoque capite ubi intubum, & serim describit, sic iam declarat, Seris quam Romani intybum appellant, duo sunt genera, altera syluestris, quæ picris, & cichoreum uocatur; altera satiua latioribus foliis constat, uentriculo quàm hortensis utilior: quæ iterum in duas species partitur, una latiore folio prodit lactucarum simillima; & est illa (mea quidem sententia) quã uulgo endiuiam uocant; angustiore est folio amarulenta. Eodem etiam libro capite de Condrilla sic ait, Condrilla, quam aliqui cichoreum appellant, caulem, florem, & folia habet cichoreo similia; qua ex causa nonnulli syluestris intubi speciem esse dicunt. uerum tenuior tota est, in cuius ramulis gummi mastiches simillimum tuberculo fabæ inueniri solet. & paulo post sic scribit, Aliud habetur Condrillæ genus folium gerens oblongum, circumrosum, humi sparsum & reliqua; nascitur in pinguibus & cultis locis: præterea libro tertio capite de Hieracio, ipsum his uerbis descripsit, Hieracium magnum, alii Sonchitem, Romani lactucam erraticam uocant; & sequenti capite, quod de Hieracio paruo inscribitur, sic ipsum declarat, Hieracium paruum, Romani intybum syluestre nominant, folia ex interuallis habet diuisa &c. Hæ sunt intyborum species & quæ de intubis & cichoraceis à Dioscoride descripta sunt, quæ numero decem sunt, temperatura, uirtutes, & propriæ operationes non dissimiles ab ipso describuntur: quippe cum omnes temperiem frigidam & siccam habeant, ita ut aliquo modo modestè refrigerent, modestèq; adstringant, cum eorum substantia teste Galeno octauo simpliciũ medicamentorum à prædominio constet ex aqueis & terreis partibus, non tamen caret aliqua leui caliditate; quam temperiem etiam octauo de medicinis secundum locos, & in aliis etiam locis confirmat; & quanquam tot ab antiquis scriptoribus species intuborum & cichoraceorum olerum descriptæ sint, omnes tamen

ut dixi moderatè refrigerant & exficcant in primo non transientes secundum; agrestes tamen minus refrigerant, sed magis adstringunt, satiuæ uero gratiores gustui sunt, cum minus etiam amaritudinis habeant. omnes uentriculo æstuanti & rosionibus laboranti cibus & medicina singularis sunt, prosunt etiam cardiacis passionibus, tam bibitæ, quàm exterius more emplastri appositæ, uel si exterius partes illiniantur; podagra laborantes iuuãt; urinamq; cum melle bibita prouocant, & etiam cum uino permista; ac etiam oculorum inflammationibus auxiliatur; sunt quoque puncturis scorpionum & uiperarum medicina singularis si bibantur, & etiam si exterius locus affectus fuerit illinitus: earum succus per se, uel herba ipsa ex uino decocta aluum nimium fluẽtem sistit; febrium biliosarum calorem mitigant, præsertim domesticæ; obstructiones etiam reserant, & uiscera roborant, atque orificia uenarum tergunt; nec sua refrigeratione frigidis affectibus nimium officiunt, ut cætera quæ frigida & humida sunt sine adstrictione.

Nascuntur intybi & cichoracei iam dicti passim in campestribus agris ac etiam cultis & domesticis hortis, & ideo rectè diuisionem quidam fecerunt, dicentes, intybi & cichoracei quidam sunt agrestes & quidam satiui; & satiui agrestioribus gratiores gustui sunt, cum minus amari sint, ut paulò ante dicebam. possem equidem plura alia ab eminentissimis medicis Græcis scripta dictis addere, quæ cum nihil possint claritatis, uel utilitatis dictis afferre dimitto, & quæ de cichoreo quidam docti Arabes, ut fuit Serapio, dixerunt, examinabo. Serapio igitur in libro, quem de simplicibus medicinis & plantis scripsit cap. cxliii. quod caput de endiuia & speciebus eius inscribitur, sic scripsit Dundube, idest endiuia, huius duæ sunt species domestica & syluestris, domestica uero est Scariola, syluestris autem taraxacon dicitur, est & tertia species, quæ candarel dicitur, est amiron; & iterum diuidens domesticam sic ait, sed scariolæ duæ sunt species, una quarum assimilatur lactucæ habens folia lata, altera uero folia strictiora; & taraxacon habet folia latiora magis quàm domestica; candarel uero, assimilatur endiuiæ syluestri, & propterea dicitur esse species eius; & supra ramos ipsius reperitur gummi simile mastichæ ad quantitatem fabæ. est & alia species ex iam dicta candarel habens folia ueluti incisa, & reliqua. & paulo post dicit omnes istæ spe-

cies tam agrestis,q̃ domesticæ sunt stipticæ & refrigeratiuæ bonæ stomacho,quoniam quando coquuntur conferunt debilitati ipsius;& quando fit cum aliqua ex eis sola uel cum sauic, seu ex hordeacea,aut tritici farina polenta sedat stomachi inflammationem,confert etiam cardiacis,podagricis, & calidis apostematibus oculorum,atque etiam scorpionis puncturæ,& erysipelati, & reliqua.ex quibus colligi potest est intyború, uel cichorii,seu scariolæ plurimas species esse & easdem habere temperies uirtutes & proprias operationes,quas Dioscorides & Galenus eis attribuũt, & quæ Serapio in capite de endiuia & eius speciebus scripsit de intybis & cichoreis ; quæ possunt ex Auicennæ in primis dictis secundo canonis capite de taraxacon roborari, ac etiam ex Isaac, qui libro dietarum particularum ex enumeratione uirtutum endiuiæ præsertim syluestris, quam procul omni dubio cichorei speciem esse affirmo:quas uirtutes & operationes proprias etiam secundo practicæ enumerauit quæ dictis conformes sunt. easdem uirtutes enumerauit doctissimus Auerrois quinto Colliget de syluestri endiuia,quæ ut dixi,cichorei seu intubi species certé est, habentes iam dictas uirtutes,sanat enim tam uentriculi q̃ iecinoris affectus calidos á tota substantia,ut aiunt medici,& quoque sua moderata temperatura frigidis horum membrorum affectibus non nocet.huius etiam sententiæ fuerunt Latini illustres nõ pauci ut Plinius & Cornelius Celsus libro secundo cap. de his quæ stomacho idonea sunt.Visis itaq; speciebus cichorei tam ex Græcorum q̃ Arabum & Latinorum sententia, uisis etiam uirtutibus & propriis operationibus, reliquum est modum præparationis tam cibi,q̃ medicaminis ex cichoraceis factis subscribere, si prius quædam animaduertero,uidelicet cichorea, quæ passim uenduntur,intubi tam satiui,q̃ syluestris esse species,ut omnes docti omnesq́ herbarii ac pariter uulgares affirmãt.inter quas eam , quam omnes endiuiam uocant reponendam esse censeo; in syluestri tamen medicamentosas facultates ualentiores esse omnes affirmãt, ut superius meminimus.Cichoreorum itaque tam herbæ , q̃ radices diuersis temporibus comedũtur,nam in uere & æstate ut plurimum multitudo uulgarium hominum crudam herbam, multi etiam coctam comedunt , in autumno & hyeme radices coctas edunt cum sale,oleo,& aceto præparatas; sunt etiam qui folia his temporibus cocta comedunt,secundum palati diuersitatem,& ci-

uitatum seu locorum mores.laudo equidem semper eas coqui,siue satiua,siue syluestris, siue folia, siue radices fuerint; & melior modus præparationis tempore ueris antequam adoleant,cum adhuc tenellæ sunt,est ut prius lotæ & aspersæ sale,& oleo dulci superfuso optimè permisceantur,mox acetum infundatur,& in prima mensa comedantur;uerū si elixæ fuerint & sale,& oleo aspersæ ac simul cōmistæ,& deinde aceto madefactæ facilioris coctionis erunt; in hyeme uero radices magis ex usu sunt, atque gratiores gustui;parantur primum lotione & extractione medullæ ligneæ & duræ; quæ sic lotæ & incisæ bulliant in aqua donec molles reddantur,deinde cum sale,oleo,& aceto permistæ,aspersa desuper sacchari puluerizati portione ad comedentis gustum. Vno & alio modo ad comedendum præparata uentriculo supercalefacto prosunt & uires oris ipsius sua leui stipticitate roborant, atq; etiam uniuersa intestina.ex quo fit quòd laborantibus difficultate intestinorum(dysenteriam Græci dicunt)eius usus plurimum auxilietur;prodest etiam ut dixi iecinori supercalefacto, & renibus etiam;præsertim si cum aceto passulæ decoquantur & simul comedantur,prouocat enim urinam; potest tamen loco passularum portio defruti (sapam & uinum decoctum uocant)cum aceto permisceri, & ubi timor fuerit,ne refrigeratio nimia noceat, pulueris cinnamomi portio superaspergatur; sic nanque plurimum proderit, obstructiones tam iecinoris, q̃ lienis & aliorum uiscerum aperiendo, & optimè tergendo; nam cichorium cum amaritudinis alicuius particeps sit, ideo uim tergendi & aperiendi orificia uenarum meseraicarum habet comestum. confert etiā uenenis tam scorpionum q̃ uiperæ; & est etiam febribus ardentibus & pestiferis singularis medicina; sunt qui etiam cum liquamine seu porcina pinguedine cichorium præparent,quam minimè laudo,cum omnia pinguia uentriculo noceant; sunt & qui acetum ex melle decoctum cum oleo & sale super decocto cichorio ponunt, qui modus præparationis plurimum placet; præsertim si in uentriculo pituita lenta sit, tergit etenim, & pituitam incidit.Quod si etiam more ferculi ex iure decoctum sit & comestum absque iam dicta ex sale,oleo,& aceto præparatione non sine insigni utilitate in iam dictis affectibus erit.Vnum tamen animaduertendum censeo ne nimis adulta & iam in herbaceam molem deuenta comedatur,cum nimium uentriculum defatiget & ma-

lum ſuccum generet. Quibus uero aliis morbis cichorium opitu-letur dicere non laborabo. Hæc itaque dicta Sereniſsime Princeps ſatis ſint ab homine ſene & ualetudinario domi manente, de inty borum & cichoraceorum ſpeciebus, uirtutibus & propriis ope-rationibus tam ad cibarii quam medicaminis uſum; & hoc breui bus q̃ potui uerbis, ut tuæ Serenitati ſi non quantum debeo, quã tum ſaltem poſſum ſatisfaciam. quæ ſi obſeruata fuerint, ſpero proficua tuæ Serenitati futura, ut diu & incolumis Dominus & Princeps nobis regnes & imperes. Vale, & me & Laurentiũ Maſ ſam meum nepotem tuæ Serenitati quantum poſſum ſtudioſe commendo. Ex ædibus noſtris xx. Februarii, M D LVI.

AD LAVRENTIVM MASSAM NEPOTEM EPIST. IIII.

SOLLICITVS Tibi fueram, cum Patauium proficiſcereris, ſcribere ad te breuem quandam ex poſitionem primæ fen quarti canonis Auicennæ uiri in unaquaque facultate doctiſsimi, qui ad hunc uſque diem totius medicinæ, poſt Galenum habitus eſt princeps, atque exiſtimatus. Quam rem mi Laurenti, in tui gratiam libenter in præſentia aggredior, licet admodum mihi hoc tempore uideatur difficilis. Continuis enim diſtineor negociis, quæ, ut tu minime ignoras, longe ſunt à uoluntate mea, literarũq; ſtudiis aliena. Adde quod adauget noſtram hanc diffi-cultatem grauiſsimi uiri, quem exponere inſtituo, auctoritas, qui præteritis ſeculis ingentem doctiſsimorum interpretum co-piam de fatigauit Sed quid? Ego ea licet priuor animi corpo-riſq; quiete, quam ſæpe alias deſideraui, ut meis ſtudiis aliquan-do incumberem, qua etiam ſummopere mihi opus eſt in præ-ſentia, facit tamen paterna caritas, qua te ſum ſemper proſequu-tus, ut labor hic meus mihi non modo facilis uideatur ſed maxi-me etiam iucundus. Verum tu noſtra hæc accipe quæ à me, ut tibi ſatisfacerem ſcripta ſunt, & ut meis etiam laboribus doctior euadas (nihil enim magis in hac uita exopto, nihil etiam magis ſpero) atque illa adnectes interpretationibus excellentiſsimorum hominum, quos quotidie audis, partem hanc medicinæ publi-

ce Patauii profitentium. Quantum uero attinet ad officium meũ, ego clare tibi auctoris mentem exponam superfluas superuacaneasq; quæstiones dimittens, necessarias tamen pertractans quantum res expostulabit diligentissime.
Prætermittere hoc loco mihi aliqua uidetur ex octo illis, quæ in præfationibus librorum interpretes solent annotare, & præsertim optimi: quoniam quædam sunt, quæ (ut mihi uidentur) parum aut nihil conferunt ad hanc tractationem, quædam autẽ dicemus, quoniam non modo conferunt sed quodammodo necessaria sunt: hæc autem sunt libri inscriptio, subiectum seu intentio: quibus etiam adderem nonnulla de auctoris uita, ut te adhortarer ad has disciplinas capescendas. Sed non est opus, quoniam satis tu te ipsum adhortaris & illam quoque, quam ego uertebam, Auicennæ uitam, diligentissime sepius legisti, & relegisti, cuius etiam exemplar adhuc apud te est. Dimissis igitur illis, quæ ad rem nostram non faciunt, ab inscriptione sumemus initium. Inscriptio autem ista est, liber quartus canonis de ægritudinibus particularibus quæ cum accidunt, non uni membro accidunt, ex qua inscriptione febrem colliges esse morbum particularem & uni membro non euenire, scilicet non esse affectionem, tantum unius signati membri. At dices tu febrem non contineri sub hac inscriptione, quoniam uniuersalis morbus est, quod ex eo patet quia totius corporis est passio, cum uniuersum corpus excrutiet febris, atque affligat, cui ego obiectioni ita obuersor. Febris primo particularis est morbus, quia in primis cordis est passio, affectioq;, primum enim cor affligit febrilis calor; dein etiam uniuersalis dicitur quia ab ipso corde procedens calor per uenas & arterias corpus uniuersum meat illudq; calefacit. tu uero primo modo febrem accipies atque illam sub inscriptione collocabis, secundum quam intellectionem puto ego Auicennam febrem accepisse, licet aliter alii: non uni membro accidit quia cum calor febrilis in corde est, ab ipso corde per uenas, & arterias procedit ad membra alia nisi impediatur. læditq; non tantum functiones cordis, uerum etiam cæterorum membrorum operationes ita, ut non modo uitales uirtutes reddãtur imbecilles. uerum & naturales & animales & aliorum membrorum. Nam in febribus modo hoc membrum modo illud impediatur a suo munere modo etiã omnia, Est igitur febris affectio uni membro

primo contingens;quæ postea reliquis impartitur ut uidelicet ea lædat & suas operationes ex quo dicitur non uni mẽbro quã læsionem appropriari.& hæc satis de inscriptione.Sequitur intẽtio scriptoris quæ nõ est nisi de febribus, quid uero sit febris ab ipso Auicenna accipe.Febris est calor extraneus accensus in corde & procedens ab eo mediantibus spiritu & sanguine per arterias, & uenas ad totum corpus, & quæ sequuntur. Quam definitionem interpretes fere omnes dum exponunt, multa pro Auicenna, multa etiam aduersus eundem in medium afferunt.præterea cõparant ipsi hanc definitionem illis, quas nobis antiqui reliquerunt qui de febribus scripserunt.item inquirunt num hæc sit melior, num deterior? uerum ego & si omnia non recensebo quæ illi tradunt,id enim esset mihi (negotiis, ut dixi, impedito)magnum incommodum & tibi maximam etiam nauseam afferret: attamen quantum mihi licebit pro temporis angustia scribam, & quantum uidebitur pro declaratione conuenire. primum igitur ut facilior sit intellectus,notabis Auicennam præsupponere febrem esse,neque eam probare, quia febris est huiusce libri subiectum & intencio, nullus enim artifex suum probat subiectum ut ab Aristotele uidisti me legente,quare merito illam non probat sed declarat,declarat autem cum definit ipsam essentiali definitione. Quod autem hæc sit essentialis definitio febris facile est persuadere unumquenque.Etenim ex genere & differentia siue differentiis constat optima essentialisq; definitio; cum autem hæc sit eiusmodi non est dubitare an sit essentialis.quòd autem hæc ita sit uide. Galenus dicebat in eo libro, qui de differentiis febrium inscribitur, febrem esse in genere caloris præter naturam.est igitur genus in hac definitione [calor] qui substantia febris est,abusiue tamen & improprie,& hæc quantum ad genus. Auicenna postea in definitione subiungit[extraneus]quod est differentia. facit enim id febrem differre à quocunque alio congenito calore à uitali ab animali & à naturali, qui in gradu differunt secundum diuersas membrorum operationes; deinde addit [accensus in corde] quoniam & si esset calor extraneus in quacunque alia corporis parte & non in corde non esset febris. nam febris est passio prima cordis deinde, per communicationẽ (ut diximus) totius etiam corporis. Duæ igitur sunt essentialis differentiæ in definitione hac, illæ uero particulæ,quasi Auicenna ad-

na addit, scilicet[procedens ab eo mediantibus spiritu & sangui- ne per arterias & uenas in totum corpus]consequens ad has. Nã cum à corde uena & arteria ad uniuersum corpus procedat uena quidem à gibbo iecoris ad cor primo ascendit, à quo postea re- cipit caliditatem tam natiuam quàm extraneam. Natiuam cum non febricitat cor, & est ad operationes obeundas. Extraneam quando febrit, & est præter naturam. Atque hoc pacto cum in corde est caliditas extranea per uenas ad cæteras corporis partes procedit nisi impediatur, ut fusius in sequentibus. Arteria uero à corde primo procedit & ipsa ad corporis partes ducit spiritus, per quam caliditas extranea transit si non impeditur ad eas par- tes ad quas spiritus deferuntur. Defertur igitur ad uniuersum corpus per uenas & arterias calor febrilis. [& inflammantur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus]hæc di xit ut per effectum caloris extranei agentis magis innotesceret fe- bris essentia.nam hæc etiam differentia distinguit calorem extra- neum à quacunque alia caliditate siue extranea siue naturali non nocente operationibus naturalibus.quia ut ipse dicit [iræ calidi- tas,& laboris cum non ultimatur]id est cum non procedit, ita ut continuando in corde imprimat caliditatẽ,quæ impediat opera- tiones naturales non est appellanda febris. at si ira nocet aliquo modo operationibus naturalibus non primo nocet, cum primo ea caliditas non procedat à cordis extranea caliditate, sed ab exte riori causa. nam ad hoc ut uerè noceat oportet ut permanente accensione in corde accendatur calor qui febris est, à qua postea sequitur læsio operationum,non autem à solis & hypocausti ca- liditate. præterea uerba illa ultima[impedit operationem ita ut retineatur]sunt posita, ut distinguat à caliditate febrili.caliditatẽ quamcunque quæ non impedit tãtum, sed corrumpit operationẽ cordis, si aliqua huiusmodi reperitur. reperitur autem,quoniam uenena illa,quæ interimunt sua caliditate corrumpunt planè ope rationem cordis & destruunt ita ut continuo hominem perdant; illud idem faciunt huius generis aliæ caliditates. Febrilis autem impedit & lædit aliquo modo operationem sed remanet tamen operatio & non sternitur. Dicebamus superius febrem operatio- nes naturales impedire, quomodo autem intelligam expono. Potest febris operationes impedire, non tantum illas, quas me- dici naturales appellant, quæ proueniunt ab ipso iecinore. sunt

autem hæ attrahere, retinere, concoquere, & expellere, sed unamquanque etiam, quæ à uirtutibus omnibus prouenire possit. non uno tempore semper omnes, sed aliquando unam, aliquando aliam, aliquando hanc & illam, aliquando uero simul omnes, ut uidere est in uehementissimis febribus. Nam in illis uidebis læsam cordis operationem apertè ex inspirationis & respirationis frequentia & difficultate, magnitudine, & diuersitate, atque aliis accidentibus. Eodem modo cerebri operationes per eadem signa cum uel magis dormiant aut uigilent, uel ægrè discurrant aut memorentur ægreùe moueantur. Eodem modo itē iecinoris & ipsi iecinori deseruientium membrorum uires & operationes perspicies. Læduntur enim uel cum non appetunt, uel cum nimium sitiunt, & ingesta cibaria uel corrumpunt uel malè præparent; & excrementa neque per urinam neque per secessum expurgant, neque per alias partes per quas solent membra illa expurgari: aut si expurgentur uel plus quàm par sit, uel alia à naturali sua qualitate, uel corrupta emittunt. Ex quo apparet quanto in errore inciderunt, qui crediderunt non aliud intellexisse Auicennam dum naturales operationes dicit quàm munia consueta, ut est deambulare atque alia exercere quæcunque agere incolumis unusquisque potest non intelligendo ea, quæ nos, ut nunc dicebamus, intelligimus. Ex his omnibus quæ diximus facilè potes colligere febrem inter cæteras ægritudines plurimū molestare hominem, cum omnes operationes aliquando possit impedire. Vnusquisque enim morbus signatum quoddam membrum tantummodo afficit, ut aqua intercutē, quæ iecinoris passio est, & colica, quæ intestini, & apostemata, quæ unum membrum lædunt; nocent autem aliquando aliis etiam membris. At id non est subito tempore. febris autem statim nocet membris omnibus, quando non impeditur in his & extrà. Animaduerte præterea non semper caliditatem febrilem totum corpus calefacere, quia impediri potest. non propterea adeo impeditur extranea illa celiditas quin percipiatur uel in plurimis partibus uel in nobilibus. nam dicebat Galenus in sexto de morbis uulgaribus impediri aliquando caliditatem febrilem adeo ut cutis exterior non afficiatur, quam neque medici astantes possunt ægrum tangendo sentire, neque æger ipse cognoscere se febrire, quia in imis partibus corporis detinetur calor unde in his non

tactu cognoscitur febris sed quia sitiunt, uigilant, uel fastidiuntur aliquo alio modo & molestantur, ideo febrire eos arbitramur. hoc autem primum in senibus contingit uidere, nam febres senum, ut uolebat noster Auicenna, sepultæ sunt & latent. in eis enim febrilis calor non transit ad cutem quia eorum uenæ refertæ sunt multa pituita. præterea in illis etiam, qui liparia febre laborant uidebis exteriora membra tepida, ac ferè frigida esse cum interiora & nobiliora feruescant. Hæc in præsentia sufficiãt. oportet enim me domum exire: cum reuertar, reliqua explicabo.

Aggredi uolebam nunc diuisionem febrium explicata definitione, sed cum in more positum sit prius, quæ in quæstionem ueniunt, soluere & enodare, mutaui sententiam: quare ante diuisionem afferam ea, quæ in dubium cadunt, illisq; dissolutis ad febrium diuisionem me conferam. Quæritur igitur primum ab illis qui definitionem hanc exponunt nunquid febris essentia contineatur circa aliquam materiam cordis, quod ab omnibus comprobatur ita esse, neque se habere res aliter potest. Quoniam in putrida febre uel putrescunt cordis humores, quod raro fit & maximum malum erit, uel saltem positi sunt in calefacto esse, quod ut plurimum in putridis fit, ut dicunt illi quibus uerba Galeni primo de Differentiis febrium fauent. dicit enim Galenus calorem febrilem uel cordis solidum corpus, uel, qui in eius uentriculis continentur, humores, uel postremo aeream substantiam occupare ex quibus Galeni uerbis habent omnem febrem calefactum esse habere in materia illa, ex qua fit. In primo uero genere, in quo calor febrilis substantiam solidam cordis calefacit dicunt calorem extraneum illum fixum esse in illa substantia, & propterea etiam permanentem, at quoniam cum iste calor accenditur in substantia, accendit etiam humores & uapores. ideo hos uapores & humores dicunt habere esse in calefieri, & pendere à calefacto esse. Secundum uero genus dicunt habere calefactum esse in humoribus, qui sunt in corde ita ut iam receperint aliquem gradum putredinis, & per consequens calidi caliditate præter naturam, uel saltem sine putredine, sed ex inflammatione caliditatem præter naturam habere, quam caliditatem putant fixam & confirmatam esse in ipsis humoribus sicq; dicunt humores cordis habere calefactum esse, cor uero calefieri & uapores & spiritus ab ipso calefacto esse humorum. pari ratione dicunt ca-

liditatem præter naturam accensam in uaporibus & spiritibus esse in calefacto esse & ex calefacto esse uaporum & spirituum humorum caliditatem & cordis etiam solidæ substantiæ pendere. Cuius opinionis & pertinaciæ Matthæus curtius, uir alioquin doctissimus, fuit, & ante ipsum & post alii etiam non indocti uiri fuerunt. Nam habent Galenum in eodem primo de febrium differentiis dicentem febrem primo esse cordis affectionem, quam pendere dicebat uel ab ipsa solida cordis substantia uel ab ipsis humoribus uel a uaporibus & spiritibus in corpore cordis uel uentriculis contentis. Tu uero animaduerte hanc sententiam uerã minime esse & huic non fauere opinioni adductos ex Galeno locos. Nam si ita esset ut isti asseuerant sequeretur omnem febrem uel esse pestilentem uel perniciosam & mortalem, quod nequaquam uerum est. Quod autem necessario id sequatur ostendo ego hoc pacto. Galenus primo de Differentiis febrium ubi ex professo febrium differentias ostendit ex partibus nostri corporis, quibus caliditas præter naturam accidit, uolebat caliditatem non esse in solidis partibus, aut humoribus aut uaporibus primo, & per se, sed ab aliis membris prodire. Etenim si per omnia genera febrium discurramus (ut aiebat idem Galenus) Febris habitudinalis siue Hectica non primo & per se accidit quando incipit, sed consequitur uel humoralem, uel ephemeram. quare ex hoc uidetur febrem Hecticam non habere esse primo in substantia solida cordis, sed sequi ad alias febres. Verum postquam humiditas uel uapores consumpti non sunt calor accendi potest in solida substantia, & est illa, quæ nequaquam aut maximo labore curationem recipit quia calor accensus talis est, ut non habeat causam fouentem humorem amplius uel spiritum communicantem caliditatem partibus solidis; sed in membro ipso fixus atque confirmatus manet. atque hac ratione appellatur fixa & independens & hectica a Græcis, a nostris habituata. eodem modo dicere est de illa caliditate, quæ in humoribus habet suum esse, cum humores permanentes non sint sed fluant semper. nam semper quidem generantur, resoluuntur, permutantur & in aliud conuertuntur: uel cum nutriunt, uel alio aliquo modo consumuntur. accenduntur quidem cordis humores ab eo loco in quo minera putredinis & ebullitio est, & communicatur cordi inflammatq; humores in ipso. Quis quæso ita rudis est & pa-

rum in rebus medicis exercitatus, qui nesciat calorem febrilem accensum in humoribus, qui continuo generantur, & in aliud permutantur uel à corpore euacuantur, non posse habere calefactum esse cum semper alius & alius humor loco prioris uel permutetur uel resoluatur, uel euacuetur, qui præter naturam caliditatem suscipit. Porrò in omni febre causæ sunt seiunctæ ab ipsa febre, præterquàm in hectica facta & independente dico autem independentem quoniam datur febris hectica dependens & independens. quomodo uero hæ differant inter se cursim uolo nunc ostendere. nam tibi postea magno usui erunt. Dependēs illa est, quæ ab ulcere pulmonis prouenit, uel à suppurata materia in clibano pectoris: quæ febris per remotionem causæ sanari potest, uidelicet si ulcus in pulmone curetur, uel mundificetur in cauo pectoris detenta sanies: quod difficile cum sit, non tamen est imposfibile, nam ab hac febre plures aliàs sanaui. Independens illa est, quæ minimè causam habet, quæ illam foueat, cum consumptæ iam sint humiditates, quæ primum à putredinali materia humorū fuerant arreptæ uel ab extranea uaporum & spirituum. hæc cum longo tempore habituata est, omnemq; exiccauerit humiditatem, confirmatur in substantia solida, neque pendere ab alio dicitur; sed est febris facta, & cum ad hoc quod ultimum est deuenit non suscipit curationem. ita etiam febris ephemera se habet. nam uapores & spiritus accenduntur ab externis uel internis causis ut est labor, comestio, potio calidarum rerum; mora in calidis locis, uigiliæ & animi accidentia quæ accidentia, aliquando inter causas intrinsecas ponenda sunt. Ephemerarum autem intrinseca causa est illa, quæ ab ira uenit, caliditas; & à uaporibus & spiritibus ab aliis inflammatis, qui cum permanentes non sunt calefactum esse habere non possunt, sed sunt in fieri. nam continuo accenduntur & resoluuntur. Quod autem id uerum sit dicere de pestilentibus & mortiferis febribus concedo ego neque inficior. Sed dicere omnem febrem habere calefactum esse in corde mihi uidetur absurdum maximè & falsum. Quapropter uides omnia genera febrium habere primas causas ex quibus fiunt & hecticam etiam fieri à sua causa, & dum fit non habere calefactum esse, sed pendere a sua causa qualiscunque illa fuerit, quare de his hactenus uale & da operam studiis. Venetiis, M D LII, die X V. Nouembris.

AD LAVRENTIVM MASSAM NEPOTEM SECVNDA.

EPIST. V.



T SI multa ex his, quæ nunc ſcribo ad te ſuperius ſint a nobis,& tractata, & expoſita: attamen cum decies repetita etiam atque etiam conferant, mihi hanc licentiam ſumam repetendi quando uidebitur ea, quæ dicta ſunt; præſertim cum me id facere aliquando trahat neceſsitas, aliquando utilitas etiam du cat. Quare tu ſi in aliqua incideris, quæ tibi hactenus explicata ſint a me, & ſi de his etiam rebus, de quibus antea diſſeruimus tractamus, & una eademq́; ſit materia, illa tamen caue ne contemnas quaſi ſuperflua & ſuperuacanea. ſed æquo animo & patienter lege, quoniam hic plurima clarius expoſita uidebis,non pauca etiam addita, quæ tibi poſtea magno uſui erunt & maximæ utilitati. ſed ad rem præter ea, quæ diximus in prima epiſtola grauisſimi interpretes quærunt ſit ne cordis pasſio febris? & arguuut non eſſe, quoniam febris quæ ab apoſtemate uenit non eſt eſſentialis cordis læſio ſed per conſenſum, ergo non cordis pasſio. At notabis primum ante quam diluam argumentum, pasſionem alicuius dici multis modis; Primo quando ſignificat propriam, quæ prouenit a principiis eſſentialibus pasſionem,ſicuti eſt riſibile, uel caneſcere in ſenectute in homine,atque hoc modo conſiderando non eſt cordis pasſio febris cum non pendeat a principiis eſſentialibus ſed eſt accidens quod raro contingit & in aliquibus etiam nunquam. Quoniam ſi hoc modo febris eſſet cordis pasſio illa nunquam hominem relinqueret, uel ſaltem neceſſario in aliquo tempore ex decurſu ætatis febriret. quod eſt contra quotidianam experientiam. Quare febris non eſt cordis pasſio a principiis fluens. Præterea febris conſideratur ut cordis tantum accidens & non alterius membri primum. ea conſideratione qua dicimus hominis accidens eſſe muſicum eſſe uel geometram nam cordis ſolummodo accidit febris licet non ſemper accidat. Vel conſiderari poteſt febris eo pacto quo dicimus ſubſtantiam eſſe ſubiectum omnium accidentium & accidens ſubiectum alterius accidentis, & ut rem exemplo de-

clarem ponamus substantiam aliquam, quæ præter quam quod habeat proprium temperamentum, quo conseruetur, possit etiam alterari & calefieri extraneo agente, & hæc sit lignum, quod ab igne a Sole ab aqua & a quamplurimis aliis extrinsecis alterari & mutari potest; sicque præter proprium temperamentum habebit extraneam etiam caliditatem, qua dicetur calidum, potest etiam ab intrinsecis mutari, ut ab aliqua putredine, qua incalescet putredinali caliditate, atque isto modo febris potest esse propria cordis passio & accidens eueniens ipsi cordi remanente tamen temperamento naturali cordis, præterquam in febre habitudinali tertiæ speciei, ubi iam consumpta est pro maiori parte natiua humiditas & ex consequenti caliditas a semine contracta, cum in hac febre ultima, mutatum plurimum sit humidum natiuum; quo pabulabatur innatus calor; uerum est quod loco deperditæ, caliditatis & consumptæ humiditatis calor alius & humiditas alia generatur, quæ humiditas & qui calor an æque boni sit ut prior maxima quæstio est: hoc tamen scias uelim non esse bonos cum operationes & uirtutes ab eis prouenientes probæ & ualidæ non sint sed imbecilles & imminutæ. sed reuertamur unde sumus digressi. dico igitur ex his, quæ supra annotauimus febrem non esse passionem prouenientem ex principiis naturalibus & essentialibus ipsius cordis. sed esse & accidens & passionem ad hunc sensum. uidelicet, quoniam fieri nequaquam potest ut aliquis febriat nisi ipsum cor primum calore præter naturam incalescat, siue ille sit in solida substantia, siue in humoribus in corde detentis, qui cor calefaciant; siue in spiritibus & uaporibus calefacientibus cordis humores, & solidam substantiam ipsius. Quod uero hæc uera sint ex febris definitione tam ab antiquis quam a modernis allata, uidere est, & confirmatur etiam quando dixi, quod si esset febris passio fluens a principiis essentialibus semper febriret cor: neque ualet dicere, si non febrit aptum natum est febrire, quoniam aptitudo fundamentum præsupponit impedimento amoto, uel præparata materia a qua potest operatio gigni & prouenire; sicut dicimus de infantibus, qui non discurrunt, quoniam cerebrum nondum habent aptum & præparatum ad phantasmata speculandum: similiter & in mente captis a dispositione aliqua uidere est, quoniam si in illis mala organi dispositio remoueretur illi absque ul-

lo dubio intelligerent, & sic isti apti & nati sunt ad intelligendum. in corde uero non sunt aptitudines naturales ad febres cum febrire non sit proprietas illius, sed conseruare uitam & uitæ ope rationes. Quare dicendum est febrem esse propriam & primariam cordis passionem, & cum dicunt febrem apostematum non esse essentialem cordis læsionem sed per consensum, negare suppositum oportet. Nam & si caliditas præter naturam in apostemate sit causa febris, est causa quoniam cor primo calefacit mediantibus uaporibus uel putrida calida euaporatione cum ad esse febris necessario caliditas in corde accensa requiratur, siue illa sit febris per se, siue per accidens: Neque illis credas uelim qui arbitrati sunt febrem posse non tantum cordi sed membris etiam aliis accidere; quoniam licet alioquin doctissimi uiri fuerint in hoc tamen decepti sunt. & quanquam ex antiquis aliqui affirmauerint febrem esse totius corporis calorem non naturalẽ, non ob id negant calorem illum esse primo in corde accensum, & inde postea ad alias partes meare nisi aliquid obstiterit. neque huic meæ sententiæ aduersantur rationes de iecinore calefacto a qua caliditate læsio sequitur operationum & uirtutum. Nam ad hoc ut sit febris non sat est esse extraneam caliditatem & functionum læsionem sed illam esse in corde accensam oportet. Si uero dicant in syncopi a calida causa, cor inflammatum esse & accensum absque ulla febre nos respondemus caliditatem illam præter naturam si diutius permanserit absque ullo dubio febrẽ in efficere calefaciendo uel spiritus & uapores uel humores, uel cordis substantiam. sed antè quam cor ipsum uel in corde contenti spiritus & humiditates inflammet, appellanda non est febris. Etenim sæpe ex causa calida forti cor ipsum calefaciente prouenit febris. sed animaduerte in defectu animi, qui a causa forti est sæpissime antè quàm febriat æger moritur. Quare ex his huiusce argumenti solutiones & aliorum etiam, quæ in hac re fieri possunt habes.

Quærunt præterea num possit esse febris calor naturalis, qui in igneum conuersus sit: atque confirmant & probant posse fieri & Hippocratis authoritate & Galeni & propria etiam ratione; quoniam febris quæ ab ira uenit huiusce generis est, cum aliud non sit ira, quàm sanguis accensus in corde. quam sententiam licet multi sequuti sint doctissimi uiri ego tamen adduci

non

non possum ut ueram esse credam:falluntur enim multum,& lõ-
ge à ueritate aberrant, neque Galenum in hac parte intelligunt
neque Hippocratem quos ego in præsentia exponam & quo
pacto intelligi debeat monstrabo.non enim eo modo interpre-
tanda sunt & Hippocratis & Galeni uerba, quo modo isti in-
terpretantur. In corpore humano uiget caliditas contracta à prin
cipio generationis,quæ naturalis & innata caliditas appellatur,
qua fœtus anima informatur rationali. est etiam caliditas quæ
prouenit ex simplicium partium mistione. & differt ab innata ca
liditate quoniam illa quidem necessaria est ad hominis esse & ad
introductionem animæ.hæc uero est illa, qua tale hoc corpus ex
mistione & compositione elementorum existit & conseruatur.
præterea tertia caliditas est,quæ accidentalis & ægritudinalis di-
citur,non existens semper in corpore, sed eo tempore, quo male
se habet,& laborat corpus & adesse potest & abesse secundum
diuersas corporis mutationes & partium ipsius & humorum &
spirituum & uaporum dispositiones præter naturam. Etenim
sæpenumero corpus ab extrinsecis alteratur & intrinsecis etiam
afficitur affectione illa à qua sequitur calor præter naturam di-
uersas pariens ægritudines, ut puta quando coaceruantur malæ
superfluitates ex cibariis,quæ perturbant corpus uel cum obstru
untur uiæ, unde postea humores calefiant & putrescant; & fit
morbus in complexione calidus:quod si hæc caliditas commu-
nicetur cordi febris dicetur,& hæc caliditas extranea est, quoniã
nocet operationibus naturalibus,illis scilicet, quæ secundum na-
turæ iustitiam homini conueniunt: Ex his autem caliditatibus
prima illa,quam innatam appellauimus, semper est in corpore,
& adest quousque uitam agimus; neque in aliam caliditatem
mutatur:quoniam,cum illa sit à qua anima rationalis prouenit,si
immutaretur mutari animam etiam in nobis oporteret. Altera
caliditas quæ corpori esse præbet, quam prouenire dicebamus
ex mistura elementorum componentium partes, illa etiam non
modo non immutatur quoad uiuimus, sed remanet etiam sepa-
rata anima à corpore usquequò in aliud mutatur corruptis par-
tibus.quoniam esse corpori(ut diximus)præbet, neque ipsum de
serit nisi cum amplius non est corpus hominis, sed alia quædam
res. Quare ex his uidere est non posse has caliditates effici nec
maiores nec minores cum nullo pacto possint immutari.restat

igitur tertia caliditas aduentitia & accidentalis, quæ augeri & minui & separari potest, & utique separanda est. impedit enim operationes naturales. Sed non dicitur febris omnis caliditas præter naturam, nisi sit accensa in corde, & si occuparet omnes corporis partes & membra omnia non occupato corde, esset quidem morbus uel causa caliditas illa, sed non esset febris. nam si toti corpori adesset, uel uni uel aliquibus membris unum genus esset ex morbis in temperatura febris uero minime. Quomodo autem caliditas hæc tertia febrem causet si quæras respondeo illud fieri duobus modis, uel quando hæc caliditas est in membro aliquo accensa aut in humoribus, & superfluitatibus ubi sint arteriæ propinquæ, quibus arteriis calor possit ad cor deferri. uel quando caliditas putredinalis ita uicina cordi est, ut non egeat arteriis ipsam deferentibus, ut contingit in pestilentibus & in suppuratis, & in ulceribus plurimum. sed animaduerte ꝙ in unaquaque particula corporis nostri est quædam propria caliditas conseruans ipsam, quæ cum sit accidens cum propria particula manet siue illa sit membrum siue humor, nam sine subiecto nequaquam esse posset, quibus particulis si tertia superuenerit caliditas superius dicta à nobis quæ extranea est naturali caliditati permiscetur & fit aggregatum ex naturali, & præter naturam caliditate; & hinc est quod corrumpuntur particulæ in febribus hecticis præsertim. nam non putrescunt nec mutantur humores tantum in substantia, & qualitatibus sed etiam spiritus & uapores, & solidæ partes corporis, ut apparet in tertia specie hecticæ in qua iã consumptæ sunt omnes humiditates naturales à caliditate febrili extranea. Ex his quæ commemorauimus omnibus iã patet quo modo Hippocratem, & Galenum defendere possimus si dicamus non primæ neque secundæ caliditati, quas naturales esse mõstrauimus, immisceri caliditatem illam tertiam non naturalem quam febrem uocant, sed caliditati partium & humorum, nam si secus esset, ille, qui febrit, uitam ducere non posset, neque corpus conseruare, ut patet ex causis, quas supra narrauimus. Exemplum uero de febre, quæ ab ira uenit, non est contra nos, nam non accenditur calor ille primus, neque secundus, ob eammet causam, quam diximus, sed est accensa sanguinis particula, quæ est in corde, qui quidem sanguis propriam sui conseruantem caliditatem habet sic ut paulo ante exposui, atque ex illa inflammatione ac-

cenduntur ſpiritus, & uapores, qui habent, & ipſi caliditatem, qua conſeruantur.

Eſt & alia quæſtio nunquid in omni febre ſit calefactũ eſſe (ut uocãt) ſcilicet an, id, à quo febris talis nominatur incaleſcat, ut uerbi gratia in febre ephemera ſpiritus, & uapores; & humores in putrida, & in hectica ſolida ſubſtantia; Maior pars expoſitorũ credit ita eſſe, idq́ plurimis rationibus confirmare contendunt, uoluiſſe Galenum in eo libro qui eſt de Differentiis febrium primus. Vbi non parum differt an caleſcere uel calefactum eſſe dicamus. Credunt enim Galenum uoluiſſe in eo loco intelligere eam partem, quæ primo cæteras partes calefacit, habere calefactum eſſe, cæteras uero calefieri. Hic, ut res clarius pateat, ſumenda mihi, eſt iterum & repetenda maior pars earum rerum, de quibus ſuperius egimus, ſed te bono animo, patienterq́ hæc legere uelim, atque confidere, futurum eſſe ut plurimam utilitatem capias ex his ipſis rebus; Ponamus igitur in primis aliquem febrire febre ephemera, in hoc ita affecto, uolunt iſti ſpiritus, & uapores in corde calefactos habere caliditatem factam, per quam caliditatem humores cordis accenduntur, et ſolida ſubſtantia ipſius, ita ut ſubſtantia cordis, & humores ſint, ut illi dicunt, in calefieri, ſpiritus uero, & uapores qui cor calefaciunt in calefacto eſſe. Eodem modo dicunt de humorali febre, nam cum humores cordis inflammantur primo illi dicuntur calefacti, unde poſtea ipſi calefaciunt ſpiritus & uapores, ac etiam ſubſtantiam cordis. Neque aliter de ſubſtan tia accẽſa ipſius cordis dicunt, q̃ dixerint de ſpiritibus, & humoribus. Subſtantia enim cordis calefacta, accenduntur ab ipſa ut afferunt humores, & ſpiritus, ſicq́ in quacunque febre dicunt eſſe calefactum eſſe in materia primum ſuſcipiente extraneam caliditatem, & calefieri in aliis duabus partibus eſſe. qui poſtea calor extenditur ad uniuerſum corpus, niſi impeditus ſit per arterias, & uenas mediante ſanguine, & ſpiritu, cum calor accidens ſit, idq́ ſine ſubiecto eſſe non poſſit, neque deferri de loco ad locum. Quare ſanguis & ſpiritus eſt ſubiectum deferens calorem extraneum ad uniuerſum corpus poſtquam accenſus eſt in corde. Arteriæ uero, & uenæ loca ſunt, & ſpacia per quæ calor in ſubiecto mouetur de termino à quo ad terminum ad quem. Quomodo uero Ephemera febris & humoralis, & hectica à ſuis fiant cauſis, non erit difficile per exempla docere cum facilius demonſtrē-

tu res per ea quæ sensui se primo offerunt, quæq; sensata dicuntur. Quare ponamus hominem temperaturæ calidæ, & siccæ, ætatis iuuentutis, assuetum plurimo cibo, & potui. Deambulet hic tempore æstiuo, sub sole, quando messem faciunt rustici; Ponamus præterea ex his ipsis causis uapores corporis supercalefieri ita, ut corripiatur ephemera febre, dico hanc febrem ortam esse ab exterioribus causis hoc modo. Nam caliditas continentis aeris agens circa corpus paratum inflammari ex labore, & propria temperie & ætate, primo uapores, & spiritus qui sunt in ambitu partium cutis exterioris inflammabit, qui postea inflammati per partem post partem alios uicinos spiritus, & uapores, & partes alias calefacient usquequo deueniat caliditas hæc ad arterias ipsasq; calefaciendo spiritus simul calefaciat, qui in eis continentur, deinde spiritus cordis, & uapores inflammabit per continuam communicationem caliditatis spirituum, & uaporum in arteriis existentium. Hæc caliditas sic accensa in uaporibus, & spiritibus cordis febris erit, & illa quidem ephemera, quæ spacium unius diei non transit: quod si usque ad quartum diem aliquando trāsierit, hoc non est à crassitie spirituum ut nonnulli uolunt, sed à causa fouente extraneam caliditatem, ut contingit in ephemeris quæ accidunt in bubonibus inguinum, uel aliorum locorum. Nam cum caliditas accensa in uaporibus foueatur à caliditate bubonum protrahitur ad quartum usque & ad quintū diem, & si ulterius procedit inflammat humores illosq; in uiam ponit, ut putrescant, uel corrumpantur. quare, cum ipsi putrescere iam inceperint putridi uapores ducuntur ad cor, unde postea oritur febris quæ humoralis putrida dicitur ad differentiam febrium humoralium non putridarum, ut est sinocha absque putredine. Quomodo uero caliditas extranea ad uniuersum corpus transeat huiusque dictum sit. Ex quo uides ephemeram febrem nullam habere caliditatem factam tam quoq ad interiores causas, quam quo ad exteriores antecedentem scilicet, & coniunctam. Nam caliditas aeris exterior, quæ uapores in extrema cute existentes inflammauit, illa quidem permanens non est. non enim continue corpori contingit. atque item illi, qui primum fuerunt calefacti ab exteriori aere non sunt permanentes, cum continue resoluantur per corporis meatus, & succedant alii. Similiter illi, qui in arteriis inflammantur permanentes non sunt, cum continue resol-

uantur,& ipsi tum à caliditate naturali,tum etiam à diuturnis laboribus,& uigiliis,& loco resoluti spiritus cor alios atque alios subministrat, neque illi, qui in corde sunt spiritus permanentes sunt,cum continuè generentur,& regenerentur ex eo sanguine,qui è iocinore ad dextram auriculam cordis uenit, semperque distribuuntur ad uniuersum corpus.

Hoc idem est uidere in febre humorali siue illa sit cum putredine,siue absque putredine,quòd,ut tibi clarius innotescat per exemplum eodem modo procedam quo superius feci. Ponamque tibi iuuenem,ut supra calidæ,& siccæ complexionis, assuetum plurimo,& diuerso cibo,& potui,cacochymumque corpus habentem, qui item tempore messis calidissimo mora multa facta in sole, multoque labore defessus,se frigido uento exponat, corripiaturque a terciana notha incipiente cum frigore,qui non multæ uehementiæ sit, per horam durante:postea subsequatur mordax calor,sed non acris ualdè,accedat etiam ad hæc sitis, & capitis dolor non uehemens tamen, termineturque febris cum sudore post decimam sextam horam,ueniat tandem ad infebricitationem. Procul omni dubio si quis rectè inspexerit tam interiores, quam exteriores causas non potest dicere caliditatem extraneam in humoribus cordis factam esse. Nam caliditas aeris exterior,& labores corporis,qui primo exteriores partes mutarunt non remanent, cum dictum sit à nobis superius post sudore à caliditate extranea immunē esse ægrum. Neq; remanet ea quæ ab aere frigido causatur caliditas. fieri.n.potest ut refrigeratio exterior meatus obstruxerit, & ex illa caloris concentrationē per antiparistasim causarit febrē, & foueat,ob eandem rationem. Nā si debeat concentratio hæc caloris febrē facere,opus est ut cor calefaciat mediātibus spiritibus, & humoribus,qui ut supra diximus permanētes esse nō possunt. Multo minus repletio, & multitudo humorum hoc facere potest,cum ista sint potius sub materiali causa collocanda. Et tametsi labores corporis ut est cursus & deambulatio corpus nostrum plurimum calefaciant, non tamen dicendum calorem a labore factum esse fixum in humoribus cordis,neque fuliginem calidam, quæ à minera fibris eleuatur,& in corde recipitur: unde postea humores in calescunt,illa(inquam)remanet, cum neque spiritus uitales,neque ipsum sanguinem,ut diximus;medici credant permanere. Nam si fixi essent manerentque, per continuum tempus

utique opus non esset nouo sanguine, qui ab ea, quæ comedimus, & bibimus continuè regeneratur, ut omnibus notum est. Quare uides cum hæc permanentia non sint, per consequens in corde non habere calefactum esse, nisi quis ualet totam rationem putredinis in humoribus existentibus in corde ponere, ita ut putreant in corde, sicq; calefiat ex putredine sui substantia & non a uapore putrido aliunde ueniente calidi efficiantur: quo in casu pestilens febris esset & perniciosa, de qua Galenus primo de Differentiis feb. Quod si etiam hoc esset, sicut sæpe accidit non propterea dicendum est humores cordis habere calefactum esse. Verum ut finem faciam ad omnes rationes quæ in hac materia fieri possunt respondere facile potes, cum pro fundamento habebis neque humores neque spiritus esse permanentes: si quæ aliæ dubitationes mouentur hac de re, illæ faciles sunt, quas per te ipse infringes. Quare eas ad te scribere studiosè dimitto. Vale & da operam studiis. Venetiis, M. D. LII. die xx Nouembris.

AD LAVRENTIVM MASSAM NEPOTEM epistola de declaratione diuisionis febris, super primo cap. primæ fen quarti Canonis.

EPIST. VI.


DVAS ad te dedi epistolas ad declarationem definitionis febris, in posteriori quarum plurimum digressus sum ut facilius Auicennæ reliquum processum intelligere possis, in quo diuisionem ex antiquorum mente ponere contendit, nunc uero eam ipsam partem diuisionis febrium exponam, quæ non una est ut uidebis, sed plures iuxta diuersorum illustrium medicorum sententiam, quæ pars sic incipit. ET SVNT quidam hominum qui diuidunt febres in duas diuisiones primas, scilicet in febrem ægritudinem & febrem accidens, & ponunt febres apostematum de genere febrium accidentis. Quod si quæres huiuscemodi auctores qui fuerint, Arabes quosdam dico, ut est uidere apud Rasium xvi. continentis, & quoque apud Auenzoar, tertio Theisir, & alios grauissimos auctores hos sequentes, qui febrem primo in duo membra diuiserunt, uidelicet in febrem per

ſe morbum, & febrem, quam accidens dicunt; inter quas febrem apoſtematum dicunt eſſe febrem ab alio morbo accidentem, ſiquidem apoſtema morbus diſtinctus à febre eſt, eſt enim (ſi credimus Auicennæ fen ſecunda, capite de ægritudinibus compoſitis) morbus compoſitus ex tribus uidelicet mala compoſitione, complexione, & unitatis diſſolutione. Quod autem apoſtemata præſertim calida febrem excitare poſſint, nullus medicorum dubitat, dixi calida, quoniam etiam a frigidis abſceſſibus ſi ſuppurentur febris ſuboritur, iuxta illud Hippocratis. Dum pus cōficitur febres & dolores fiunt; quoniam & ſi materia in apoſtemate contenta frigida ſit, nihilominus ex putredine calida efficitur. Calida apoſtemata, ad quæ febris ſequitur, ſunt pleuritis, peripleumonia, ſcy nanthiæ, phrenitis, exteriores bubones, & aliæ quamplurimæ inflammationes. Hanc diuiſionem his uerbis exponere conatur. ET INTENTIO quidem ſermonis eorum eſt hæc, quod febris ægritudinis eſt illa inter quam & cauſam quæ non eſt ægritudo non eſt medium, ſicut febris putredinis, putredo enim eſt cauſa eius abſque medio, & non eſt putredo in ſeipſa ægritudo, immo eſt cauſa ægritudinis, febris uero apoſtematis eſt accidens apoſtemati exiſtens dum eſt apoſtema ſequens ipſum; & apoſtema eſt ægritudo in ſeipſo. Sententia huius textus hæc eſt, febris ægritudo illa dicitur, quæ non pendet ab aliquo alio morbo; febris uero accidens illa eſt, quæ ab aliqua alia cauſa uel affectu præter naturam (qui non eſt morbus) oritur cauſæ ſiquidem quæ febrem excitare poſſunt, quæ tamen non ſunt morbi plurimæ à medicis enumerantur præſertim ab Auicenna, & ne longa oratione tibi moleſtus ſim, quaſdam & non omnes enumerabo, reliquas ab Auicenna ipſo & Galeno habere poteris. Porrò calor præter naturam, qui febris dicitur, non uno tantum modo excitatur, cum & a conſtipatione exterioris cutis, & a ſolis exuſtione, a frigore condenſante, ab ira, & excandeſcentia, triſtitia, timore, mœrore, & aliis animi paſſionibus, a uigilia, fame, ebrietate, & alio quouis modo repletionis, ab indigeſtione, a labore, a doloribus, a cibis mali ſucci ſumptis, a uenenis, ab apoſtematibus, ulceribus, & saniei multitudine, & retentione; a multitudine ſanguinis, & aliorum humorum, uel ab eorum putredine, uel uſtione; inter quas omnes cauſas enumeratas, tametſi aliquæ ſint morbi, ut obſtructio,

apostema, & ulcus, non tamen sunt causæ immediatæ febris, quippe cum febris non a tumore, aut a soluta continuitate, aut mala temperie excitetur in membro aliquo existente, sed a uaporibus calidis a loco apostematis, cor & contenta in eo calefacientibus, excitatis; & hæc est causa immediata febris. Apostema uero a quo uapores eleuantur, non est causa immediata sed longinqua, similiter & obstructiones non sunt causa immediata febris, sed sunt putredinis immediata causa, a qua putredine eleuantur calidi uapores ad cor febrem causantes, & si obstructio, & prohibita transpiratio sit aliquo modo causa non prima & immediata, sed longinqua est, quam expositionem uerba textus subsequentia declarant, nimirum quoniam inter causam, quæ non est morbus & febrem, non sit morbus aliquis. Sed ut clarius mentem Auicennæ intelligas animaduerte in uerbis Auicennæ non deesse difficultates, cum ut quibusdam placet res alio modo se habeat, etenim febris tertiana ab humorū biliosorum putredine pendet, quæ putredo & putrida fuligo tametsi non sint morbi nihilominus locus siue minera, in qua humores putrescunt calidior efficitur & mutatur a suo naturali tēperamēto, sicq; ibi mala tēperies calida est quæ morbus complexionalis dicitur, & hac ratione dicunt caliditatem cordis in febre illa, quam Rasius & alii medici credunt non pendere ab alio morbo, utique pendere a membri caliditate ex putredine contracta, cui obiectioni ex uerbis Auicennæ in textu facile respondebis, quæ uerba hæc sunt; febris ægritudinalis est illa, inter quam & causam, quæ non est ægritudo non est medium; quæ utique uerba ita clara sunt ut non egeant alia declaratione, quare obiectio nulla est, cum causam immediatam febrem facientem non esse membri calidā præter naturam temperiē uideas sed calidam uel putridam exhalationem, seu fuliginem a membro eleuatam cor calefacientem, quæ ambo nullo modo morbi sunt. Quod si iterum obiiciant dicantq; locum apostematis habere intemperiem malam quæ morbus est, dicut prius & paulo ante dixi, illam malam temperiem utique morbum esse, & est causa febris non tamen immediata, quoniam non primo & per se febrem causat, sed mediante putredine, & calida euaporatione cor calefaciente; Potes etiam alio modo obiectioni respondere, & dicere malam illam temperiem non esse morbum cum non impediat sensibiliter, seu uitiet operationes

rationes naturales. Obiiciunt etiam dicentes febrem accidēs ideo per se morbum esse, quia inter febrem accidens & causam eius non est medium aliquod quod sit morbus; probantq; hoc suppositum rationibus paulo ante dictis, hoc modo, si putrida & calida euaporatio ab apostemate procedens, seu si putredo in apostemate à qua uapores excitantur, esset causa febris, utique febris apostematis morbus per se esset, & non accidens alterius dispositionis, cum apostema quod est tumor præter naturam non sit causa immediata febris, sed calida illa euaporatio à materia in tumore contenta procedens, quæ humores, spiritus & uapores cordis calefacit. Quibus obiectionibus dicendum erit febrem accidens esse illam quæ ad alium morbum uel præter naturam dispositionem sequitur, siue mediate, siue immediate fuerit, sed cum ad apostemata, uel dolores & alias præter naturam dispositiones, sæpe febres suboriuntur, ideo tales febres accidentia illorum morborum uel illarum dispositionum merito nominantur. Præterea contradicendo dicunt dolorem nō esse morbum, & ex consequenti febres a dolore causatas non esse accidens sed per se morbos, huic obiectioni respondendo dices dolorem non causare febrem ut dolor est, sed quia habet causam malam temperaturam uel solutam continuitatem, uel utrumq; quæ ambo sunt morbi, & possunt febrem accidens causare ex consensu omnium illustrium medicorum. Quibus etiam contradicentibus ex Galeni sententia tertio de Symptomatis differentia sic respondere oportet, uidelicet fieri aliquando posse ut præcedat morbus uel alia dispositio præter naturam, & hunc morbum uel dispositionem præter naturam in casu non immediatam causam alterius morbi dicere oportet, præsertim si uapores, spiritus uel humores ex ea causa incendantur, & ad cor pertigerint, sicq; dolor non erit causa immediata febris sed calida illa euaporatio, præsertim si prior affectus non per se primo operationes lædat: quod si tam prior morbus quam ille qui priorem sequitur, operationes lædant uel impediant morbi complicati dicuntur pendentes alter ab altero: de dolore non sic dicendum quia nullo modo morbus sed accidens morbi est insequens malam temperiem, uel solutam unitatem, aut utrunque; uerum quoniam ex dolore inflammatio sæpe insurgit, quæ est causa febris, illam medici dolorem remittendo sanant. Et quamuis plurimæ dictæ sint seu

repetitæ obiectiones, una tamen responsione omnes soluuntur, quas ego tibi adnotare uolui, & Auicenna etiam subsequentibus uerbis ad suas rationes respondens soluisse uidetur; argumenta & responsio & uerba Auicennæ hæc sunt: ET CONTRADICENTI quidem inest ut dicat quoniam si propterea quod febris apostematis sequitur caliditatem eius, & sequitur, uel concomitatur calorem ipsius, uidetur ut sit febris accidens, tunc oportet ut sit plurimum febrium ephemerarum accidens, & si ipsa sequitur putredinem quæ est in apostemate, tunc apostema non est causa eius prima unde est apostema, immo quantum ad putredinem, quæ est in ipso, causa igitur eius essentialis est putredo, & apostema non est causa eius nisi per accidens. Ex quibus habes duas rationes, quibus positionem supradictæ diuisionis diluit, prima quarum est si febris apostematis sequitur uel caliditatem uel dolorem apostematis, sequeretur quoddam falsum, uidelicet quamplurimas febres ephemeras esse accidens & non morbum, cum ephemeræ febres, quæ à calore uel à dolore fiunt omnes sint accidens, adde tu quod non solum dictæ sed & aliæ quamplurimæ, ut sunt illæ, quæ à labore, ab ira, & similibus causis oriuntur, & cum hoc minime uerum sit, ideo merito eos rationibus redarguit, & dicit non recte dictum fuisse febres accidentes fieri a calido apostemate puta à bubone. Secunda ratio redarguens eos talis est, si quis intelligat febrem apostematis ideo accidens esse, quoniam sequitur putredinem apostematis, aberrat nimium, quoniam putredo neque est apostema, neque pars apostematis, cum nec mala temperies, nec mala compositio, nec solutio unitatis sit; quod si quis dicat putredinem contineri in apostemate, dicendum id uerum esse sed non propterea dicimus putredinem esse de essentia apostematis, cum apostema sine putredine esse possit: porrò putredo consequitur ad apostema & est accidens ipsius. Ex quibus colligitur apostema non causare febrem, sed febris, quæ apostema sequitur, ex eleuatis uaporibus à putredine fit, qui consequuntur apostema, quare putredo uel calida illa euaporatio putrida petens cor febrem excitat, & est causa essentialis; at si ulterius obiiciant & dicant putredinem esse in apostemate, & ideo febrem causare, respondet Auicenna quod si secundam hanc considerationem consideretur necessarium est dicere apostema esse causam febris non

primo, & per se sed per accidens. Tertia ratio confutans præscriptam positionem subsequenter scribitur, & est: ET DICIMVS quod si non significauerint per febrem hoc, immo non intellexerunt per eam, nisi quod ipsa sequitur apostema existens propter existentiam apostematis, est dispositio febrium putredinis per comparationem ad putredinem. Hæc pars literæ in diuersis codicibus diuersimode legitur, sed ex correctione Andreæ Alpagi Bellunensis sic eam adnotaui, sensus uero literæ hic est; Auicenna hac in parte arguit tertio contra dictam positionem diuisionis, & hoc considerando eam acceptionem diuisionis secundum alium sensum, uidelicet ut sensus sit talis, qui dicat febrem ideo accidens esse, quoniam per ipsam febrem cognoscimus apostema esse, & hoc quia accidentia plurimum conferunt ad morborum cognitionem, rationem hanc non ualere dicit, cum hoc idem de aliis febribus putridis sine apostemate operæpretium esset dicere, nimirum cum per ipsam febrem putredo cognoscatur, sed non tantum putredo, uerum etiam specialis humoris putredo cognoscitur, porrò ex caloris uehementia atque ex ordine accesionis de tertio in tertium non solum febrem putridam esse discimus, uerum etiam humoris biliosi putredinem esse:& nota uerbum,quod dicit dispositionem per comparationem ad putredinem,uult enim significare apostema esse uiam ad febrem.Notabis etiam eadem uia sæpe cognosci posse speciem apostematis intrinseci scilicet ex caliditate & ordine caliditatis magis una die quam alia affligentis; sed quoniam has quæstiones medicis minus necessarias credidit, postquam his obiectionibus satisfecit, prosequitur intentam febrium declarationem præmissa tamen excusatione; & inquit: VERVM occupatio in huiusmodi contradictionibus est illud, quod non confert in scientia medicinæ aliquid; & facit medicum procedere ex arte sua ad inquisitiones, quæ fortasse impediant ipsum ab arte sua. Hac etiam in parte te admonitum esse uelim expositores ferè omnes mentem Auicennæ non recte exponere,cum dicant, non plurimum utilitatis has diuisiones febris in febrem per se morbum & febrem accidens posse medicis præstare, & ex consequenti melius esse eas dimittere; cum res aliter se habeat, scis enim & est communis medicorum sententia finem medicinæ esse sanitatis conseruationem & morbi remotionem, ita ut

medici munus est, ut scilicet sanitas in corpore uel conseruetur, uel si amissa fuerit restituatur, quæ sanitatis conseruatio uel restitutio fit aut regimine rerum necessariarum, aut medicamentorum administratione, aut manuali aliqua operatione. quod cum ita sit quomodo curabimus patientem aliquem, qui febrem patiatur ex dolore aut ex inflammatione, aut ex apostemate excitatam, nisi prius naturam morbi & causas cognoscamus? siquidem diuerso regimine hunc curabimus, ab illo qui eam patitur quæ per se morbus est, & non est alterius dispositionis accidens; porrò febris accidens quoniam pendet ab alia dispositione præter naturam, seu morbo, cura & primus scopus erit priorem præter naturam dispositionem tollere tanquam causam febris; cum ex Galeni sententia & omnium illustrium medicorum, uera cura minime fieri possit nisi causa morbi tollatur, & ideo in febre apostematis, primum apostema curare operæprecium erit, in febre autem, quæ per se morbus est non ita, etenim etsi ad causam etiam remouendam intenti simus, prima tamen intentio est febrilem calorem extinguere, & ea ratione cum febris calor præter naturam sit, quem consequitur siccitas, primum quæ refrigerant & humectent adhibenda sunt, deinde causa amouenda erit, qualiscunque illa causa fuerit, coniuncta scilicet uel antecedens, causæ uero in putridis uel sunt materiales, uel efficientes, quæ ambæ suam ablationem requirunt, materialis quidem euacuationem expostulat, efficiens uero cum sit obstructio apertionem meatuum desiderat, quod si immaterialis fuerit, ut contingit in habitudinali sola refrigeratione & humectatione indiget; sicque uides diuisionem febrium in febrem per se morbum & febrem accidens non tantum utilem medico sed necessariam esse: Dic ergo Auicennam medicos admonere uoluisse ut abstineant ab illis quæstionibus quæ remouere medicum à suo munere possunt, & illæ sunt, quæ non declarant morborum essentiam, atque eorum differentias, a qua essentia curatiuæ intentiones sumuntur, siquidem medicus diligens semper debet finem intentum quærere, qui sanitas est: his tibi adnotatis reuertar ad aliam literæ partem, in qua ponit diuisionem essentialem à materia, in qua calor febrilis fundatur, prius confirmata superius dicta diuisione febris per se & per accidens; & dicit, PROCEDAMVS ergo secundum id quod consuetum est, Dicamus ergo

propterea quod febres apostematum & oppilationum sunt febres accidentes, & aliæ febres sunt ægritudines, tunc conueniens est ut dicamus quoniam propterea quod omnia quæ sunt in corpore hominis, sunt tria genera, scilicet membra continentia illud quod est in eis de humiditatibus & spiritibus, quorum comparatio est comparatio parietum balnei; Et humiditas contenta & eius comparatio est comparatio aquæ balnei; Et spiritus animalis, & uitalis, & naturalis, & uapores sparsi, & comparatio eorum est comparatio aeris balnei, Et accensum cum caliditate extranea inflammatione prima est illud quod quando ipsum extinguitur infrigidatur quod ei uicinatur, & quando infrigidatur illud quod est uicinum ei non oportet ut ipsum extinguatur, immo possibile est ut remaneat & redeat, & calefaciat illud quod ei uicinum est, existens unum istorum trium, extra quæ non inuenitur in homine genus corporeum. Procedit itaque Auicenna declarando essentiam febris, per essentialem diuisionem, quam sumit a materia in qua calor præter naturam primo generatur, & pabulatur, sicq; secundum tria genera partium nostrum corpus constituentium tria genera febrium diuersa secundum diuersa subiecta recipientia calorem præter naturam designat; Partes uero nostrum corpus constituentes tres genere sunt, nimirum membra humores & spiritus, siue uapores, neque aliquod aliud præter dicta in hominis compositione inueniri potest, in quibus dixit calorem febrilem fundari, quam diuisionem accepit a Galeno primo de Differentiis febrium, & ab Hippocrate sexto de Morbis uulgaribus, & quoniam litera satis clara est, ideo non plurimum in uerborum declaratione laborandum est; prima pars literæ confirmat opinionem dicentium febres apostematum, & oppilationum, uel ab aliis præter naturam dispositionibus ortas esse febres quas accidentales antiqui dixerunt, animaduertendum tamen est, quod tametsi accidentales dicantur non propterea simpliciter accidentia dici debent, sed in eo quod ab aliquo alio morbo uel præter naturam affectu proueniunt, siquidem febris omnis morbus in complexione est, sic uides Auicennam confirmare opinionem dicentium febrem esse aliquando morbum per se, & aliquando accidens alterius morbi, uel dispositionis præter naturam, quam sententiam cum confirmauerit, declarat quomodo calor præter natu-

ram tres dictas partes nostri corporis accendere possit, etenim sicut ex sententia Hippocratis sexto de Morbis uulgaribus particula octaua, quam laudauit Galenus ut meliorem & ueriorem; uerba uero Hippocratis haec sunt, corpus nostrum constituunt continentia, contenta, & impetum facientia, & Auicenna hic membra uocat eas partes corporis, quas continentia dixit Hippocratis sed partes, quas contenta uocat, quae sunt humiditates seu humores tam in uasis quam in aliis partibus corporis existentes, Auicenna humiditatem contentam in membris uocauit; impetum uero facientia dixit esse spiritum animalem & uitalem & naturalem, & uapores sparsos, siquidem flatus, uapores, & spiritus impetum faciunt, cum nil aliud sit uentus ex Aristotelis sententia quàm uapores impulsi. Constat itaque corpus ex tribus dictis partibus componi, hanc diuisionem omnes accipiunt omnes etiam laudant, cum se teneat ex parte subiecti aegritudinum & sanitatis; porrò id, quod medico ad cognoscendum primum est necessarium, cognitio corporis humani & partium eius est, secundum uero sunt morbi, causae, & accidentia; quoniam istis ignoratis nec praedicere, nec curare recte poterit. Prosequitur deinde & comparat Auicenna tres dictas separatim tribus partibus, quae in balneo sunt; & primo comparat membra solida nostri corporis parietibus balnei; secundo humiditates contentas siue humores comparat aquae existenti in balneo; tertio spiritum animalem uitalem naturalem & uapores sparsos comparat aeri balnei. quod scilicet balneum est accensum cum caliditate extranea inflammatione prima, est illud quod scilicet accidit hoc si eius extinguatur caliditas, utique infrigidabitur, adde & etiam quod ei uicinatur, scilicet partes uicinae, & sequens suam declarationem dicit: ET QVANDO infrigidatur illud quod est ei uicinum, non oportet ut ipsum balneum extinguatur, immo possibile est ut remaneat, & redeat & calefaciat illud quod ei uicinum est existens unum istorum trium generum; uult dicere balneum non solum calefacit partes internas, & quae in eo continentur, sed etiam partes exteriores propinquas; & hoc est sensatum, quoniam siquis ad partes exteriores balnei, a caliditate interiore balnei calefactas accesserit cognoscet eas calidas esse, si uero remoueatur caliditas intrinseca balnei, non tantum balneum infrigidabitur, uerum etiam & exteriores par-

tes; sed si aliqua ex causa partes exteriores infrigidentur, non propterea caliditas balnei extinguetur, immo possibile est ut remaneat balnei caliditas, atque etiam calefaciat partes exteriores, quæ infrigidatæ fuerunt, præsertim si partes illæ sint una uel plures ex tribus dictis partibus balneum constituentibus, quæ partes comparatæ fuerunt corpori humano, & sunt membra, humiditates, spiritus & uapores, præter quas non datur in homine aliquod corporeum genus faciens ad eius materialem compositionem, dixit hoc propter formam quæ est pars essentialis cõpositi: his expositis uideamus sequentem partem literæ, in qua parte ponit diuisionis exempla dicens: ET SI accendatur febris in membris radicalibus accensione prima, sicut accenditur adustio, uerbi gratia in parietibus balnei, aut in folle ferrarii, aut in olla coci, tunc illud genus febrium nominatur febris hectica; Et si accenditur febris accensione prima in humoribus, deinde accendatur ex eis in membris, sicut accidit ut effundatur aqua calida in balneo, & igniantur lateres causa eius, aut ius calidũ in olla & accẽdatur olla causa eius, tunc illud genus febrium nominatur febris humoris, & si accendatur febris accensione sua, prima in spiritibus & uaporibus, deinde accendatur ex eis in membris & humoribus sicut accidit ut perueniat ad balneum aer calidus, accendatur ignis in eo, quare calefiat aer eius & perueniat ad aquam & parietes, tunc genus illud febris nominatur febris ephemera id est unius diei, quoniam est accensa in re subtili, quæ resoluitur cum uelocitate, & raro pertransit diem cum nocte sua nisi conuertatur ad aliud genus febrium. Confirmat Auicenna & declarat in hac serie & processu uerborum suam ab Hippocrate & Galeno sumptam diuisionem, per diuersa exempla secundum diuersitatem subiectæ materiæ, in qua calor præter naturam accenditur, & dicit si accendatur febris in membris radicalibus accensione prima sicut accenditur adustio; uult dicere si membra solida & continentia reliquas duas partes nostrum corpus constituentes incendantur primo, quæ membra solida se habent ad præscriptam comparationem sicut parietes balnei, uel folles fabri, uel olla coci, ad aquam in balneo existentem. Talis inflammatio in membris solidis dicitur a Græcis febris hectica, latinis uero habitudinalis, quoniam non ab alio pendet caliditas sed per se est in membro, & habitum & permanentiam

acquisiuit. At si caliditas præter naturam, quæ febris dicitur accendatur primo in humoribus, & postea ex ea caliditate accendantur membra solida, ut posset quis sensata cognitione cognoscere est comparatio aquæ balnei ad parietes balnei, uerbi gratia, si effundat aquam calidam in balneo scilicet frigido & occasione caliditatis aquæ feruentis latera seu partes & parietes balnei incendantur, aut si quis ponat ius calidum in olla frigida, & olla quæ erat frigida à feruenti iure incendatur, tunc illud genus febris humoralis dicitur; Notabis tamen febres humorales esse duas genere, uidelicet putrida & non putrida, putridæ sunt synocha cum putredine, tertianæ, quartanæ, quotidianæ, non putridæ uero humorales sunt synochus & tertiana ambustiua, & ut omnia sub uno comprehenderet genere dixit humoralem. Deinde dixit & si accendatur febris id est caliditas extranea & præter naturam primo in spiritibus & uaporibus, deinde spiritus ita calefacti caliditate extranea calefaciunt membra & humores ut contingit, quando aer calidus ad balneum deuenerit, & ex hac causa calefaciat eum, huiusmodi febris ephemera seu unius diei uocatur, & reddens causam cur hæc febris & unius diei ut plurimum sit, dicit hoc esse quoniam calor extraneus accensus est in substantia subtili spirituosa seu uaporosa, quæ cito & sine difficultate resoluitur, & raro inquit est uidere hanc febrem diem cum nocte sua pertransire, nisi ad aliud genus febrium conuertatur, nempe ad humoralium uel habitudinalium; quæ ambæ febres & humoralis & habitudinalis sæpe sunt diuturnæ, uel longæ non sine discrimine: his dictis Auicenna per notam illationis concludit suam essentialem diuisionem & dicit, HAEC ergo diuisio febrium est per modum propinquum diuisioni conuenienti per differentias. Notabis etiam hic Auicennam dixisse diuisionem febrium per tres subiectiuas partes materiales, in quibus calor febrilis accenditur, esse per modum propinquum diuisioni per differentias, adde tu essentiales; & hoc quoniam febris non habet essentiales differentias, sed quasdam similes essentialibus differentiis, & hoc satis est medico ut cognoscat febrem, quæ est sub genere caloris per quasdam alterationes distinguentes caliditatem febrilem secundum diuersum modum caloris, & hæ alterationes nil aliud sunt quàm modi diuersorum accidentium in calore præter naturam, ut sit idem calor præter natu-

ram ſecundum genus,& qui alteratus, alius ſecundum nomen dicitur,ut dicimus de homine ægro qui differt a ſeipſo ſano, & de dormiente qui differt á uigilante; hæ differentiæ in febribus deſeruiunt, ut faciunt differentiæ eſſentiales, quoniam diſtinguunt unam febrem ab alia febre, puta hecticam ab humorali & ephemera, facit quoque cognoſcere eſſentiam ſuam eſſe diuerſam; porró ex Ariſtotelis ſententia in Topicis,& Porphyrii in prædicabilibus,differentiæ eſſentiales ſpecies conſtituunt, ſic & in hac poſita diuiſione per tres ſubiectas materias caliditatem febrilem ſuſcipientes tria in primis genera febrium medici conſtituunt, ut ſupradictum fuit & hæc diuiſio magis dearticulata quám prior eſt, quæ & eſſentialis á medicis dicitur, quippe cum eſſentiales differentiæ primæ in febre, quæ eſt in genere caloris ſumi debeant á caloris præter naturam diuerſitate, uidelicet á maiori uel minori acredine, continue & uniformiter affligentes ut in habitudinali, aut cum diuerſitate & remisſione, ut in humoralibus, uel quoniam calor mitis eſt & ſimplex ut in ephemeris.Deinde poſt unam diuiſionem aliam ponit & dicit: ET DIVIDVNTVR febres alio modo, dicitur enim quod de febribus ſunt febres acutæ & de eis ſunt non acutæ & de eis ſunt chronicæ & de eis ſunt non chronicæ, & de eis ſunt nocturnæ & de eis ſunt diurnæ, & de eis ſunt ſalubres recte, & de eis ſunt habentes accidentia horribilia, & de eis ſunt dimittentes, & de eis ſunt inſeparabiles: & de inſeparabilibus ſunt quædam quibus inſunt intenſiones & remisſiones, ſeu tepores, ſeu intenſiones ex fortationes, & de eis ſunt ſimiles, & de eis ſunt calidæ, & de eis ſunt frigidæ,habentes rigorem aut horripilationem,& de eis ſunt ſimplices & de eis ſunt compoſitæ. In hac ultima parte huius capitis ponit Auicenna quaſdam alias diuiſiones, non ita eſſentiales ut ſunt illæ, quas ſuperius poſuerat, ſunt tamen utiles & ad dictas conſequuntur, quoniam ſecundum diuerſitatem materiæ in qua calor febrilis accenditur diuerſificantur maneries & modi febrium, ut in unaquaque parte iſtius ultimæ diuiſionis dicam; á prima incipiens:& eſt ex febribus aliæ acutæ id eſt celeriter terminantes, quæ ut dixit Hippocrates ſecunda particula Aphoriſmorum ſunt illæ quæ in quatuordecim diebus terminantur, uel ut dicebat Galenus in eodem commento, acuti morbi ſunt qui magni ſunt atque etiam uelociter ad ſtatum mouentur,ut eſt

tertiana exquisita & causon, atque etiam illæ quæ habent accidentia fortia, & tametsi aliquando in acutis crisis seu terminatio prorogetur ad uigesimum diem, non tamen nomen acutarum dimittunt, quoniam ad esse acutarum est etiam annexum quod sint cum timore; febres uero, quæ non acutæ dicuntur, sunt mites, ut est ephemera, quæ tametsi unius diei ut plurimum sit, non propterea habet uel calorem uel accidentia fortia, uel sunt illæ, quæ non sunt fortes neque malignæ, tametsi non cito terminentur, sed aliquando longæ sint, ut sunt quartanæ, & quædam tertianæ nothæ sine malis accidentibus; secunda diuisio est febres quædam sunt chronicæ, & quædam non chronicæ; chronicæ autem illæ dicuntur quæ diuturnæ sunt, quæ quadragesimum & amplius diem transeunt, ut sunt quartanæ, quotidianæ, & tertianæ quædam nothæ, uel illæ in quibus humores ualde crassiores à caliditate præter naturam arripiuntur; & ut nosti apud Græcos χρόνιον antiquus homo significat, significat etiam χρόνιος id, quod Latini longum siue diuturnum dicunt, sunt igitur longæ quædam ut dictum est; non chronicæ uero sunt illæ omnes, quæ cito terminantur, & breues sunt, utputa illæ, quæ in quartodecimo, uigesimo, aut ante quadragesimum diem terminantur; ex quibus sunt tertianæ exquisitæ, causon, sinochæ, & etiam quædam tertianæ nothæ, in quibus non plurima materia crassa admista est: ponit subinde tertiam diuisionem quæ talis est; & de eis sunt diurnæ & quædam nocturnæ, diurnæ sunt illæ, quæ uel diurnis horis affligunt magis, uel quod uespertinis horis ægrum dimittant, ut sunt plurimæ tertianæ; nocturnæ uero sunt, quæ uel nocte hominem magis molestant, tales autem sunt quæ uel quotidianæ, uel quartanæ, uel tertianæ nothæ cum plurima materia pituitosa aut melanchonica sunt permistæ. Notabis hic quod tam diurnæ, q̃ nocturnæ sunt malæ, quoniam ut plurimum longæ sunt, ex permistione humorum crassorum, uel ex imbecillitate uirtutis non potentis materiam frigidam permistam calidæ præparare. Sequitur quarta diuisio quæ talis est, & de eis sunt salubres rectæ, & de eis sunt habentes accidentia horribilia; salubres febres rectæ sunt ephemeræ & intermittentes ut sunt tertianæ & quartanæ quæ neminem iugulant, præsertim si utuntur debito regimine tam sex rerum necessariarum, quàm medicinalium, & dicuntur rectæ si non habent accidentia timorosa, ut sunt lipothy

miæ,alienationes & similia accidentia quæ uirtutem obtundant; habentes uero accidentia horribilia omnes sunt timorosæ, ut est febris syncopalis,& aliæ non intermittentes, quoniam ut dixit Hippocrates quarta particula Aphorismorum Aphorismo xliii. febres,quæ non intermittunt tertia die non carent periculo,quoniam ex continua putredine in uenis contrahitur mala qualitas in humoribus uenefica,à qua sequuntur accidentia sæpe terribilia,ut est pulsus debilitas,uigiliæ,& alienationes. Quinta diuisio est de eis sunt dimittentes,& de eis sunt inseparabiles; febres autem dimittentes sunt illæ quæ inter unam & aliam accessionem tempus aliquod interponunt, ut sunt tertianæ & quartanæ, & sunt illæ ut plurimum, quæ incipiunt cum typo horripilatione frigore,uel rigore,& terminant per sudorem. Inseparabiles uero sunt illæ,quæ continue affligunt & sunt synochæ, causonides, continuæ proportionales,& habitudinales. Notabis etiam quod Auicenna has quinque diuisiones febribus simplicibus & complicatis dedit, & ratio est quoniam quando febres componuntur inter se altera alterius mutat conditionem, ut si cum ephemera putrida uel habitudinalis componatur utique uel longa uel acuta dicetur non per se sed ex complicatione alterius febris. Notabis quoque quod Auicenna secundum membrum diuisionis sub diuidit,& ait; Et de inseparabilibus sunt quædam quibus insunt intensiones & remissiones; Nam in tribus generibus febrium synocharum, hæ diuersitates ab antiquis annotatæ sunt, quippe cum in augmastica febre, quæ a Latinis increscens dicitur, quoniam semper augendo procedit.hoc clare apparet;contrarium est uidere in paragmastica,quæ a Latinis decrescens dicitur, semper enim hæc febris decrescendo usque dum deuenerit ad infebricitationem procedit.cum uero dicit Auicenna subdiuidendo;& de eis sunt similes,hoc est uidere in tertia specie synochi, quæ a Græcis homotona dicitur, à Latinis uero æqualis uigoris,quia à principio usque ad finem æqualiter calor præter naturam uniformis est,habent præterea tertianæ & quartanæ continuæ in aliquibus horis remissionem,& continuæ quotidianæ teporem in aliquibus temporibus. Sexto diuidit febrem in calidam & frigidam & habentem rigorem & horripilationem.Potest hæc particula mea quidem sententia aliter exponi quam multi exponentes exponunt, & sic meliorem sensum habebimus, nanque sunt quæ-

dam febres compositæ in quibus exteriores partes calent, intrinsecæ uero frigent, & é contra sunt quædam in quibus exteriores partes frigent & interiores calent, ut in empiala & liparia; siquidem in empiala frigus occultatur intus, exteriores uero partes plurimum calidæ existunt, quare hæ similes febres calidæ sunt, tametsi cæteræ febres calidæ sint, sed ista posset dici calida respectu lipariæ, in qua partes exteriores frigidæ sunt, & interiores calidæ. Potest etiam exponi locus dicendo quædam febres sunt calidæ, & sunt continentes sine frigore, typo uel rigore, ut sunt synochæ, causonides, & habitudinales, liparia uero cum habeat exteriores partes frigidas ad hunc sensum febris frigida dici potest uel exponatur, frigidæ ut multi exponunt addendo uerba Auicennæ, quæ subsequuntur habentes rigorem, & horripilationem, ita ut sit rigor & horripilatio, pars declaratiua & exponens quid intelligat per febrem frigidam, etsi illa in qua apparet frigus uel rigor aut horripilatio in principio accessionis, & per hunc modum principii accessionis distinguatur ab aliis sine rigore & frigore uel horripilatione. Vltima diuisio est ex febribus quædam sunt simplices & quædam compositæ, simplex febris dicitur multis modis, dicitur quidem tertiana exquisita simplex quando sola cholera sine permistione alterius humoris putret, similiter & quartana dicitur simplex si simplex humor melancholicus putret, pari passu de aliis dicendum: Dicitur quoque simplex febris quando non est associata seu complicata cum alia febre; dicitur etiam simplex si non sit composita ex aliis febribus, ut est ephemera per se, uel putrida sola, uel habitudinalis. Compositæ autem sunt contrario modo, quoniam possunt febres dici compositæ si non ab uno humore putrescente fiant, sed á permistione unius cum aliis humoribus, ut fit in tertiana notha maioris famæ, in qua & melancholicus humor cum cholera & pituita permistus sit, compositæ etiam dicuntur febres si cum aliis febribus complicantur, uel alio morbo, ut uerbi gratia si tertiana cum hectica aut alia febre complicetur, uel sit febris cum apostemate aut alio morbo particulari. Compositæ etiam dicuntur duæ tertianæ singulis diebus affligentes, uel quartanæ duæ, & tres affligentes quotidie, uel intermisso uno die. Notabis tamen quod etsi ultimæ hæ diuisiones non sint ita essentiales ut illæ quæ a calore & materia, in qua calor incenditur sumun-

tur, nihilominus sunt utiles medico, & sæpe ad essentialem differentiarum cognitionem medicum dirigere possunt. Hæc quidem & plurima alia exempla potuissem ad declarationem dicti capitis ad te scribere, sed ut scis ægrotantium numerus, & senectutis onus, sæpe me à scribendo auocant; equidem in futuris expositionibus, quæ hic breuitati studens prætermisi, si dabitur opportunitas fusius scribam. Vale & da operam studiis. Venetiis, M D LII. die III. Decembris.

AD LAVRENTIVM MASSAM NEPOTEM, de loco ubi putrescunt humores in febribus intermittentibus Epistola.

EPIST. VII.



REM quidem petis à me Laurenti omni ex parte arduam, & difficilem, quæ tum animi tum corporis maiorem quietem exigeret, quàm ego in præsentia habeam, & quæ non adeo potest clarè & dilucidè tumultuario epistolæ stylo explicari. quicquid tamen illud sit quod me magnopere impedit, tibi, & amicis pro uirili parte satisfacere conabor, & quæstionis explanationem sic exordiar. Quæstio itaque, ut ais, antiqua inter medicos fuit de loco ubi materia, quæ causat febrem putridam intermittentem, & habentem accessiones, putrescat; nunquid. s. in uenis, uel potius extra uenas, ut maior pars medicorum affirmat. Et ut in re difficili plumbeo (ut inquiunt) pede procedamus, salua antiquorum reuerentia rem melius quàm nobis ipsi reliquerint tibi aperiam; cum facile sit unicuique inuentis rebus aliquid de suo addere. misso igitur longiori præludio ne nimis oratio prolongetur hac in re tecum sic fari incipiam, a debilioribus exordiendo. Porrò accessionum causæ sunt inordinatus aliquis halitus, uapores ue, aut subtiliores humoris partes alteratæ alteratione non naturali, non sine acredine, quæ è uenis sæpissime egrediuntur, stimulata expultrice uirtute eas ad uicina membra sensibilia demandante, nonnunquam etiam uapores illi extra uenas eleuati ad eas ipsas sensibiles partes pelluntur utpote nerueas uel neruis commistas, quales musculi membranæq; sunt; qui quidem

uapores cum ad sensibilia membra deuenerint, tristem sensum & dolorem faciunt; qua de causa membra illa percepto nocumento, a uirtute motrice ut illud pellant mouentur motu aliquando contractiuo, aliquando concussiuo. & hoc pacto fiunt accessiones, siue motus quidam ad expulsionem rei sua qualitate primò nocentis & etiam sua quantitate in febribus, quas intermittentes uocant: nec semper eodem modo motus, aut accessiones fiunt stimulante materiæ qualitate, uel quantitate, cum diuersæ sæpenumero inspiciantur. Tremor enim insurgit si cutis exterior stipata fuerit ita ut uapores liberè egredi minime possint. Sunt etiam, ut dixi, sæpe humores aliqui subtiles & acres, qui ex iam dicta causa, è uenis extra ad membra sensibilia pelluntur, & cum meatus in ambitũ corporis uel uenæ ex aliqua causa obstruente occludantur, ita ut contenti in ipsis humores minimè spirare, sed facile putrescere possint; ii sua qualitate, & quantitate grauant & stimulant uirtutem motricem non solum motum tremulum causantes, uerum etiam, cum sint magis corporis quàm uapores membra sensibilia stimulantes, maius inferunt nocumentum sensibilibus partibus quàm faciant ipsi uapores. Ex quo sequitur maior etiam motus, qui non tremor tantum sed concussio uehemens est; quam rigorem uocant; post quem si meatus occlusi fuerint ita ut respiratio prohibita sit, febris sæpissimè accenditur, ut dixi. Vbi uerò tam uapores dicti, quàm humores sua quantitate, uel qualitate, aut in toto, aut in partibus non ita ualidi fuerint, nullum ex eis, quæ modo diximus, sequetur accidens; Videlicet nec horripilatio, nec rigor, sed inæqualis quidam sensus percipietur, qui ulcerosus dicitur. At cum uapores, uel subtiles humores, qui a uenis pelluntur nocui sunt, uel sua qualitate, uel quantitate non paruam de modo expulsionis difficultatem faciunt Ait Galenus xvi. de Vsu partium uenas, & arterias si incidantur non sentire neque dolere, quòd cum res ita se habeat ut omnino careant sensu dicet aliquis quomodo uenæ possunt stimulari aut a qualitate, aut a quantitate humoris? Difficilis quidem primo ingressu apparet hæc quæstio quam tamen ego facile dissoluere possim, si prius quædam attingam, quæ quidem & hominibus uulgaribus, & illis qui nondum prima lumina medicinæ salutauerunt, sunt notissima, non enim dixero illis qui in arte iam insenuerunt. & primum illud est fieri impetus ad expellendum a uirtute mem-

bri innata, si aliqua uel materia uel uapor præter naturam in ipsis membris residens illa lædat. Sed cum res mihi cum medicis rationalibus sit, qui & rationibus, & experientiæ facile acquiescunt, ideo iterum rem in hunc modum declarabo. Cum unicuique membro quatuor ad sui custodiam & conseruationem uirtutes a natura datæ sint, ut unusquisque in se ipso quotidie experitur, uidelicet attractrix, retentrix, concoctrix, & excrementorum & nocui expultrix, quam sententiam omnes sapientes affirmant, & pulcherrime Galenus in libro de Potentiis naturalibus & experientiis & rationibus probauit. nam cum continue calor naturalis humido radicali pabuletur atque nutriatur, ipsum hoc absumere, & exsiccare consentaneum est. & ea ratione natura quæ non deficit in necessariis neque abundat in superfluis, dedit unicuique membro & particulis eius licet etiam sint sensus expertes & alias uirtutes uirtutem attractricem ut alimentum attraherent, loco deperditi humidi a calore natiuo exsiccati. Et ut secundum opportunitatem apponeretur, dedit etiam retentricem, ut attractum alimentum debito tempore retineret. Dedit etiam uirtutem concoctricem, ut retentum alimentum coquendo permutaret, & simile mẽbro nutriendo efficeret atque in sui substantiam conuerteret. At quoniam in unaquaque concoctione excrementa semper resecantur quæ etiam aliquando mala aliqua qualitate afficiuntur, ideo natura dedit etiam membris uirtutem expultricem, ut omne genus excrementorum, & lædentium expelleret. Cum igitur res ita se habeat facile propositam quæstionem unusquisque soluere poterit, & ueritatem operationis naturæ cognoscere, hoc modo rem exponendo expulsionem in accessionibus febrium intermittentium, uel alio quouis modo factam non dicemus esse quoniam uenæ aut arteriæ, aut membra alia in quibus iam collecta est materia a qua uapor acris eleuatur, sentiant nocumentum, per sensum puta tactus, ita ut qualitatem uel quantitatem uaporis per sensum percipiant, sed dicemus ex intentione naturæ a uirtute expultrice membri molestatæ, quæ abhorret talem uel talem rẽ, fieri sequestrationem mali a bono, ut pars quæ nocua est, & minime nutrire potest, expellatur, quæ uero ad nutrimentum faciunt attrahantur. Nam si id quod a natura membri tanquam nocuum pellitur, cum bono remaneret, bonam utique nutritionem impediret, ut uidere est in corporibus malis succis repletis,

quæ cacochima a Græcis dicuntur.sed cum hi mali humores cau ſam,a qua putreſcant,non habeant uel ex ſe ipſis ſua ſubſtantia, uel quantitate,uel qualitate putreſcunt,& ſi ad membra attrahan tur nutriunt illa quidem,ſed non probè;quoniam cum nutrimen tum excrementoſum ſit, quod non regulatur a membri uirtute, ex eo ſequitur ſcabies uel aliæ infectiones cutaneæ, aut articulo- rum dolores,pulſa.ſ.ad iuncturas materia. Quòd ſi ad aliquod membrum pellatur,& è uenis egrediatur,atque ad loca uacua de ſcendat,fient abſceſſus, uel alii præter naturam affectus, tam in- teriores quàm exteriores; quæ expulſiones citra rigorem & fri- gus ut plurimum fieri conſueuerunt, quoniam illa materia quæ a uirtute expultrice ſenſim pellitur, cum non ſit putrida, neque putreſcere incipiat,nullum triſtem ſenſum cauſat etiam ſi illico & ſubitò ut ſuperfluum & nocuum ab expultrice uirtute pellatur, quæ non operatur quoniam ſentiat,ſed per propriam ſuam natu ram, ut excrementa expurget, nocuumq́; quodcunque pellat. quod uidere eſt in ſudore ſpontaneo, in deſcenſu,& deſtillatio- nibus a capite ad fauces,atque in quampluribus de uno ad aliud membrum permutationibus, quæ materia in tranſitu non ſenti- tur, ſentitur tamen ſi in aliquo ſenſibili membro reſidet. ſed un- de digreſſa eſt oratio eò reuertatur;ut etenim in ſermonis princi- pio dicebatur,id quod pellitur, aut eſt acris quidam uapor, uel ſubtilis aliqua materia acris quæ a maſſa humorali,quæ eſt in ue- nis extra pellitur; qui uapor, aut ſubtilis humor, ſiue a bili ele- uetur,uel ſit pars ſubtilioris humoris billioſi,uel melancholici aut pituitoſi,non refert; ſatis eſt,(ſi credimus Galeno decimo Metho di,reddenti cauſam horripilationis,frigoris & rigoris qui accidit in febribus intermittentibus)qui dicit cauſam horum omnium eſſe mordacem halitum,uel ſubtilem aliquem humorem uel ſuc- cum,per ſenſibilia membra delatum:ita ut,cum eò deuenerit,hor rorem,& inæqualem totius corporis concuſſionem faciat, & in his qui cum ſtipatam cutim habeant, retentis his quæ ſuliginoſa ſunt,quæque antea ſpirabant,febrem(dum cor petunt) gignunt. Ex quibus apparet horripilationes,frigora,& horrores(in inter- mittentibus febribus)fieri a uapore,uel humore putreſcente, pul ſo ad ſenſibilia membra:quæ cum nocumentum ſentiunt mouen tur motu naturali,& non uoluntario, ut ſibi nocuum uel ſua qua litate uel quantitate,expellant, ſiue illud fuerit a uaporibus, ſiue humori-

humoribus illatum:& ea ratione fiunt rigores, quoniam uapor siue humor, qui pellitur ad membra sensibilia, acris est, & mordax, ita ut non possit ea qualitas à membris tolerari. At si uapor, uel humor minus acris fuerit ab eius pulsione modus cuiusdam frigoris sequetur, quod si parua admodum fuerit acredo horripilatio sequitur: neque aliam rationem quærere in aliis humoribus, uel uaporibus oportet, eleuatis ab humore melancholico uel pituitoso putrescente; cum non tantum in accessionibus ratio talium accidentium à materia, quæ à qualitate acri putredinali in ipsis uel ab ipsis (tametsi frigidi sint) excitata est, sumenda sit, cum ex dictis uapores, & humiditas, quæ à uenis à uirtute expultrice pellitur, sint ex subtilioribus partibus, quæ in uenis putrescere incipiebant, quibus sequestratis & pulsis à uirtute expultrici consentaneum est dicere quòd in hoc modo expulsionis si uapores tantum expelluntur nullam materiam extra uenas egressam esse, & per consequens non putrescere extra. At si subtilior pars humoris, ut etiam credidit Galenus x. Methodi, illa quidem pauca erit, subtilisq;, quæ egressa putresceret, & hoc non negant qui credunt materiam in uenis pro maiori parte in intermittentibus putrescere, quæ citò etiam immo citissime à calore absumi potest, cum & pauca, & subtilis sit; quare cum contrarium in febribus intermittentibus appareat, quæ si ex syncera bile non fuerint sed permista, per plurimas horas hominem affligunt, ita ut aliquando uisæ sint tertianæ cum calore extraneo per xxx. & xl. horas continuare, & sæpe usque ad nouam accessionem, quod nulla alia de causa factum fuit, nisi quoniam materia reliqua non fuit pulsa, uel ob crassitiem uel ob meatuum angustiam, uel ob uirtutis expultricis imbecillitatem aliquam, sicq; dum putrescit intra, etiam uenas continua fit ad cor euaporatio, & ipsius calefactio, qui calor diuersus est secundum subiectam rei materiã. Etenim si choleræ non plurimum pituitæ permistum fuerit, acris erit febrilis calor, at si cum bile plurima materia pituitosa admista fuerit, ut contingit in cholera notha maioris famæ, non acris erit febrilis calor. Similiter si humor pituitosus syncerus putruerit, ita ut putridi uapores ad cor eleuentur calor febrilis mitissimus erit. hoc idem de humore melancholico naturali putrescente dicendum est, respectu biliosi. Sed potest quis imaginari multam materiam crassam à uenis pelli à uirtute, & extra uenas putrescere sicq; fe-

brem causare. Hæc imaginatio minimè sensibus conformis est, & quo pacto uideamus; horripilatio frigus & rigor fit, quoniam, ut dictum est, uapor, uel subtilis aliquis humor acris cum ad membra sensibilia, puta musculos uel membranas peruenit, a uirtute pulsus, sua qualitate mordaci irritat ea ipsa membra; tunc enim musculi & non membranæ alterantur, & acri humoris uel uaporis qualitate stimulantur; cessant uerò postquam iam in sui naturam temperamentum mutauerunt. Etenim si imaginatio esset uera cum continuè materia pulsa maiorem gradum putredinis acquirat, & per consequens maiorem caliditatem, sequeretur continuè maior horripilatio, uel frigus uel rigor, ad paroxismi. s. uigorem,. cum semper augeatur putredo usque ad illam horam; nam si continuè augeatur putredo materia calidior efficitur, magis etiam stimulat membra sensibilia. Præterea si hæc materia pulsa multa esset, & ad musculos descenderet, utique in tumorem partem aliquam eleuaret; atque si nimis crassa esset, abscessum aliquem durum causaret, uel non durum materia non existente crassa; qui abscessus aliquando suppurata materia & in pus conuersa, rupturam seu exulcerationes in membris causaret. Vt contingit aliquando si materia a capite ad fauces detrudatur, causantur synanchæ. Et in expulsione uariolarum in pueris dum natura sanguinem mundificare aggreditur, primum fit sanguinis calefactio, & febris ingens, mox pulsiò materiæ per uniuersum corpus, quæ etiam materia in pus conuertitur. Hoc apparet in pestilentibus quibusdam, cum natura ultimo conatu, ex malignitate contracta in massa humorali, ad mundificandum sanguinem, & nocuum expellendum insurgit: ex quo sæpe sequuntur tumores pestilentes, carbones, & alia genera tuberculorum non ex alia causa, nisi quoniam præter uapores plurima etiam materia extra uenas pellitur, quare cum in febribus benignis non pellatur materia plurima, nec crassa, sed uapores, & subtiliores humiditates, quæ non possunt longam cordi effumationem communicare, neque per pluri mas horas prorogari, relinquitur ut materia faciens febrem partim extra uenas, & illa quidem subtilis & pauca, partim intra uenas, & hæc quidem crassior & pro maiori parte putrescat: quod confirmant urinæ colore rubro ex crassitie atque permistione di uersorum humorum. Diuersa etiam genera sedimentorum in eis apparent, quod sedimentum uel nubecula, solet attestari bonita-

tem,uel malitiam,& modum,& tempus putredinis humorum putrefcentium. Etenim fi uniuerfa materia putrefceret (ut aiunt) extra uenas quomodo quæfo poffemus nos per lotium cognofcere crasfitiem,& præparationem humoris putrefcentis,& facientis febrem: cum lotium fit excrementum fanguinis a iecinore & uenis decifum. In quo fi apparuerit nubecula alba, lenis, & æqualis fignum indubitabile erit, præparationis,& bonitatis materiæ facientis febrem,ut fcripfit Galenus in libris de Crifibus, & asfimilauit nebulam in urinis febricitantium,faniei,& puri in ulceribus interiorum & exteriorum membrorum;& id ampliauit in exemplo fuo de Pleuritide adducto. Porrò quemadmodum materia fi multa,& non cito regulatur ex omni parte a calore naturali in ulceribus dum incipit calor naturalis eam præpare,fed procedente actione caloris albefcere incipit, atque in meliorem fubftantiæ modum conuerti; pari modo fit fi materia in uenis putrefcat, & calor naturalis eum humorem præparare incipiat, apparet in urinis etiam nebula, & mutatio tum fubftantiæ, tum coloris, & aliarum qualitatum. neque alio modo humor in uenis contentus poteft per urinam euacuari,nifi quoniam,excrementum aqueum a natura renum attrahitur,& ad ueficam defcendit, & quod putridum in uenas erat, per urinam educitur, uel a naturali calore per infenfibilem euaporationem,cõuerfum extra pellitur; uel ab eodem calore ad benignum reducitur,ut credit Galenus in libello artis paruæ dicentis concoctionem putredinem tollere manente nihilominus materia. ficq; diuerfas infpicimus urinas, tam in fubftantia quàm in calore,& quantitate,& eas contentas nubeculas,quod eft fignum uictoriæ,quam uirtus a fuperata materia reportat. E contra uerò fi turbatæ funt, & non regulatæ à calore, oftendunt timorem, & difcrimen & aliquando certam perniciē. Sed(ut ad rem ueniam)fi materia extra uenas putrefceret, quomodo cineritium illud quod eft inter mufculos uel inter alia mēbra & loca poffet uenas ingredi,& ad uias hepatis,renum,& ueficæ ducifita ut nobis oftenderet uictoriam uel caloris regulantis, uel materiæ morbum facientis. Relinquitur igitur ut dicamus, ficut probatum eft, materiam facientem febrem intermittentem putrefcere partim intra uenas,& partim extra uenas,& in maioir quantitate,præfertim ubi paroxifmi longiores fiunt. Et ne aliqua ex parte res quoad fieri poteft ambiguitatem ex antiquorum di-

ctis tibi relinquat, operæprecium erit, ut quædam, quæ antiquorum scriptis obstare possunt declarem. Dicunt enim febres intermittentes incipere cum horripilatione, frigore, aut rigore, atque cum sudore terminare, quod non alia de causa fit, nisi quoniam, quæ extra uenas pulsa fuit materia in uapores conuertitur, qui ad ultimam cutis partem uenientes inspissantur, & in naturam aquæ conuertuntur. & extra pelluntur. quod si ita est quomodo iterum quæso potest lotium, cruditatem aut coctionem humoris facientis febrem, & extra uenas pulsi, ostendere? neque (ut dixi) dici potest, eam, quæ extra uenas pulsa fuit, materiam iterum uenas ingredi, cum iam per sudorem euacuata sit. Quòd si modum, quo in sudorem uapores mutantur quis scire uoluerit, facilè eum docere possum. Nam cum materia quæ extra uenas pulsa est, continuè usque ad febris inclinationem magis subtilietur, & in declinatione calor remittatur, cutis aliqualiter refrigeratur, & uapores uniuntur, inspissanturque, sicque in aqueum corpus mutantur, & postea sensibiliter egrediuntur cum antea insensibiliter egrederentur. Et tametsi sudor naturalis excrementum tertiæ concoctionis sit, quæ completur in uenis paruis deferentibus, & præparantibus alimentum membrorum; nón propterea contradicit dictis, & probatis de loco, ubi putrescat humor in febre intermittenti. Quòd si quis fortè dicere uoluerit cineritium quod remansit extra uenas ex materia, quæ putrescebat, iterum uenas ingredi, & ad uias urinæ meare. errabit utique, & potius ignarus rerum, & operationum naturalium q̃ diligens scrutator diceretur: cum ualde difficilis sit regressus excrementorum quæ semel a natura ipsa abhorrente expulsa sunt, non enim nutrire aut aliquod aliud incrementum facere possunt. Quare dicendum erit cineritium minime uenas ingredi, sed sensim a natura consumi, uel in uapores conuersum uel in sorditiem excrementosam cuti familiarissimã (etiam si sudor fuerit) unà cum sudore egredi. quod uero in uenis residet cineritium (ut dicunt medici,) sed non siccum exsiccatione cineris, sed respectiue ad humorem, siccius, est materia illa, quæ putrescebat, & ea ratione cineritium dicitur, & est pars materiæ, quæ in uenis putrescebat; quæ materia cum a calore regulatur & decoquitur, sequestratur a natura, & separatur a massa humorali, & pars aliqua transit cum colamento sanguinis ad uias urinæ, attracta. a renibus: sicque apparet in lotio sedimentum seu

nubecula secundum diuersitatem temporum morborum diuersimodè a calore naturali alterata, qui est instrumentum naturæ faciens ad omnes operationes eius, reliquum uerò uel ad benignũ reducitur, uel a calore dissolutum in uapores consumitur, & insensibiliter euacuatur. Quòd si uerum esset materiam omnem in febribus intermittentibus extra uenas pelli & inter musculos uel alias corporis partes putrescere, quomodo musculi, & cæteræ partes à manifesta qualitate putredinali per contactum facta se tuerentur? Etenim id quod putridum tangit facilè putrescere potest, uel saltem mutuando temperaturam loci, & eius unitatem soluendo, causaret dolorem uel maximam aliquam aliam læsionem faceret, quæ etiam permaneret per aliquot dies postquam à febre æger solutus esset. & etiam (ut supra diximus) locus aliquis in tumorem eleuaretur subtiliata. s. materia. Quòd si iterum fortè quæritent, & dicant: si materia in intermittentibus non solum extra, sed etiam intra uenas putrescit, quomodo possunt hi ad infebricitationem uenire? cum ex omnium medicorum sententia in febribus putridis assiduis uel continuis intra uenas putrescat? huic quæsito non difficilis est responsio, si materiæ sua quantitate plus & minus resistere possint. & unusquisque humor habeat propriã substantiam in crassitie, & in tenuitate diuersam, per quam uel citò uel tardè à calore dissolui, & consumi, & incinerari (ut dicunt Medici) possit. Siquidem humor biliosus cum sit tenuis, & subtilis secundum sui substantiam, facilè in primis a calore non naturali arripitur facileq; consumitur. Exemplo à stupa, & lignis sumpto si ab igne arripiantur, stupa quidem ubicunque fuerit citò accenditur citoq; consumitur: ligna uerò ubicunque fuerint, neque citò accenduntur, neque citò cõsumuntur. Ex quo apparet quod ratio continuitatis & etiam longitudinis caliditatis in febribus putridis non est semper quoniam materia in uenis putrescat, sed potius quia materia quæ putrescit & à calore præter naturam arrepta fuit, & multa, & crassa est, uel ex sui natura, uel cum alio humore permista, uel aliquo alio modo alterata: utputa a calore assata aut resolutis partibus subtilioribus, & aliquando ex parte uirtutis si imbecillis fuerit neque potens eam regulare, sicq; non quia in uenis accensa sit necessario febrem assiduam facit, sed quia sua quantitate & crassitie potest diutius manere antequam a calore putredinali incineretur, uel quia uirtus imbecillis non potest

eam breui consumere; etenim tandiu febris erit q̄ diu materia ubicunque fuerit erit pabulum caloris præter naturam. sicq; fieri febris intermittens à materia crassa (si pauca fuerit) putrescente in uenis poterit. Poterit etiam fieri continua a materia crassa & multa putrescente extra uenas (diu retento calore) sua crassitie & multitudine. Etenim cùm crassa fuerit & multa non potest a calore consumi, antequam alia materia illò depulsa putrescens pellatur. Quibus sic se habentibus non erit difficile credere tertianam intermittentem, fieri aliquando à parua materia putrescente intra uenas. Minus etiam difficile erit credere ubi in intermittentibus, frigus, horripilatio uel rigor præcesserit, ꝙ aliquo modo partem aliquam, è, uenis eduxerint, & quod in uenis remanserat, melius & citius à calore potuit finiri, consumi, uel incinerari. ita ut à cineritio illo in uenis existente non amplius uapores eleuari possint, ut cor calefaciant. Porrò aliquando putrescunt humores in uenis a corde longinquis, ut puta in extrema aliqua corporis parte, & uapores eleuantur, qui nisi ipsum attingant, nullam febrem causant: sed in extremis partibus siccitas, squalorq; inspicitur, præsertim in uicinis putredini: qua putredine finita non amplius squalent, sed æqualia redduntur membra; ex quibus etiam colligere potes quomodo illud signum: quod semper in ore aliquorum medicorum est, non perpetuò sit uerum, scilicet ꝙ proprium continuarum est non horrere. cum sæpissimè fiat ex dictis rationibus ut aliquando materia pauca, subtilis in uenis putrescat, & citò consumatur, ita ut antequam noua ad locum putredinis aggregetur deueniat æger ad infebricitationem, sicq; erit intermittens sine horrore: & quoniam illa quantitas non grauat neque percipitur à uenis ideo neque a uirtute innata sequestratur, fit etiam aliquando è contra ut materia extra uenas putrescat & nihilominus febrem cõtinuam causet, ut cõtingit in pleuritide. Nam & si materia putrescens sit extra uenas attamen cum sit cordi propinqua non solum febrem accendit sed etiam continuam. Finem huic curiosæ quæstioni mi Laurenti imponam quam tibi scribere uolui, ut magis te ad maiora speculanda aliquando excitem, quàm te ad diligentiam stimularem. Vale. Venetiis, M D L I I, die xvi. Ianuarii.

AD EXCELLENTISSIMVM ET DOCTISSIMUM D. Vincentium Prouincialem de esse seu substantia caloris febrilis.

EPIST. VIII.



OPTABAM Vincenti doctissime, idemq; mihi amicissime, ut aliquando ad te scribendi de re aliqua ardua daretur mihi occasio: ut possem quanti iudicium tuum existimem tandem tibi testatum facere. Modo id quod à me diu optatum est, fors attulit: Nam cum quidam Doctissimi iuuenes de more ad uisendos ægros mecum in cymba essent, cæpissentq; inter se de essentia seu substantia caloris febrilis disceptare, conabantur demonstrare calorem febrilem substãtiam, & corpus quoddam esse: quoniam auctore Galeno ex sententia Hippocratis, Febris est natiuus calor in igneum conuersus: Cumq; (auctore eodem Hippocrate: & Galeno pariter) calor natiuus spiritus & corpus subtile sit: corpus uero substantia esse dicatur, sequitur febrem substantiam corpoream esse: quam sic deductam conclusionem raram, & firmam esse aiebant: quoniam eam disputatam, & approbatam in Gymnasio Patauino fuisse inter clarissimos medicinæ professores publicé docentes audiuerant. Qui etiam iuuenes ut præceptoris placita tuerentur præter plurimas rationes hinc inde adductas, scripta quædam ostendebant, quibus lectis (meo quidem arbitratu) uidebatur hæc esse difficillima ad soluendum quæstio præsertim cum & alii Auicennæ expositores clarissimi eam non ex omni parte declarauerint inter quos Gentilis, Vgo, Arculanus & alii fuerunt. Oratio seu quæstio sic exordiebatur Aristotelis auctoritate id quod ratio ostendit est definitio: Nomen autem ipsum est id, quod confusé quoquomodo iudicat definitionem: quibus sic statutis nomen febris ponderandum sic proponebatur: Febris itaque & nomine Græco, & Latino idem habet significatum, & significat eandem naturam: Nam ut dixit Galenus tertio de Fracturis commento viii. Græcé dicitur Piretos ab igne, scilicet habens denominationem: ex quo infertur nil aliud esse febrem, q̃ igneum quendam calorem: Latiné etiam idem significat: quoniam febris ardorem significat, hanc declarationem nominis au-

ctoritate Auicennæ confirmat dicentis febrem esse calorem extraneum á quo læduntur operationes &c. & ait calorem igneum esse acceptum tanquam commune genus ipsius febris: concluditq; febrem esse calorem extraneum, siue igneum, in quo nomine caloris dicit esse quandam æquiuocationem ex dictis antiquorum, sed præcipue Galeni primo Aph.com.xiiii.& quoque contra Lycum,& etiam in libro de Temperatura: etenim aliquando solam qualitatem significat, & aliquando corpus calidum: quod etiam confirmat testimonio Aristotelis,& Theophrasti, qui dicunt huiuscemodi uocem primo ignem, deinde calorem significare, ex quo inducit hanc distinctionem necessariam esse, ad hoc ut possimus cognoscere, nunquid febris caliditas sit, quæ qualitas est, an substantia, quæ calore affecta est, & dicitur substantia ut ait Galenus citato libro de Temperatura dicens, q prima principia & elementa corporis est calidum, frigidum, humidum, siccum: quod cum ita sit, necessaria fuit dicta de caliditate distinctio, ut quando dicitur febris est calor: uideamus an sit caliditas, uel corpus calidum: quibus uerbis mox alia uerba Galeni sumpta ex libro qui a præceptore declarandus erat: fundamenta contradicentia sequebantur, quoniam ibi dixit febrem esse calorem præter naturam: qui calor secundum Galenum est qualitas: & ad confirmationem ait scripsisse Galenum in libro de Temperamentis, nullum fuisse: qui uocabulum thermodis in solum subiectum referat: igitur qualitatem significat: quando dicimus febrem esse calorem id est caliditatem: plura alia Galeni loca dimittit: quæ hypothesim primam confirmant uidelicet calorem febrilem esse caliditatem: quoniam sunt & aliæ auctoritates dictis contrariæ ut primo Aphorismorum xiiii. & quarto commẽto sexti Epidemiorum,& xxv. atque secundo de compositione medicamentorum secundum genera xxii. quibus omnibus in locis ait calidum præter naturam posse referri ad qualitatem, & ad corpus calidum, neque aliter credendum est: quoniam si quis dixerit ipsum loqui de calido pro qualitate, Galenus sibi ipsi contradiceret: Nam in fragmento libri de his, quæ Plato in Timeo dixit, loquens de calido naturali ait, nomen caliditatis esse calidum corpus: ad quem intellectum dicit debere exponi Aphorismum, qui crescunt: Et illum uentres hyeme, & uere: Ex quibus iterum ait Galenum, ancipitem, & dubium in hac re esse: quare

ad con-

ad conciliandum eius uerba ne sibi ipsi contrarius sit, ex Hippocratis sententia dicit res posse considerari diuersimodè, & secundum diuersam significationem, & ea ratione diuersimodè possunt a Galeno nominari, ad cuius confirmationem ait, in corporibus animantium reperiri substantiam quandam calidam, in qua dominatur ignis, quæ permista est aereis, & aqueis partibus, & est cuique uiuenti necessaria: hæc autem substantia ex sententia Hippocratis & Galeni uel est anima ipsius animantis: uel proximum instrumentum, quo anima ad suas operationes utitur, & hæc substantia habet temperamentum, quod quidem resultat ex commistione dictarum partium, uidelicet ignis, aeris, & aquæ: hanc uero substantiam Hippocrates, Galenus, & Philosophus calidum natiuum appellant; & generatur ex tenuiori, & subtiliori parte sanguinis, & illo fouetur, & conseruatur: quòd si substantia hæc mutatur, & limites proprii temperamenti egrediatur, & fiat calidior, tunc calor ille quatenus excedit proprios limites ratione caliditatis excedit: quia propria ratio caloris natiui est temperatura: sicq; natiuus calor quantum excedit propriam naturam, in caloris extranei naturam tantum mutatur: at si uersus frigidum inclinet uel mutetur, aliud est: pari ratione si ad calidiorem qualitatem conuersus fuerit, febris, siue etiam alii morbi calidi suboriuntur: sed si uersus frigidum mutetur, fiunt morbi frigidi ut est aqua intercutem, apoplexia, epilepsia, & alii similes: sicut ergo calor naturalis in proprio temperamento consistit: ita morbi fiunt per excessum caloris extra proprios limites, & ex dictis infert illationem, & dicit, hæc ergo eadem natura, idem corpus est, quod sub diuersis temperamentis modo est calor naturalis, modo extraneus; quam conclusionem ait Galenum affirmasse viii. Methodi, & in libro de Potentiis naturalibus. repetit etiam id quod paulo ante dixi uidelicet, ꝙ secundum hanc rationem quando dicimus febrem esse calorem extraneum, igneum, dicimus esse illam eandem substantiam, & illud idem corpus, quod cum temperatum fuit calor naturalis dicebatur; dum uero excessit febris dicitur, ut uoluit Hippocrates libro Epidimiarum. Confirmat dictam deductionem, ac dicit ueram esse ex processu vi. Epidimiorum commento v. cum dicat innatum calidum, & exclamat dicens. Ecce ergo ꝙ hic calor qui prius corpus regere solebat, & omnes operationes integras red-

dere, atque corpus alere, conuertitur ad igneum, & uitiat operationes, & procedens admonet Galenum dixisse in tertio de causis pulsuum vi. exponens Hippocratem qui dixit in Aphorismis, qui crescunt &c. Et uentres hyeme, non dixit calidi absolutè, sed comparat calorem naturalem aduentitio, quam opinionem affirmat in xiiii. Aphorismo, quando dixit substantiam natiui caloris esse mitem, mulcebrem, & lenem. Aduentitii uero acrem, & mordacem esse: cumq; ulterius suam hanc expositionem confirmando procedit: inquit caloris aduentitii gradus sunt diuersi: & paulo post affirmat in substantia, ut substantia nullo modo esse uim agendi: sed operæprecium esse habere aliquam facultatem per quam agat, ut elementa, quæ per proprias qualitates agunt: quoniam elementa, & composita ex elementis ut substantia agit per proprias qualitates: quæ qualitates siue sint formæ, siue non, non refert: igitur mista agunt per proprium temperamentum siue formam: & hoc perpetuum est non ex se agere sed per propriam formam, aut instrumentum: & animaduertit unum uidelicet mistum non agere forma sola, aut temperamento solo: sed mistum agit, & instrumentum quo agit, est propria qualitas, & propria temperatura: Et ex dictis concludens dicit ideo totum compositum agit, ad quorum comprobationem auctoritate Galeni inquit calorem esse primum animæ instrumentum quo agit: & etiam in libro de Locis affectis & de temperamentis: & in illo q; animi mores sequantur temperaturam, & primo de præsagitione ex pulsu, quibus in locis dixit, sicuti in bona temperatura sanitas consistit: ita ex intemperie fiunt morbi: & inde febris reponitur inter morbos, qui ratione malæ temperaturæ lædunt, & affirmat febrem secundum suam rationem formalem in calore consistere, & ut defendat se à communi ueritate, quam nemo non affirmat, confirmat Galenum dixisse morbos omnes accidentia esse: & ideo dicit non sequitur, si febris esset substantia, cum sit calor naturalis in igneum conuersus, qui calor est spiritus, & substantia corporea, ergo esset morbus in numero: dicit non sequi: quoniam nihil additur in numero: sed illud corpus, quod erat calor naturalis mutatus, & effectus est præter naturam: concludens ait ex dictis expositum esse genus febris. Hactenus, quæ in papiro diffusè scripta erant, per conclusiones significasse existimo, sat esse: ut ra-

tiones contradicentium primo melius, & clarius explicatas intelligas: & ne forte si omnia ad uerbum scriberem, te tædio afficerem, ideo incipiam declarare opinionem, ac rationes affirmantium & contradicentium, & esse generis febris: prius tamen in honorem doctissimi Hippocratis, & Galeni (a quibus edoctus sum, & quibus quantum in re medica debeo non satis uerbis exprimere possum) quædam breuibus adnotabo. Etenim cum de rei ueritate sine æmulatione scribere decreuerim: hoc te admonitum esse uolo me in uerba magistri non iurasse: quoniam ueritas magis amica est: nam ueritas ita se se semper tuetur, ut etiam ex se sine patrocinio contra hominum ingenia se ipsam defendat: neque nefas est credere homines aliquando in aliquibus difficillimis non ex omni parte sibi ipsis constare, ut est uidere legentibus uolumina doctissimi Galeni, uix enim fieri potuit, ut in tam uasto uoluminum (ut iam dixerim) pelago & fere omnium naturalium sententiarum congerie, atque diuersa ætate diuersisq; temporibus scriptorum, ut omnium fuerit memor: his igitur animaduersis placet antequam dictorum declarationem de esse febris, & ipsi annexa ponam (si uera, quæ scripta legi essent) primum ex diuersorum illustrium antiquorum medicorum sententia febrem definire: Etenim Galenus & eum sequentes ex Hippocratis mente dicunt febrem esse calorem naturalem in igneum conuersum: quod confirmant ex commento xiiii. primi Aphorismorum cum dicat, Et propterea senibus febres non ita acutæ sunt: signum est & hoc ipsum quod corpora senum frigida sunt: & quod ob innati maxime conuersionem ad igneam naturam accenditur febris; & libro de uictu acutorum commento xviii. Febris ortus est innati caloris in igneum mutatio: & commento xvi. primi Aphorismorum, Febris quoniam calida, & sicca est passio: est enim conuersio natiuæ caliditatis ad igneam. extant & aliæ de febre Galeni definitiones supradictis dissimiles: siquidem ueritatem sequutus primo de Differentiis febrium cap. primo dixit febris essentiam esse in genere caloris præter naturam. & capite tertio eiusdem; fiunt ægritudines ex intemperie qualitatum, ex quarum numero febris est quotiens calor præter naturam in corde exciterit, primo etiam de Differentiis morborum, Febris est cum calor immodicus totius animalis corpus infestat: uel febris est calor præter naturam per uniuersum corpus diffusum, &

illud occupans: secundo uero Methodi medendi, cum calor corpori accidit, & adeo auctus est, ut eius occasione corpus laboret; ita ut non probe operationibus perfungi possit: utique omnes homines, qui ita laborant & calidi sunt, febricitare dicuntur. Et octauo eiusdem medendi methodi febrem esse calidam, & siccam intemperiem immodicè auctam hominem, atque actionem offendentem. Sexto de morbis uulgaribus commento quarto dixit duo genera caloris cognouisse Hippocratem alterum in sanguineis uisceribus repositum, alterum acre, mordax & igneum: sub quo genere est febris: Has posteriores definitiones eminentissimi medici ferè omnes confirmant: siquidem Auicenna uir in omni genere scientiarum eximius prima fen quarti canonis cap. primo sic ait, Febris est calor extraneus accensus in corde, & procedens ab eo per uenas, & arterias mediante sanguine, & spiritu ad uniuersum corpus, & reliqua. Haliabbas & ipse uir doctissimus octauo Theoricæ cap. 2. Febris est morbus in mala complexione calida omni corpori communis; ideo dicitur esse calor extra naturalis. Isaac magni nominis inter medicos in libro de febribus; Febris est calor præter naturam in initio petens cor per medietatem arteriarum, deinde subito se diuidentem cum naturali calore per totum corpus, naturali nocet actioni. Rasis ille maximus medicus libro trigesimo continentis quotiens condominatur caliditas nociua in toto corpore illa febris est. Auerrois uir in omnibus scientiis eminentissimus tertio Colliget cap. primo, Febris est calor ex calore naturali & extraneo putredinali compositus: ex quibus omnibus apparet sapientes omnes medicos affirmasse calorem febrilē à naturali diuersum esse: tametsi aliquando Galenus ex Hippocratis, & sua sententia idem esse cum naturali mutato in igneum affirmat: Et ut rei quæsitæ ueritatem ex discursu, & ratione ipsiusmet Galeni, & Hippocratis, & aliorum quoque illustrium medicorum auctoritate inuestigemus: supposita æquiuocatione ignei caloris, quam forsan non omnes concederent uniuersalem: primum quidem ut dicunt Galenus vi. de Morbis uulgaribus commento quarto exponens uerbum illud Hippocratis (uentriculo calidi carne & graciles) in prima statim parte affirmat Hippocratem duplicem calorem in animali esse dixisse: Alterum quem ipse ingenitum uocat, cuius essentiam in sanguine, sanguineisque uisceribus ponit: Alterum

uero acrem, mordacem, & igneum, sub quo febris est: siquidem nemo tam rudis est, qui non dicat Galenum hoc in loco asserere febrem non esse calorem innatum in igneum mutatum: cum duo distincta caloris genera, alterum natiuum mulcebre: alterum acre mordax, in quo genere caloris febrem posuit: nec dixit febrem naturalem calorem ignitum esse: quod si respondeant calorem innatum in igneum conuersum mutari, ita, ut ad hunc sensum alterius generis dicatur, absurda est responsio, & non philosopho digna, cum dixerit Aristoteles magis & minus non mutare speciem: at si quis mentem Galeni nostram sententiam confirmantem intelligere desiderat, id assequetur, si reliquum commenti processum attente legerit: sed si ulterius auctoritatibus contendendum erit; proponatur particula illa Aphorismi, qui crescunt plurimum habent calorem innatum: siquidem particula innatum non aliam ob causam posita fuit: nisi ut distingueret calorem natiuum & congenitum à quocunque extraneo, & non naturali calore, uel præter naturam: quam distinctionem multi Aphorismorum expositores prætermiserunt: uerum enimuero si quis totam Galeni commentationem examinare uoluerit, uariam, & diuersam inueniet: & ne omnes commenti partes prætercam, quasdam subiungam, nostram demonstrationem confirmantes. Etenim ubi legentes admonet, ne ex æquiuocatione nominis caloris in aliquem errorem incidant, dixit, Hippocratem nomen caloris non ad qualitatem, sed ad substantiam referre uoluisse: quoniam substantia innati caloris aerea est, & aquea, signo sumpto à semine, quod paucam terream partem participat: deinde addit plurimum aeris calidi, & humidi in se ipso continet. Et quoddam alterum nostræ generationis principium est sanguis menstruus humidum natura. Ex quibus uidere est calorem innatum in genito animali habere subiectum semen, & sanguinem menstruum: quæ ambæ substantiæ habent partes aereas, aqueas, & aliquid terrei, ut semen. sanguinem uero menstruum dixit humidum natura esse. quod si ita est, quomodo dicunt calorem innatum substantiam corpoream esse; cum calor sit qualitas in subiecto spirituoso, ut dicunt medici, tanquam accidens in subiecto corpore? Etenim spiritus ut dicunt ipsi, & Galenus non negat, est subtilissimum corpus ex elementis cōpositum: siquidem tam semen, q̄ sanguis menstruus sunt corpora

ex quatuor elementis composita, ex quorum elementorum permistione resultant temperies diuersæ, sed in animali illa est, quæ ab æquali temperatura per calidum declinat, & est accidens in subiecto corpore. Et tametsi prosequens in eodem commento Galenus dixerit, cum uero magis terrestre animalis corpus efficitur, quod fit cum augetur, quanquam ualdè calidum sit, & igneum: substantiam nihilominus innati caloris paucissimam habet, hoc non tollit, quin possit calor extraneus in corpore animalis accendi, qui postea permisceri etiam poterit cum innato calore, ubicunque ille fuerit siue in corde, siue in quouis alio membro particulari, & quoque in uniuerso corpore: nec mea quidem sententia (pace tanti uiri) ualet sequela uidelicet habet paucissimum calorem, non propterea dicimus igitur febricitantes habere plurimum calorem innatum: cum innati caloris substantia optimè temperata, & mulcebris existat, aduentitii uero & præter naturam acris, & mordax sit, quinimmo nostras paulo ante dictas rationes potius confirmat, cum dicat, ut suas rationes confirmet febricitantes præsertim febre putrida, & quoque habitudinali habere caliditatem acrem mordacem, & insuauem tactum plurimum offendentem, & corrodentem; sed calor innatus contrarius existit; nam suauis, & mulcebris est; & ex ipsius Galeni auctoritate superius citata duo genera in animali caloris ponere oportet naturale scilicet, & præter naturam: quomodo quæso possunt his stantibus dicere calorem febrilem unũ, & idem esse cum calore innato, atque etiam non qualitatem, sed substantiam: præsertim cum reliqua pars commenti affirmet compositum corpus temperatum ex quatuor elementis & puerile quidem multum aereæ, & aquosæ substantiæ continere, & minimum terrestris; senile uero terrestris plurimum, & minus aqueæ, & aereæ substantiæ: ita q̃ si quartum elementum ignis scilicet æquali portione in ambobus apponeret, non tamen similis substantia æqualis in utrisque efficeretur, cum diuersa sint subiecta calorem siue igneam qualitatem suscipientia. Præterea in commenti processu infert hanc conclusionem, uidelicet, siccam substantiam esse propriam aduentitii caloris. Quid igitur adhuc egemus probatione, cum clarè distinguat calorem extraneum, & febrilem ab innato humido, mulcebri? neque rationes exponentis doctoris ualent ex Galeni de Differentiis febrium, atque

octauo Methodi medendi, & de potentiis naturalibus, & etiam sexto de morbis uulgaribus sumptæ cum sine hæsitatione petant principium, & nihil probent; sed ut ueritas hæc magis eluce- scat; ponam ex illustrium auctorum sententia, & mea modum, quo calor extraneus, uel præter naturam in febribus generetur: Etenim quoniam febrilis calor in animalis corpore ut plurimum accenditur, uel in humoribus ex inflammatione, uel ex eorum putredine ex prohibita respiratione meatuum: & etiam ex con- tactu rei putridæ, aut in spiritibus, & uaporibus, & quoque in solidis membris, dicam de illo qui in humoribus primo incen- ditur, dixit nanque Aristoteles actiones agentium fieri in subie- ctis ad eas suscipiendas dispositis: quare si humores nostri cor- poris ex aliqua occasione à sua naturali temperie suarum quali- tatum mutantur; ita, ut non possint aliis causis ægrotare facien- tibus resistere, aut calor quoque membrorum & ipse aliqua ex causa imbecillus, uel fortior factus fuerit, facile in eis fiunt alte- rationes non naturales, ita ut uel ad putredinem, uel ad inflam- mationem, uel aliam præter naturam qualitatem mutentur: Etenim caloris naturalis munus primum est omnes corporis par tes conseruare, & nutrimentum in membrorum substantiam conuertere, atque excrementa extrapellere, ut fiat sanguinis optima expurgatio, qui & ad spiritus pro operationibus, & ad probe nutriendum conueniens sit: cum uero in dictis defecerit, uel superauerit, calor præter naturam, uel extraneus in eis ge- neratur. Porro in defectu putrescunt humores, sed quoniam ea quæ putrescunt ex necessitate incalescunt, etiam si ex sui natura frigida fuerint, cum non regulentur à naturali suo temperamen- to, pari modo fit in corporibus animalium, cum non possunt regulari à naturali sua caliditate, alia præter naturam caliditas introducitur, & præsertim in humoribus, & aliis corporis hu- miditatibus: quæ introducta caliditas extranea dicitur, cum non sit orta à naturali innata, & genita, sed ex putredine, uel alio modo supercalefactionis, causæ uero & exteriores & interiores esse possunt: siquidem si humores ficciores fuerint, & membra aliqua causa incaluerint siue illa exterior, siue interior fuerit pu- ta æstus dierum canicularium, uel comestio, & potus rerum ca- lidarum, ut sunt, aromata, uina potentia, & similia fiunt in- flammationes sæpe sine putredine, sicq; introducitur, siue ge-

neratur extraneus calor in humoribus, qui nullo modo similitudinem cum naturali calore habet, nec in esse, nec in operationibus; qui calor in humoribus præter naturam introductus, cum postea per eleuatos uapores calidos suam caliditatem cordi communicat spiritus, & humores in ipso alterat: à quibus deinde cæteræ partes contentæ, & continentes calefiunt calefactione præter naturam, quem calorem sic incensum febrem medici appellant, dicuntq; eam esse calorem extraneum accensum in corde, qui ab eo procedens per arterias, & uenas ad uniuersum corpus diffunditur, nisi impediatur; eodem fermè modo fit ephemera febris; scilicet per uaporum, & spiritus inflammationem, in unò, uel pluribus membris, aut in toto corpore incensi, cordi communicantes suam caliditatem tam ex inflammatione solidarum partium, quam membrorum radicalium (ut medici dicunt) per secundas humiditates, & si non sit ille præcisus processus, nihilominus similis plurimum dictis est: Etenim accenduntur, & calefiunt secundæ dictæ humiditates: quæ postea partes solidas, & humores propinquos calefaciunt: Et hæc caliditas communicatur spiritibus, & uaporibus, deinde unà & simul per arterias, & uenas ad uniuersum corpus extenditur: Est etiam alius modus (ut superius dixi) introducendi caliditatem extraneam in corde, qui fit uel ex inspiratione aeris, & uaporum putridorum, uel per contactum corporum infectorum qualitate uenefica, calida: ut contingit morantibus in aere corrupto corruptione pestifera, uel tangentibus, aut morantibus cum infectis qualitate pestifera, quæ calida præter naturam est, in quo modo contactus tam per inspirationem aeris pestilentis q̃ per contactum exteriorum membrorum cor inficitur, & contentæ in eo humiditates primo, quæ qualitas cum calore extraneo uenenoso si fortis fuerit subitaneam mortem infert, quoniam cordis temperamentum, & spiritum uitalem corrumpit. At contactus corporum infectorum infectione pestifera, uel aliarum rerum infectarum non primo cor ipsum inficit, sed partes contactas: quæ postea uicinas partes inficiunt, deinde alias donec ad cor peruenerit, ita ut cita mors sæpe accidat sine manifesta febre: dixi manifestam, quoniam uix mente concipere possum, ut spiritus cordis infecti sint ab aliena caliditate extranea, quin sequatur febris: sed aliquando ita tempus breue est, ut neque æger, neque medicus, uel præsentes eam

percipere possent:præsertim illam quæ ex inspiratione aeris pestiferi fit, in illis uero qui per contactum reliquarum partium corporis inficiuntur, sæpe,& ut plurimum febris manifesta apparet quieta exterius intus plurimum conturbans ante mortem; siquidem antequam caliditas extranea cum uenefica qualitate per contactum partium corporis acquisita ad cor deueniat, primum humores, spiritus,& uapores in meatibus, & uasis inficit & alterat, quæ postea per partem post partem usque quo ad cor ipsum deueniat procedit, donec ut diximus cordis humiditates etiam inficiat sua præter naturali caliditate uenefica; quæ tametsi uenefica sit, cum non immediate cor primum petat, non est tam citæ actiuitatis, ut illico cordis temperamentum destruere possit: immo caliditas spiritus, & temperamentum quantum potest diutius resistit, succumbit tamen si uincitur a uenefica illa caliditate: At si spiritus naturalis cordis robustus, & plurimus fuerit ut malignitati caloris extranei resistere possit, sequitur sanitas sensim tamen. Possem dictis ex Galeni sententia primi prognosticorum commento ultimo, & primo de Differentiis febrium cap.vi. modum generationis puris in abscessibus, & ulceribus ad dictorum corroborationem subscribere, qui differt à modo seminis generationis: quoniam pus non a calore naturali, nec a calore præter naturam fit, sed ab uno,& alio calore, neque est unus tantum calor agens totale, sed ambo, semen uero a solo naturali calore fit, ex quibus dicerem calorem naturalem potius a præter naturali impeditum, à suo munere deficere, non enim calor naturalis putredinem,(quæ est uia ad corruptionem) sed conseruationem, & permanentiam intendit, similitudinem hanc posuit Galenus in libello de Crisibus, quando nebulas in urinis febrientium puri in ulceribus comparauit, cum eodem modo natura operetur scilicet per naturalem calorem, & præter naturam: quæ ambo sunt in membro, ubi minera febris existit: deinde cordi communicatur calor, si calida euaporatio ipsum attingat: ita ut sit distinctus calor præter naturam in corde a calore naturali, quare cum duo sint separati, non placet positio Auerrois dicentis calorem febrilem constare ex naturali,& præter naturam calore, cum sint distincti, ita ut pugnent inter se, ut omnes confirmant illustres medici: dicentes calorem innatum esse naturæ instrumentum, quo caloris aduenientis substantiam, seu nocumentum

pugnando expellit: Etenim nil aliud est post statum febris inclinare, nisi uictoria caloris naturalis super calorem præter naturam, & è conuerso: interitus seu mors sequitur cum calor præter naturam natiuum calorem superat: sed, quicquid sit, calor febrilis non est in corde permistus cum naturali a principio generationis contracto: neque ipsum mutans in igneam naturam, sed id quod calor præter naturam operatus est mutare complexionalem calorem membrorum, quæ est humani corporis ex elementis temperamentum: & hic calor complexionalis est distinctus à calore complexionali contracto ex semine à principio generationis, qui manet usque ad interitum, nam seminis quidem substantia ex elementis constat, sed temperamentum corporis post mortem remanet donec corpus corrumpatur, & in aliud conuertatur: Et hæc satis in præsentia de ordine, & modis generationis febris dicta sint, quæ si semotis præceptorum in defendendo placita passionibus examinentur, destruunt omnes expositoris rationes dicentis calorem febrilem esse substantiam corpoream, atque etiam calorem naturalem in igneum conuersum, ut eam possit quis directè in capite de substantia reponere, sed unde digressus sum reuertam: dicebam nanque febrem calorem præter naturam in corde accensum esse, continuè illud & contentas in eo humiditates, & spiritus calefacientem: qui calor præter naturam, siue extraneus à causis uel exterioribus uel interioribus fit: Etenim interiores causæ sunt humores, uel in uenis, uel extra uenas putrescentes, & exinde supercalefacti, uel à sola incensione inflammati, aut spiritus. & uapores incensi, aut in solidis partibus incensis secundis humiditatibus, & ultimo solidis etiam partibus, quæ ultima accensio fixa, & habituata a medicis dicitur, atque non dependens, & hæc ut omnes affirmant medici, uel nunquam, uel rarissimè incipiendo fit, ita ut uix illam fieri incipiendo concedere uelint: dico dictis addendo humiditatem radicalem, & innatam, in qua calor innatus fundatur, pabulaturq; non esse febrem, ut plurimis auctoritatibus, & rationibus probauimus: sed febrem esse caliditatem extraneam uel effectum caliditatis extraneæ in una, uel omnibus tribus substantiis nostrum corpus constituentibus, cor calefacientem, & contentas in eo partes; q̃ si huius occasione calor naturalis aliquo modo alteratur, non tamen proprium, & specificum mutat tempe-

ramentum, quod humanum temperamentum non punctuale in omnibus indiuiduis existere eminentissimi Medici plurimis rationibus demonstrant, quippe cum alia & alia sit temperies indiuidualis Socratis biliosi, & alia Platonis sanguinei, alia Nicomachi pituitosi, & alia Democratis melancholici; Eadem ratione dicendum erit de sexibus, & aetatibus, atque regionibus exercitiis, & aliis: quae indiuidua, & si temperiem diuersam particulatim comparatam habeant, conueniunt tamen in specifica temperie hominis, quae calida & humida est mulcebris, & suauis, cum sua iam dicta latitudine: quod si non ita mulcebris, sed acris esset non posset operationes naturales operari, ut dixit Galenus immo nec uitam quidem conseruare. Praeterea si calor natiuus mutaretur, & extraneus efficeretur, utique animal mutaretur in aliud, ita ꝙ non esset idem homo sanus, & febriens, quoniam nec idem calor, nec eadem temperies, quam formam auctoritate Hippocratis, & Galeni dicebat expositor esse: qui calor ex partibus subtilibus sanguinis genitus dicebatur: Et quoniam non potest Galeni, & Hippocratis sententia, positionem (nisi Galenum sibi ipsi contrarium esse dicat) saluare; excusat eum, non propterea ueritatem docet, aut modum, quo eam inuestigare possimus. Quare ex mea sententia pro ueritatis indagatione, atque eius inquisitione quaedam necessaria subscribam. Scis quidem ex Aristotelis sententia nullam actionem prouenire posse nisi a forma: quam positionem in scriptis expositoris confirmatam legimus, & ut rem ipsam exemplo aperiam, ponam hominem quempiam agere actione naturali, haec utique actio fiet a propria forma cum determinata qualitate, & quantitate; quod cum ita sit, ut scilicet agentis actio fiat per propriam formam: agens utique agendo passum mutabit, atque simile sibi faciet, cum agens ideo agit, ut passum sibi simile efficiat ex Aristotelis sententia, quare cum hoc uerum sit, cur non ponere debemus agens separatum mutans, calorem naturalem ad extraneum calorem (ut aiunt:) quod erit calor extraneus, qui accensus primo in uaporibus, uel humiditatibus, aut solidis partibus membrorum propria qualitatem naturalis caloris immutet. Quare uelimus nolimus dū dum erit agens aliquod calidum, quod agat, & spiritus & uapores, humoresq;, atque etiam solidas partes incendat: Et haec accensio siue calor sic in dictis partibus, facta, dicitur calor extraneus

ubicunque fuerit: qui cum cor attingat febris a medicis dicitur: quoniam cor calefacit & contentas in ipso humiditates, & spiritus, & uapores, à quibus postea spiritus etiam, & calor naturalis alteratur: non tamen dum uiuit, & habet uitæ operationes in aliam igneam naturam mutatur, sed manet in iam superius dicta latitudine specifica: Et quanquam non omnes operationes incolumes sint, non propterea deficiunt, uel alienæ à sua naturali essentia plurimum sunt. Clarius etiam hoc declaratur ex his, quæ ad Laurentium Massam Nepotem meum scripsi: dum Pataui bonarum artium studiosus esset, atque primam quarti Auicennæ audiret, nam clarè illi demonstraui in unoquoque corpore esse caliditatem contractam à semine à principio generationis, & etiam caliditatem resultantem ex simplicium partium compositione, & caliditatem quæ unicuique particulæ propria est, conseruans ipsam; & ista est illa, quæ potest mutari in alienam & extraneam caliditatem, cui si quarta caliditasq; extranea & præter naturam est, superuenerit & ei admisceatur, tunc fit aggregatum ex naturali & præter naturam caliditate, sicq; corrumpitur pars illa in qua permista est extranea caliditate. ex illa itaque lectioneq; clarè uidere est, febrem esse uel effectum consequentem calorem distinctum a naturali, & innato calore: Etenim ex dictis tres sunt naturales diuersitatem inter se habẽtes. quartus uero præter naturam, qui præter naturam calor ex sententia Galeni quarto de Simplici medicina cap. 3. corrumpit separando caliditatem illius rei, quam corrumpit: & hoc fit, quoniam frigiditas eam uincit: dixit etiam Galenus xi. Methodi putredinem fieri ab extremo calore, cum a proprio calore aliquid minime corrumpatur, immo uero præsertim a putredine roboratur, & augetur. ex his igitur, & aliis a me scriptis omnes uidere possunt febrem esse (uel id quod febrem causat) calorem extraneum distinctum a calore naturali, nec esse substantiam corpoream, ut ex Hippocratis, Galeni, & aliorum philosophorum auctoritate asseuerat expositor. Hanc uero ueritatem doctissimus Auerrois, doctè primo commento quarti Meteororũ sub hoc uerborum sensu declarauit: forma transmutans materiam ad aliquam aliam recipiendam formam, & faciẽs primam separare, necessario calida erit, sed nihilominus respectu corrupti subiecti calor extraneus & putrefactus est, respectu uero generati ex ipso naturalis est; Ex quibus Doctissimus Auerrois

infert duplicem calorem declaratum esse: Alterum naturalem, alterum extraneum: Causa uero processus huius caloris extranei in re est una duarum rerum: quarum quidem una per se est, & est calor extrinsecus, cum non fuerit coueniens naturali calori: Etenim refrigerat ipsum, & eum dissoluit, & ex hac ratione uidemus in æstate putrefactionem multiplicare, sed causa efficiens altera, seu secundaria intentione, est caloris naturalis frigiditas, & eius congelatio, Etenim cum debilis est, & non ualet materiam congregare, & super ipsam dominari putrefit materia. ut est uidere in corporibus mortuorum, senum, atque etiam in rebus omnibus inanimatis frigefactis, sæpe etiam accidit hoc materiæ causa humiditatis: quoniam ab extrinsecis facilè patitur, & etiam quoniam in retinendo formam debilis est, idcirco dixit Hippocrates & alii etiam medici, putrefactionis causam caliditatem, & humiditatem esse, non distinguens id quod per se est, ab eo quod per accidens esse dicitur, & in commenti processu subiungit: postquam declaratum est generationem per calorem naturalem esse, corruptionem uero per calorem extraneum, & frigiditatem, & quoque cum declaratum est, quomodo calor extraneus fit, quibus dictis sic de calore extraneo determinat: prima & per se operatio caloris extranei in rebus in quibus est calor extraneus cum dominatur super illam indecoctio, uel combustio: Etenim quoniam processus caloris extranei, & eius proprietas est naturalem extinguere, & humiditates subiectas ei resoluere: & res illæ accenduntur, & comburuntur uti est uidere in febribus, quas combustiuas uocant: calor uero extraneus aliquando cum est debilis indecoctionem, & corruptionem facit: sicut accidit in febribus phlegmatis putridis atque etiam sæpe in fine febrium combustiuarum: hoc tamen per accidens fit ob caloris naturalis imbecillitatem, & dominium frigiditatis. Frigiditas enim per se, & primo in eo ꝙ frigus, est priuatio caloris naturalis, & est indecoctio, & cibi corruptio: Indecoctio uero opponitur corrugationi, & cibi corruptio digestioni cõtrariatur, & cum dominatur eius operatio generatio cessat: multa quidem pulcherrima in eo commento leguntur, ex quibus clarissimè, & sine hæsitatione apparet caliditatem extraneam & febrilem distinctam realiter a calore naturali, quæ caliditas est accidẽs, & nullo modo corpus, ut conatus est expositor auctoritate Hippocratis, & Galeni probare, siquidem ex dictis calor extraneus in.

humiditate generatur,quæ non eſt naturalis, cum iam dicta imbecillitate naturalis caloris,ſiue intrinſeci, quare non ſemper dicendum febrem eſſe cum exceſſu caloris naturalis, ſeu intrinſeci, ut non pauci grauisſimi medici dixerunt, cum ſæpe caliditas febrilis minor ſit caliditate naturali, ut eſt uidere in aliquibus, ſed uera cauſa eſt,quoniam humiditas parata eſt, ut cito putrefactionem recipere posſit,res uero paratæ, quæ putreſcunt, a caliditate quidem debili putreſcunt;Ad cuius cõfirmationem Ariſt.prima ſectione problematum,problemate vi. deſcribens eſſentiam caloris febrilis, ſic eam declarauit,locis quibuſdam in corpore humeſcentibus, feruens oritur inflammatio, quæ cum non niſi caloris exuperantia ſit,febrem utique accendere poteſt, hæc Ariſtoteles: qui nil aliud intelligere uoluit,niſi ꝙ cum calor præter naturam in quo uis corpore humido genitus fuerit,eleuantur uapores,ſeu ut aiunt medici putrida fuligo calida ratione putredinis, qui calor ſi ad cor deuenerit,febrem excitat, cor, & in eo contenta calefaciendo: Alexander quoque Aphrodiſeus libro 2.problematũ problemate vii.quærens cur ex febre ardua pulmonis inflammatio excitetur:Reſpondet quoniam ardor ex bile proficiſcitur flaua,quæ ad uentriculum,& pulmonem e ſuis refluere conceptaculis ſolita eſt,ex quibus claré patet calorem extraneum febrem excitantem diſtinctum eſſe a calore naturali. Ad cuius confirmationem libro primo problemate lxxvii.cum cauſam inueſtigare uoluit, unde ſit ꝙ Aethiopes magna ex parte cum febricitant intereant:Reſpondet quoniam calidi,& ſicci ſunt nimium, ſit enim per febrem ut omnis elemẽtorum deſtruatur conſtantia: Etenim humor in his occultus,& exiguus exiſtit, & reliqua: quæ uerba claré oſtendunt febrilem calorem non natiuum calorem mutare in igneum,ſed humidum humorem corporis abſumere: Theophraſtus uir Doctisſimus,& nunquam in rebus naturalibus ſatis laudatus lib.v.de cauſis plantarum cap.ix. deſcribens duos corruptionis modos,ſic ait,Corruptiones quædam ſecũdũ naturã ſunt, & quædam præter naturam: Morbus uero partim præter naturam eſſe apparet,quoniam eſt quidam diſceſſus, & perturbatio: quæ non eſt ſecundum naturam, nec aliud dicere uoluit ſapientisſimus uir,niſi ꝙ duo ſunt modi,quibus res intereũt, alter qui per naturalem curſum,& cõtinuam caloris naturalis actionem in humidum ſubſtantificum, ſeu radicale illud conſumit, alterum ue-

ro,qui cæteros humores uitiando corrumpit; & in hoc secundo modo corruptionis mea quidem sententia calor præter naturam ponendus est,& aliæ etiam causæ, sed quid egemus adhuc testibus?non ne ipse Galenus primo de Differentiis morborum probare contendit morbum in genere, uel esse uitium actionis, uel constitutionis?quod si uerum est,ut ipse probare tentat,& febris sit morbus calidus, & etiam cum morbus sit accidens nec possit in cap.de Substantia reponi, necessario in uno nouem prædicamentorum accidentium substantiæ ponenda erit, febris igitur ex dictis est calor præter naturam cum causata sit ex intemperie caloris:quam meam conclusionem confirmant ea, quæ octauo, & nono Methodi medendi in hanc sententiam scripta reliquit, dicens febrem esse excessum, & abundantiam caloris præter naturam. Quod si quis dubitet an substantia aliquando morbus esse possit,ridiculum utique & non dignum sapientis hominis quæsitum est,cum nemo sapientum neget morbum esse constitutionem præter naturam:fauet etiam nostræ conclusioni definitio febris primo de Differentiis febrium, ubi eam in solo calore præter naturam declarauit.Hæc itaque doctissime Vincenti ad te scripta de Essentia febris satis in præsentia esse uolui,cum in futurum si dabitur occasio de his etiam dicemus. Reliquum est, ut an anima sit calor naturalis iam dictus,uel temperies, ut multi Hippocratem & Galenum credidisse,affirmant,disputemus, & quod in primis dixerit doctissimus Galenus,Hippocratis interpres dicamus:qui nunquam ausus est se animæ essentiam cognouisse affirmare,cum diuersimodè diuersis in locis animæ esse ambiguum descripsit,quippe cum aliquando temperamentũ uel cerebri substantiam eam esse affirmet,& aliquando spiritum:aut id,quod ad suas operationes spiritu utitur tanquam instrumentum, & aliquãdo illud quod ex quatuor qualitatibus primis elementorum resultat ita,ut non eodem modo Hippocrates & suam sententia clarè declarauerit;Quam ueritatem ut intelligamus,& sapientissimi in primis Hippocratis, & Galeni sententiam ad uerum sensum redigamus,rem sic discutiam. Etenim cum duo sint cognitionis modi,sicuti duo sunt obiecta cognitionis,alter sensitiuus quidem est sine discursu:Alter uero intellectiuus cum discursu, similiter, & obiectorum,alterum corporeum, & materiale cum suis accidentibus:Alterum incorporeum & spiritale, primum uero sensi-

tiua cognitione materiales res obiectas & earum accidentia cognoscimus, intellectiua uero cognitione spiritales, & incorporeas substantias comprehẽdimus, minimè tamẽ sine aliqua praecedenti, à sensibus habita cognitione: sed cum anima uel forma ex omnium rectè philosophantium sententia sit substantia, quae non est materia, tametsi semper cum materia sit, & quoque pars compositi existat: spiritalem tamen substantiam operaeprecium esse sapientis dicunt. Quare cum Hippocrates, & Galenus sapientissimi fuerint, eorum uerba nuda, & sine interpretatione intelligenda non sunt: sed exponenda, & ad uerum sensum redigenda. Ad quod faciendum primum ex intentione Hippocratis, & Galeni sic rationes formabo. Si calor innatus est mistum quoddam ex elementis, ut dictum fuit: & elementa in misto nec actu, nec potentia sunt, sed in quodam medio, quod est inter potentiam, & actum corporeum, quomodo poterit esse forma? porrò cum forma, uel anima substantia spiritalis, & immaterialis sit calor complexionalis innatus formam alicuius compositi esse non potest, deinde cum proprium substantiae sit, ut dixit Aristoteles non suscipere magis, & minus, spiritus uero, uel temperies magis, & minus de facto suscipiunt, cum secundum sui substantiam, & quantitatem, & qualitatem quotidie augeantur: dixit quoque substantiam contrarietatem non recipere, spiritus uero contrarium suscipit, ut apparet in febribus, & hectica tertiae speciei, in qua spiritus, & temperies calida mutata est, & frigidior facta: Praeterea calorem innatum & spiritum dixit Galenus esse corpus spirituosum subtile, qui nutritur subtiliori sanguine; quomodo quaeso potest esse anima uel forma, cum forma non nutriatur, neque augetur aut imminuitur praesertim substantialis? Et ideo rectius exponendo dicerem Hippocratem & Galenum dixisse calorem naturalem seu temperamentum, cum anima minime esse possit: Est tamen id sine quo anima informare subiectum non potest, estq́ eius instrumentũ ad omnes suas operationes perficiendas: Etenim calor naturalis naturae instrumentum esse omnes tam philosophi, q̃ medici affirmant: quod si est instrumentum utique anima non est, neque esse potest. hanc ueritatem Galenus loco citato ab expositore quinto simpliciũ affirmat, cum dicat innatum in omni animali spiritum, qui tametsi animae essentia, est tamen saltim eius instrumentum, & subiungens, dixit: ego uero de animae es-

sentia

sentia aliquid dicere non audeo, sunt & aliæ ferè consimiles au-
ctoritates, animam non esse calorem, neque temperaturam con-
firmantes, ut patet in libro de Placitis Hippocratis, & Platonis, se-
cundo de Symptomatum causis, & de naturalibus facultatibus: &
quoque libro de Respiratione, nec non etiam libro q animi mo-
res corporis temperaturam insequantur, & de formatione fœtus:
in quibus omnibus locis dixit se animæ essentiam ignorare; im-
mo secundo de Sympt. causis audacis hominis animam definire
esse aiebat, quod si anima corporis temperaturā insequitur, ut cre-
didit citato libro; quomodo pones temperaturam animam esse:
dico igitur supposita duplici cognitione Hippocratem & Gale-
num animam non cognouisse cognitione prima sensitiua, sed co-
gnitione intellectiua cum discursu, qui non est sine phantasmate
a sensibus exterioribus: Porrò exteriores sensus operationes ani-
mæ optimè apprehendunt, & in phantasiam reponunt, & intelle-
ctus sua uirtute compositiua, & diuisiua discurrens animæ essen-
tiam intelligit, quam cognitionem nec Hippocrates nec Galenus
habuisse non negant: negant quidem illam sensatam, & ut ita di-
xerim sensitiuam: cognouerunt ergo sensu operationes, & instru
mentum, quo operatur, tam operationes uitæ q̃ animales, & natu
rales: quod instrumentum est corpus iam dictum subtile, spiritale
ex commistione elementorum: Quare anima nec calor, nec spiri-
tus est, nec temperamentum, sed forma dans esse subiecto præpa-
rato seu disposito, cum determinatis qualitatibus qualificato; si-
quidem calor, uel temperamentum cum suscipiant magis, & mi-
nus, augentur minuunturq́, patiuntur a corporeis qualitatibus, &
in aliam naturam uel subiectum mutantur: Anima uero, & for-
ma, quæ substantialis dicitur, minime; Quæ uero incōgrua, & ab-
surda sequerentur si spiritus, uel calor, aut temperies esset forma
non omnia sed quædam subscribam. Primum quidem si ani-
ma esset calor aut spiritus, uel naturalis temperies, sequeretur ani-
mam uel esse accidens, uel quoddam compositum, & posse pati à
corporis causis, nutriri, augeri, & minui, calefieri, & quampluri-
ma alia, à quibus rectè philosophantes abhorrent, sequeretur etiā
substantiam posse suscipere magis, & minus. Plurimas equidem
doctissime Vincenti alias rationes, & illas quidem ualidas dictis
ad te scribens addere potuissem: quæ calorem febrilem esse ex-
traneum calorem, & non naturalem in igneum conuersum affir-

marent:& quoque febrilem ſubſtantiam corpoream non eſſe, ac etiam natiuum calorem temperaturam, aut ſpiritus, formam animalis, ſiue animam eſſe reprobarent, quas omnes ne nimis longa eſſet epiſtola dimiſi: ſicq; dicta ſatis uiro doctiſsimo eſſe cenſeo, ut pote illi, qui omnia ex ſe intelligit, quippe qui rem hanc clarius, ut uirorum doctorum moris eſt, infuturum aliquando declaraturus es. Vale & me ut facis ama. Venetiis, M D L V I.

AD EXCELLENTISSIMVM MEDICVM Dominum Auguſtinum Gadaldinum de quibuſdam dubiis tam de eſſe febris peſtilentialis, quam de eius recta ratione curandi.

EPIST. IX.



OANNIS Baptiſtæ Montani lectionem de febre peſtilentiali, deq; eius eſſe, & cura medicus quidam ad me miſit Auguſtine doctiſsime, quam auidiſsime legi, diligenterq; pro poſſe examinaui, ut ab homine negocioſiſsimo fieri potuit. Cumq; ex omni parte difficultates quàmplurimas adnotaſſem, quæ mea quidem ſententia non ſine maximo diſcrimine humani generis, a candidatis, & initiatis medicis leguntur; & cum longè diſtet, ut uidebis hic docendi modus tam in dignotione febris peſtilentis, q̃ in eius curatione, a modo proceſſus recentiorum & aliquorum antiquorum illuſtrium medicorum, has ad te pro ueritate tuenda, & ad humani generis utilitatem (te ſuadente) ſcribere uolui. Et ut ab ouo (ut aiunt) incipiam, res a doctiſsimo alioquin uiro ſic exorditur, Cum de peſtilentibus febribus agendum ſit primum operæprecium erit nominis rationem habere, in qua declaratione multa attulit, quæ potius obſcuram nominis, quàm apertam declarationem legentibus afferunt, ſatis erat ſi dixiſſet, peſtem & peſtilentiam (ſi ſynonima ponere uoluiſſet) eſſe in primis aeris corruptionem, ex qua contagione febres peſtilentes multitudini ſuboriri conſueuere, quæ pernicioſæ ſunt, & hoc ſibi ſatis fuiſſet. Verum cum apud Homerum peſtilentia ſola illa dicatur νόσος, cui nullum auxilium a ueteribus fuit aſsignatum, præterquàm fuga, & receſſus, ex quibus ap-

paret quod peſtilentia erit infectio aeris, peſtis uero eſt morbus pernicioſus multitudini communicatus. Sed cum longæ orationes ad declarationem ueritatis nullam afferant utilitatem, immo ſæpisſimè obſcuriorem reddant, de huius nominis declatione in meo de febre peſtilentiali legiſti interpretationem, quam iterum uidere te admoneo. Proſequitur deinde docendo iacto fundamento, hoc modo, Febris peſtilens bipartitur, nam uel eſt habens omnes proprietates peſtis, & eſt morbus epidemialis pernicioſus, aut eſt particularis non ab externa cauſa ſed ab interna, & eſt maligna ita ut interficiat, uel interficere hominem posſit, & ex hoc dicitur peſtilens febris, hæc uidetur eſſe ſententia diuiſionis, tametſi uerba perplexè ſcripta non ex omni parte clara legantur, fortè fuit ſcribentis defectus cum uirum doctum legentem audiret, nec omnia uerba adnotaret. Sed quicquid ſit ſententia hæc ex omni parte clara non eſt; ego uero, ut reliqua intelligi posſint, eã ſic diuiſam relinquo, & ad reliquam partem proceſſus ſermonem conuertam. Inquit ergo, Quoniam hæc febris non tantum eſt maligna, ſed pesſima, cum à cordis putredine dependeat, timoroſam & ferè ſine ſpe eſſe. ex qua poſitione infert hanc concluſionem, ſcilicet febrem peſtilentem a putredine cordis pendere, & ex conſequenti non omnes febres tales ex omni parte incurabiles eſſe, ſed tantummodo illas, quæ putredinem in corde confirmatam habent. At ſi in cõtẽtis cordis eſt, tametſi pesſima ſit, poſſunt tamẽ ſanitati laborantes reſtitui. Equidẽ doctisſime Auguſtine, ut ingenuè tecum agam, non poſſum non admirari hominem, cum ſine aliqua probatione ponat febrem peſtilentem ſemper habere putredinem in corde, uel in contentis cordis; & ex non probata poſitione inferat ſequelam de curatione talium febrium, debuiſſet hoc probare rationibus uel ſenſata experientia, cum longè aliter res ſe habeat; ut eſt uidere in meo iam citato de febre peſtilentiali libello, ubi non ſolum rationibus hoc declaraui, ſed & antiquorum plurimis authoritatibus; hoc etenim, ſi animaduertas plurimum faciet ad rectam curationis uiam, propter quam ad me ſcripta ille miſit. Ex his ſic a Montano poſitis, & non probatis definitionem, uel deſcriptionem eſſentialem febris peſtilentialis elicere ipſemet tentat; quæ talis eſſe uidetur, Febris peſtilens eſt intemperies calida & ſicca: & addens differentiam inter hanc & putridam non peſtilentialem, affirmat febrem peſtilentem differre

ab aliis putridis ex eo quia pestifera febris habet putredinem in cordis humoribus,quod(ut dixi)probandum erat, & dum hanc suam uerbis confirmat opinionem modernos quosdam medicos reprehendit,(reprehendendos utique) dicentes in putridis aliis febribus putredinem esse in humoribus cordis, quod falsum est ex sententia omnium illustrium antiquorum recte sentientium, Nam etsi febris passio primo cordis sit calida,non propterea causam caliditatis eius in corde esse operæpreciũ est, præterq̃ quod in hectica,uel habituata,cum iam causa in substantia cordis sit,neque ab alia parte ex tribus nostrum corpus constituentibus pendeat;Et quoniam dubitando tentat nunquid posset quis hanc febrem pestilentialem dicere quartum genus esse febrium, & concludit non esse; porrò satis illi fuisset dicere pestilentialem denominationem omnibus tribus generibus febrium conuenire, cum pestis sit accidens quoddam febribus dictis adueniens, sed hæc satis.Prosequitur suam declarando definitionem & diuisionem inquiens,separatur febris pestilentialis hectica à febribus aliis hecticis simplicibus ex eo,quoniam hectica pestilens est pendens à putredine;quod utique dictum cum nullo antiquorum,neque cũ ipsa ratione stare potest. Febris enim hectica qualiscunque fuerit non pendet ab alia caliditate, uel humorum, uel spirituum, uel uaporum, cum iã habituatus in solida substantia calor extraneus sit. Potest tamen calor febrilis habituatus foueri ab aliquo alio calore,puta, putredinali humorum, & augeri, ut contingit in suppuratis & illis qui in pulmonibus exulcerati sunt, sed talis febris, postquam calor habituatus fuit in substantia cordis,est complicata ex febre accidente dependente à putrida materia,& hectica independente, quæ hectica non propterea dicitur febris dependens; quod si aliquam differentiam addere illi uoluerimus, possemus eam hecticam auctam a calore humorum putrescentium nominare. Ex his uides quid dicendum de positione non probata, scilicet quod omnes febres pestilentes habeant putredinem in corde, uel in contentis. Sed cum iam in meo libello de febre pestilentiali contrarium probauerim, fundamentum hoc non probatum nullum erit, equidem in eo dixi putridam fuliginem in qualitate pestifera, quæ non sine caliditate est,petentem cor causare febrem pestilentem putridam etiam sine cordis, aut contentorum in corde putredine; quæ quidem minera putredi-

nis sæpissimè in naturalibus, & sæpe in animalibus membris, & in ambitu totius est, & aliquando in corde, & in eius contentis, quæ utique febres ultimæ, scilicet habentes in corde putredinem perniciosissimæ semper sunt, subdit præterea fieri febres pestilentes a causa efficiente diuersa; nam cum quædam sint causæ extrinsecæ; quæ ab extrinseco fiunt, sunt illæ, quæ ex assumptione rei uenenosæ, & malorum ciborum, uel inspirati aeris oriuntur; sed quæ a causis extrinsecis fiunt, hoc modo fiunt, uidelicet cum aliquis humor in nostro corpore putridus fuerit, ita ut in ueneni naturam conuertatur, febris pestilens à maxima putredine oritur. Post quam diuisionem immediate dixit hunc humorem facientem febrem pestilentialem siue ab intrinseca causa, siue ab extrinseca fuerit, habere quid uenenosum & naturæ nostræ contrarium, & non differre ab aliis uenenis, quæ assumuntur, ex quibus uides contradictionem in dictis. Cum uero postea reprehendit moderniores medicos, qui in febribus pestiferis dixerunt qualitatem uenenosam esse præter qualitatem manifestam, cur quæso, si,(ut ipse ait)nil aliud est febris pestilentialis, quam illa maxima putredo in corde contraria uitæ, quam manifestam esse dicit, hic dixit, & passim in tota lectione repetit febrem hanc habere uenenositatem, sed neque qualitatem, quam manifestam esse uult, neque gradus quantitatis declarauit, quod utiquè declarare debuisset, si manifestam probare uoluisset, sed id sempiternum hominibus est, & erit in æternum ut ignorent elementorum qualitatum quantitates in mistis. At si quid cognoscimus non præcisè, & uerè, sed iudicio quodam æstimatiuo propinquo certè ueritati cognoscere dicimus, sicq; faciunt sapientes ubi mistionem & alterationem longinquam uident ita, ut perfectè à sensibus & discursu cognosci non possit. Siquidem mista omnia agunt per prædominantem qualitatem in eis, sed præter eam est qualitas composita ex refractione & mistione qualitatum & substantiæ elementorum, quæ semper nobis occulta erit, ut est uidere in stomacho Struthionis ferrũ & alias res duras duras dissoluente, quas ignis minime dissoluere potest, sic dicunt sapientes de qualitate pestifera, quæ resultat ex alteratione putrefaciente humores, uel etiam res solidiores. Et cum nomina congrua imponere student occultant qualitatem, uel temperaturam uocant, non tamen ignorant illam resultare cum prædominio

alicuius primarum qualitatum, ut est caliditas, frigiditas, & reliquae; per quas qualitates si non primo agunt, posterius tamen coadiuuando operantur; Subsequitur distinguendo pestilentiales febres fieri, & terminari quandoque in humoribus cordis, & quandoque in eius substantia, in qua distinctione ponit putredinem humorum cordis esse causam calefacti esse scilicet ipsorum humorum, sicq; augetur calor naturalis in corde existens ad tantum gradum, ut talis dicatur febris, addo ego, scilicet humoralis putrida pestilens; Melius quidem dixisset misceri calorem putredinalem cum calore naturali; pergit ad aliud membrum diuisionis, & dicit, quae uero in cordis substantia terminatur, febris hectica pestilens dicitur, deinde comparat eas ad alias febres, sed quoniam ista omnibus nota sunt, & ad intentum nostrum non faciunt, satis sit te admonuisse quae dicta sunt, ut quantum possint docere studentes uideas, cum ferè idem repetat, quod antea dixerat sine aliqua probatione. Sed cum non potuisset positionem probare, ad Galeni auctoritates tanquam ad sacram anchoram refugit, quas auctoritates in tertio de praesagiis ex pulsibus te legisse scio, sed ut uides nihil ad rem propositam faciunt, cum non de putredine in corde, aut in contentis dicant, sed de caliditate maxima extranea accensa uel in humoribus uel in substantia cordis. Qui humores accensi uel substantia cordis non sunt putridi semper, tametsi accensi sint, enimuero non semper caliditas extranea agens, putredinem causat, tametsi à putrida materia eleuetur, ut est uidere in stabulis, ubi uapores eleuati à sterquilinio calefaciunt & exsiccant stabulum uel parietes, non tamen putrefaciunt. Nec propterea Galenus ibi asserit cordis substantiam aut contentos humores in febribus pestiferis semper febrem pestilentem facere, cum (ut dixi) satis sit putrida euaporatio cum qualitate pestifera ad febrem pestilentem generandam. Porro haec caliditas cum qualitate pestifera si substantiam cordis, uel imbibitas in eo humiditates arripuerit hecticam pestilentialem faciet; sed non sine pestilenti qualitate illud causare potest. Sicq; habes quales sint auctoritates Galeni à Montano adductae, neque ex hoc negarem ego aliquando & saepissimè in febribus pestilentialibus putredinem in cordis contentis esse, cum de facto hoc plures uiderim, sed non est perpetuum in omnibus, eodem modo de hectica pestilentiali dicendum erit, quoniam potest imprimi

qualitas pestilentialis in substantia cordis a caliditate extranea humorum contentorum in ipso, tametsi minera putredinis non in contentis in corde sit; quod facile persuadere tibi possum sic deducendo rationem. Etenim si ex inspiratione aeris pestilentialis tam spiritus, quam humores possunt accendi, ita, ut ex eorum calida euaporatione febris accendatur, & etiam si caliditas pestifera accensa in spiritibus potest cordis contenta inflammare, quanto magis, si contentæ in corde humiditates accensæ a calore putredinali pestifero sint, poterit substantiam cordis & eius humiditates in calefacto esse ponere? Iam uides ex dictis non esse semper putredinem in corde, nec in contentis cordis, sed ut Montanus ait in tertio capite, in omnibus potest esse humoribus & ab ipsis incipere, qui humores neque in corde generantur, neque in eo resident, scimus etenim cor sanguinem a iecinore attrahere, ut eum in spiritum uitalem conuertat, quem quantum potest conseruat, neque ibi putrescere dicendum est, quod si aliqua ex causa putrescat, mors procul omni dubio cita sequetur. Nam quibus putredo iam est in corde, pulsus procul omni dubio illis deficit, ut ipse Montanus affirmat, dixit præterea in hac tertia parte etiam sine aliqua probatione nullam aliam febrem oriri ex putredine sanguinis, quam, febrem pestilentem, Dii boni, uide, uideantq; qui libros omnes illustrium medicorum tam antiquorum quam modernorum legerunt. Miror quidem mi Augustine quod uir alioquin doctissimus dixerit sanguinem non posse in uenis putrescere nisi in pestilentiali febre; quantum uero consona sit expositio, quam adducit ex auctoritate Galeni secundo de Crisibus & primo de Differentiis febrium, dicentis sanguinem putrescere ubi est sanguinis inflammatio, cogitent medici, qui toties rem ipsam experiuntur, nam cum sanguis ex sui temperie & calidus & humidus sit, humor paratissimus est ut putrescat; si ad reliquos tres humores inspicias, non uideo ego rationem, qua minus putrescere possit, sed facile decipiuntur qui causam contradictionis quærunt in aliqua apparente & non uera ratione aliquem conuincere, ut hic uides in hac Galeni auctoritate Montanum deceptum fuisse; immo si quis uellet sua dicta in eum reflectere hominem utique conuincet. Nam nullibi in corpore nostro datur sanguis extra uenas, præter quam in cordis uentriculis, & secundum quosdam in uia illa cerebri, quam torcular

uocant, quod minime uerum est in torculari, cum ibi sint uenæ subtilissimæ sanguinem detinentes, ut in meo de sectione corporis humani libello claré uidere est, igitur in corde solo sanguis extra uenas reperitur, neque primo ibi, Montano etiam asserente, putrescit. Sed ne tibi longa oratione molestus sim, hæc dicta satis erunt, cum omnes antiqui & moderni illustres medici suis scriptis meas rationes confirment, uidelicet sanguinem in uenis putrescere, & febres ex eius putredine oriri. Quæ sunt differentes hoc modo, nam quædam procedit augendo, quædam declinando, tertia in eodem statu manet usque ad inclinationem, & dicuntur febres sanguineæ, scilicet quia sunt ex eius putredine ortæ, quæ nullo modo pestilentiales sunt. Legisti etiam febres omnes habere pro subiecto tres substantias nostrum corpus constituentes, tibi notissimas. His igitur de esse febris pestilentialis sermonem exponere mihi uisum est, ut uideres modum, quo in curatione febrium pestilentialium medicus procedere debeat, & quanquam in reliquo processu plura adnotauerim, non tamen illis in præsentia contradicere animus est: Cum tantum intentio sit discutere an in cura huius febris pestilentialis moderni recté se gerant, tam in regimine rerum necessariarum, quám in medicamentis per os exhibitis, & exterius applicitis, atque etiam in iis, in quibus manuum operatione utuntur, ut sunt Clysteria, frictiones, inunctiones, appositiones cucurbitularum, uenæ apertiones, & alia huius generis auxilia, quæ ægris a medicis iniunguntur. Et an hæc à Montano recté posita sint & examinata, an potius plurima dicat sine ratione ex suis non probatis fundamentis. Dimissis igitur quæ de signis, & prædictione dixit, utpote illis, quæ non ex omni parte faciant ad id quod tota mente desiderare te dicis, eá solum, quæ de curandis febribus sunt, examinabo, eo ordine, quo Montanus examinabat; & ne ordo confundatur intentiones præcauendæ futuræ febris pestilentialis prætermitto, sequar tamen reliqua ueritatem declarando. Proponit Montanus quædam dubia ad euacuationem pertinentia, quorum prius est an in febre pestilentiali missio sanguinis per uenæ sectionem ex usu sit, ad quod dubium respondet quæstionem hanc esse absurdam, & ea ratione non dignam ut a medico ponatur in dubium. præterea subiungit rationes illorum, qui in casu timent uenam aperire, & sanguinem mittere, quæ sunt uidelicet

delicet ne agitetur materia, & ex hac agitatione putredo augeatur, quibus cum rationibus imperitos medicos accusat. Equidem ad huius dubii declarationem plura ad te scriberem, quæ, quoniam in meo de febre pestilentiali libello te ea legisse scio, hic repetere superfluum iudicaui, nimis enim in longum protraheretur oratio, poteris igitur ea iterum legere cum omnia ita clara sint ut non indigeant declaratione. Et quoniam unusquisque se scire sibi persuadet, non possum hominem laudare, qui medicorum potius imperitiam, quàm artis medicinæ imperitos homines, & aliorum negociorum professores reprehendere uoluit, etenim omnia necessaria in eo libello persequutus sum. Secunda quæstio an trāsacta quarta sanguinem per uenæ apertionem mittere tutum sit, in quo quæsito Auicennam in fauorem suum citat, sed quicquid sit de Auicennæ auctoritate, hanc quæstionem solutam pluribus rationibus in iam citato meo libello te uidisse scio, in præsentia tamen hoc addam scilicet putredinem non esse semper in corde, aut in contentis humoribus cordis ut superius dixi, nisi quis affirmare uelit propè mortem factam esse putredinem in humoribus contentis in corde, quod cum est nullo auxilio medicinali liberari possunt ægrotantes. Et cum iam in dicto meo libello probauerim ualidissimis rationibus hanc febrē pendere ex mala qualitate uenenosa, (siue pestiferam dixeris non refert) non laborabo in ulteriori probatione, satis igitur tibi sint dicta, si etiam illis, quæ sequuntur, addidero unum, & est quod dies quarta est dies critica, tametsi raro uideatur, ut dixit Galenus tertio de Crisi. cap. 4. & secundo de diebus decretoriis, dixit quoque quartam duas habere indicationes, quarum prior est ut sit dies critica, debilis tamen, posterior uero est ut sit indicatiua septimæ, (quanquam rarissimæ fiant crises in febribus pestiferis ex Galeni sententia) quod si quartus dies decretorius est, & si debilis sit mouet proculdubio in illa die aliquid natura, præsertim in morbo acuto, sed cum natura in talibus febribus ad partes cutaneas moueat, ita, ut maculæ, quas pestichias uocant, in cute appareant, & ad hanc potissimum partem pellat tanquam ad membrum quod præter alios usus, quos habet, recipit etiam uniuersi corporis excrementa, si credimus Galeno secundo de causis morborum, quod si ita est ut operetur in quarta, præsertim in acutissimo morbo, in quo sæpissime, & ut plurimum ad cutem

pellit, teste experientia, non sine maximo discrimine post quartam diem uenam incidere & sanguinem euacuare medici possunt. Etenim materiam, quam à nobilioribus ad ignobiliora mēbra pellit natura, nullo pacto reuocare debemus, præsertim si uenenosa fuerit, ut est materia affecta mala qualitate pestilentiali, sed potius naturam adiuuare fricationibus, & aliis auxiliis per os sumptis, quæ possunt eam ut facilius egrediatur præparare, & ne intus reuertatur abstinendum erit à sanguinis missione per uenæ apertionem: quod si sanguis abundauerit cucurbitulis scarificatis appositis detrahi debet. Verum enimuero si corpus plethoricum fuerit ita, ut sanguine plurimo & malo abundauerit constante uirtute potest medicus sanguinem mittere aperta uena, sed hoc non est faciendum nisi cum cautela, nam ubi febres cholericæ sunt, non sine discrimine sanguinem per apertionem uenæ euacuamus, cum sanguis sit frænum choleræ, & amoto choleræ fræno effrænitat utique cholera, unde sequuntur febres uehementiores, & euaporationes calidiores, & ficciores ad caput, sicq; dolores capitis fiunt & uigiliæ cum alienatione, & sæpissime incidunt in inflammationem seu apostema cerebri, uel uelaminum ipsius. At illud deterius est quando iam natura post quartam incipit sanguinem aliquo modo mundificare ab humore mala qualitate aliqua infecto, & eum ad partes cutaneas pellere tentat, si uena incidatur & sanguis euacuetur, quoniam timor est ne pars illa, quæ pulsa fuit a natura, iterum uenam ingrediatur, & cum sanguis extra uenas facile putrescat; utpote extra proprium locum maiorem malitiam acquirit, eamq; malitiam sanguini in uenis communicabit; & sic per partem post partem totam massam sanguineam in maiorem malitiam mutabit, & petens cor hominem interficiet. Quod autem hoc sit uerum experientia testatur, etenim plurimi mortui sunt, & ferè omnes postridie a sanguinis missione, quibus aperta fuit uena post quartam diem, uerum si (ut dixi) sanguis abundauerit, ita, ut ex nimia eius quantitate, accidentia suffocationis appareant, uirtute cōstante quacunque die & hora aperire uenam & sanguinem mittere conuenit. Tertium quæsitum erat de quantitate sanguinis, uidelicet nunquid ad animi defectum euacuare sanguinem conducat, pro qua opinione adducit Hippocratem prima particula Aph, Aphorismo vi, in fauorem illorum qui audent ad animi de

fectum sanguinem mittere, qui ex tali quantitate sanguinis euacuati maxime refrigerantur & exsiccantur, eorumque corpora rarefiunt, sicque putredo prohibetur. Contrarium uero fit si pauca erit sanguinis euacuatio, quoniam sanguinis ebullitio & prohibet euacuationem materiæ, ex quo augetur putredo, ex quibus inferunt conclusionem talem, scilicet uel sanguis non est mittendus, uel copiose eum euacuare operæpretium erit, & quanquam respondeant huic dubitationi, responsio nihilominus non ex omni parte satisfacit. Dico igitur quod cum proprium febrium pestilentialium sit, uirtutes omnes infirmas reddere, & præsertim uitalem, nullo modo exquisite & copiose euacuare tutum erit, sed sensim & modeste atque sine uiolentia, qualiscunque fuerit euacuatio siue sanguinis, siue aliorum humorum, fieri debet, adde etiam non esse quærenda in febre pestilentiali primo remissio caloris, sed uenenositatis augmentum prohibere, & corroborare, ut ab ipsa se defendere ualeat, cum illis etiam, qua refrigerare modeste possunt non exagitata massa humorali, ut fit per uenæ sectionem præsertim si euacuatio copiosa fuerit. Quod uero dicit de multiplicatione euacuationis sanguinis ad plures uices non est rationale ex dictis rationibus, cum reuocet malam materiam ad uenas magnas, nisi ubi est maxima sanguinis abundantia suffocans, semper autem siue parca, siue copiosa sit euacuatio sanguinis perniciosa est, uel non sine maximo discrimine: ut clare in sæpe allegato libello demonstratum est. Quartum quæsitum ab eo est a qua uena sanguis mittendus sit, in qua parte uide quæso quæ, & quibus rationibus & auctoritatibus dicta & allegata probet, & quantum doceat. Porrò de loco siue uena a qua sanguis mittendus sit non potest quis determinate docere, nisi distinctione facta de minera humorum putrescentium, quo in casu secundum diuersa membra in quibus humores affecti mala qualitate pestilentiali putrescant, uenam aperiendam eligere operæpreciũ est, ut ipse immemor suæ non probatæ positionis tibubat de loco, a quo sanguis hauriẽdus est, quæ positio si esset semper uera, uidelicet quod in quacunque febre pestilentiali putredo & qualitas pestilens esset in corde, uel in contentis in corde humoribus, nulla alia uena secanda esset nisi basilica ipsa dextera, & hoc quoniam (ut sensata membrorum dissectione apparet) illa immediate & primo a cordis dextero uentriculo euacuat, secun-

dario a iecinore, sicq; materiam peccantem euacuaret: sed cum positio non semper sit uera, distinguere de minera, ubi humores putrescunt, oportet, & uidendum etiam est an retentio alicuius cõsuetæ euacuationis sit, utputa hæmorrhoidarum uel in mulieribus sanguinis mensualis, uel quomodocunque retenta aliqua consueta euacuatio fuerit & utique ab illis uenis correspondentibus mineris retentæ euacuationis sanguis mittendus esset seruata uel non seruata rectitudine, quam rectitudinem si possemus seruare melius ageremus cũ ægrotis, & tametsi Græci minimè hoc uiderint (ut dixit Montanus) non proptérea tollitur quin & Arabes & Latini possint meliora inuenire remedia, & illa antiquis inuentis addere, quicquid de hoc sit non est tutum post quartam sanguinem aperta uena mittere nisi multitudo hominem suffocet, ut dixi. Quod uero petit quinto loco nunquid expectanda sit concoctio in febribus pestilentibus, superfluum uidetur mihi, cũ in acutis eodem die & hora euacuare operæpretium sit, differre autem timorosum est, similiter turgente materia illico euacuare expedit, teste Hippocrate. Et cum febris pestilens sit acuta & eius materia turgeat, qua hora medicus accesserit, si tuto fieri potest, eum euacuare debet, dixi tutò quoniam transacta quarta ubi non est sanguinis multitudo suffocans, uel si sanguis subtilis extiterit, qui ex eius euacuatione choleram effrænare faciat, & etiam si iam maculæ siue pestichiæ apparuerint, non sine maximo discrimine uena in primis secatur ex dictis rationibus & experientia; similiter per medicamentum forte per os sumptum non sine maximo discrimine euacuamus, sed conducit clysteribus leuibus in primis uentris excrementa educere, deinde leui aliquã medicina a uentriculo & ab aliis uiis communibus propinquis reliqua excrementa & superfluitates sine molestia educere, & hoc commodè fieri potest cum decocto tamarindorum, manna, casfia, syrupo rosaceo ex multiplici rosarum infusione uel consimili leui medicina, & tametsi missio sanguinis corpus refrigeret, non propterea semper refrigerat, sed sæpissime bilem effrænitare facit, uel quod materia uenenosa qualitate pestifera affecta ad uentriculum cordis maritum succedat, aut si copiosa fuerit ita, ut refrigerare possit & uirtutem nimis imbecilla n reddat. Ex his uides quid agendum, & quando & quomodo & a quo loco sit euacuãdum, & quoniam duplex est materia in multis ægritudinibus materia-

libus, scilicet antecedens & coniuncta, & ex dictis euacuationibus non omnis materia euacuata fuerit, ideo conuenit regimen illud quod materiam reliquam præparare possit: quam præparationem, siue coctionem, siue rectificationem, siue adæquationem, uel aliquo alio nomine appellare uolueris non refert, hoc unum perpetuum in febribus pestilentialibus erit, quod semper & omni ingenio studere oportet in rectificando & adæquando massam humoralem siue cum regimine aeris, cibi & potus, & aliarum rerum necessariarum, siue per exhibitas potiones, ut de istis omnibus clarè scripsi in iam citato meo de febre pestilentiali libro. Ex dictis collige in hac febre conducere digestionem, quæ nil aliud est quàm præparatio, & correctio humorum quæ semper necessaria est; & facile respondebis sexto Montani quæsito. nam alia est intentio quæ respicit materiam, & alia quæ respicit qualitatem pestiferam, & alia quæ respicit causam tam agentem, quàm patientem, quæ est humiditas parata suscipere putredinem cum qualitate uenefica, quicquid sit cum adest pestifera qualitas siccare operæprecium est, sed non semper eodem gradu exsiccationis uti est necessarium, simili modo ex dictis respondetur dubio, quod erat an liceat uti medicinis soluentibus & fortibus, ex dictis superius; tum quoniam exagitant uenenosam materiam, tum quoniam uirtutem uitalem exterminant, & membra naturalia, ut est uentriculus, intestina & iecur, debilitant, quod affirmant dicta Montani, quæ uerba si subtilius pensitasset non fuisset ita audax in sanguinis missione per uenæ apertionem, cum longe maior sit resolutio in sanguinis euacuatione, quàm in purgatione per secessum, aliquando tamen in ualde plethoricis, ut sæpe dictum est, & robustis plurimum confert, sed in huiusmodi euacuatione cautè agendo medicus & ægri utilitati, & suo honori consulere debet. Et tametsi dixerit Montanus cassiam augere putredinem, minime ei possum credere, sed forte error fuit scribentis & non intelligentis, quoniam sexcenties dedi cassiam febrientibus febre pestilentiali, & non aucta fuit putredo, sed minorata materia mitiora fuerunt accidentia, & denique sanitati fuerunt restituti. scio etiam alios Medicos eam dedisse, quod quidem & sibi & ægris bene successit. Quid uero dicendum sit ad quæsitum an Medicamentum Ruffi medici præstantissimi, & ab omnibus aliis post ipsum con-

firmatum, quod ex aloe, myrrha, & croco fit ex usu esse posit, dicam ego cum Aristotele in Topicis, uidelicet quod ea, quae ab omnibus in sua arte confirmantur sunt ueluti axiomata principia & fundamenta, quae addiscentes sine hæsitatione accipere debent, quare ignari hominis quaerere hoc mihi uideretur esse, sed satis erat sibi confirmare cum aliis, postquam praeter antiquorum omnium & modernorum auctoritates, ratio ipsa illud affirmat; etenim hoc medicamentum in primis materiam putridam sine agitatione & leuissime euacuat, stomachum, iecur, cor, & cerebrum roborat, & a putrefactione praeseruat humores, nec, ut ipse dicit, in praeseruatione tantum ualet, sed in curatione si cum aliis medicinis lenientibus permistum fuerit, utputa, cum cassia, manna, syrupo rosacco, atque aliis obtundentibus eius caliditatem, si superflua fuerit, quae in eo est. Et quem ad modum ipse docet corrigere exsiccationem rhabarbari per infusionem, sic possumus nos remittere Ruffi medicaminis caliditatem, cum aliquo refrigerante, uel aliqualiter humectante, dico modeste humectante quoniam facile sic obtunditur caliditas, non tamen tollitur siccitas. Octauum dubium erat nunquid apparentibus pestichiis, uel alterius generis abscessibus, conuenientes sint euacuationes per sanguinis missionem, uel per medicinae sumendae per os exhibitionem, & adducit rationes pro utraque parte. Ego tamen ne longa oratione sibi fastidio sim, rem ipsam, praeter ea quae superius dixi sic declarabo, apparentibus pestichiis uel aliis tuberculis, pulsa materia a natura bene operante; quod erit si in die indicatiua, quod raro fit uel decretoria dictae maculae apparuerint, ex qua apparitione sequatur febris alleuiatio, non oportet aliquam curationem per sanguinis missionem facere, nec etiam per assumptam medicinam uentrem subducentem, quoniam natura recte operante nihil agendum est, ut dixit Galenus de cura febrium ad Glauconem, at si eiusmodi pestichiae, uel tumores apparuerint in die non indicatiua, neque decretoria: nec ulla sequuta fuerit alleuiatio, & corpus fuerit plethoricum uel etiam cacochymum, & uirtus constans, aetas & alia consentiant tuto euacuare possumus tam per uenae apertionem, quam per exhibitam per os medicinam, ut uirtus melius reliquam materiam regulare posit, sed id quod uidetur Montano plurimum displicere, est cucurbitularum scarificatarum appositio: inquit nanque

expulsionem, uel apparitionem macularum, & tumorum non esse ex uirtutis operantis fortitudine, sed a multitudine & malitia materiæ, & etiam ob retentricis uirtutis imbecillitatem ad quam sequitur expulsio; non quia expultrix fortis sit, sed cum non retinet retentiua facile expulsiua expellit, nec propterea æger alleuiatur, & docet in casu euacuare ægrum, uel eius interitum prædicere; facta igitur distinctione an uirtus imbecillis sit per resolutionem, uel aggrauata, dat signum quo cognoscitur an uirtus debilis per resolutionem sit:& est quando non præcesserunt, quæ uirtutem resoluere possint. quæ autem uirtutem resoluunt, sunt hæc, uidelicet euacuatio plurima, & longitudo morbi. In qua causarum resolutionis siue debilitatis uirtutis assignatione plurimum defecit, cum illam potissimam causam resolutionis non enumerauerit, & est malignitas pestifera uenenosa inficiens spiritus cordis & aliorum membrorum principalium. Prosequitur deinde in casu & euacuationem iubet, ut reddatur uirtus fortior supra residuum materiæ, etiam si maculæ sint uel tubercula apparuerint, clamatq; contra illos qui cucurbitulas scarificatas apponunt, & docent quando possunt cucurbitulas applicare, dicens quod est quando materia pauca fuerit, sed si multa erit minime conuenire, quoniam sanguinis subtilem partem attrahemus crassa remanente, ex quo minuetur calor & putredo augebitur, & infert ex dictis oportere uel cum apertione uenæ, uel cum medicina ægrum euacuare. Qualis sit ista positio mi Augustine uides, quis quæso ita rudis est, qui nesciat in continua febre putrida materiam putrescere in uenis, & ut dicebat Galenus de tertiana non solum in uenis magnis & propinquis iecinori, uerum etiam in uenis quæ sunt in ambitu totius corporis, quod cognoscitur ex lassitudine membrorum in accessionibus, qualis igitur & quæ uia melior erit illa, ad quam ex intentione natura excrementa uniuersi corporis expurgari solent, & est cutis extrema pars corporis, ut dixit Galenus secundo de causis morborum Neque ratio Montani ualet, quæ est quod cum appositione cucurbitularum subtilis pars attrahitur crassa remanente, quod est in causa ut calor imbecillis reddatur, & id quod pulsum est ad extremum cutis non amplius reguletur a natura, siue illa expulsio fuerit a uirtute bene & recte operante, siue Symptomatice, uel a multitudine aggrauante, uel a malitia stimulante. Non possum ite-

rum non mirari in dictis Montani, qui dixit cucurbitularum appositionem cum scarificatione refrigerare cutim simpliciter, ita ut prohibeat transpirationem corporis; hoc uero dictum si simpliciter intelligatur falsum est; quoniam attractio sanguinis per scarificationem reddit cutem ad suum temperamentum amota parte illa sanguinis mali inflammantis cutem & apertis meatibus in extremo ipsius, sicq; non refrigerata est sed contemperata, & ideo non fiunt obstructiones nec alia à Montano imaginata, sed potius alleuiatur natura ex tali scarificatione. Nam si materia ibi remanebit, utique deterior efficietur, cum ut dixi destituta à calore naturali & extra proprium locum sit, deterior redditur & ex hac noua malitia ex dictis causis acquisita poterit augere malitiam residui humoris existentis in uenis propinquis, qua aucta per partem post partem ad reliquas uenas maiores transibat usque ad mineram & ad cor etiam. Et ideo optimè operantur qui cucurbitulas scarificatas apponunt; quod si abusus harum cucurbitularum reprehendit cum scarificatione & sine scarificatione & conceditur sibi, quoniam semper qui sine ratione operantur reprehendendi sunt, & damnandi, secus erit si recte operentur. Iam notissima est Hippocratis sententia quod ubi natura incipit operari ibi medicus eam adiuuare debet per conuenientem locum, quam propositionem affirmat Montanus, sed si iam appareant maculæ cur nõ debemus naturam imitari? & adiuuare eam si debiliter operetur impedita à multitudine uel malignitate. Quare his stantibus laudandæ sunt cucurbitulæ leuiter scarificatæ, quoniam semper possunt materiam reuocare ad ignobilius membrum & quoniam refrigerant, diuertunt, & euacuant. Quod uero dicit febrientes febre pestilentiali habere calorem innatum debilem & calorem febrilem magnum seu fortem est contra suam expositionem, dum exponit Galenum dicentem febrem esse calorem naturalem siue natiuum in igneum conuersum, etenim ex eius expositione ibi posita unus est tantum calor natiuus, qui in igneum conuersus febris dicitur, & nihilominus immemor suæ non ab omnibus probatæ positionis duos enumerat calores, scilicet alterum naturalem debilem & alterum febrilem fortem, ergo non est calor aliquis præter naturam in corde in febrientibus, cum sit tantum unus calor, sicq; non sequitur sua ratio. Quod autem dicat appositionem cucurbitularum extrema refrigerare absurdũ est, quoniam

niam ex ipsis calor exterius attrahitur, uiæq; & meatus aperiuntur, ita ut uapores pestiferi melius egredi possint, etenim attractio ad exteriora membra qualiscunque fuerit sine uiolentia semper utilis est, siue illa per fricationes, siue cum rebus aliquo modo aperientibus, siue cum cucurbitulis dictis fiat, dummodo non impetuosè materiam moueant, quoniam summoperè iuuant, non inflammant, sed ut dixi, adæquant calorem, cum spirabile reddat corpus. Quod si appositio uentosarum refrigerat, non simpliciter refrigerat, sed refrigerat ad hunc sensum, scilicet remouendo caliditatem factam a materia præter naturam, quæ ad cutem transmittitur cum malignitate pestifera, quare malè dicit attractionem sanguinis per uentosas refrigerare cutim, debebat enim dicere ex tali attractione & euacuatione sanguinis cutim redire ad propriũ temperamentum, sicq; non fiunt obstructiones, nec per consequẽs maior putredo. Similiter cum dicit de euacuatione per uenæ apertionem, uel medicinam per os sumptam, error maximus est, & præter rationem dictum, nam tam apertio uenæ quàm euacuatio per medicinam ducit humores iam pulsos ad partem cutaneam ad intrinsecas partes, quomodocunque illæ fiant euacuationes, quoniam si sanguis extrahatur aperta uena, utique pars illa mala, quam iam natura cœperat ad cutem pellere, retrocedet impedita à contraria actione. Similiter de medicina per os sumpta, dum ad intestina excrementa inuitat, materiæ aliæ in reliquis membris uicinis illam consequuntur, sicq; per partem post partem ad interiora reuertunt. Quare securius & melius operantur qui cucurbitulas apponunt, & eas leuiter scarificant, ex quibus uides etiam melius & rationabilius operari cum cucurbitulis scarificatis, nam qui cum ratione operatur inspicit morbum, & uirtutem, atque eius operandi modum, deinde eam imitando per conuenientem locum educit. Quod si quis dicat pro eius defensione Montanum Empiricos & ignaros accusare, non autem doctos, & eos, qui cum ratione medelam præstant, ille in hoc saltem errauit quoniam debuisset illud exprimere & non omnes accusare. Prosequitur etiã Montanus & accusat Medicos qui clysteribus utuntur ad aluum leniendam, asserens nihil perniciosius in pestilenti febre esse usu clysteriorum, quoniam præparat ad uentris fluxum. Equidem sexcentos (ut ita dixerim) sanitati restitutos uidi annis illis infœlicissimis 1527. & 1528. in quibus fuere febres pestilentes cũ ma-

culis & tumoribus,meo & aliorum medicorum consilio, & hoc rationale fuit,quoniam aluus adstricta erat,& maculæ per uniuersum corpus scatebant,& cum assumerent cibum bis in die, & excrementa uentris sponte non egrederentur clysteribus opus erat, sed cum tum a malitia putridæ materiæ facientis febres,tum a uaporibus ascendentibus ab excrementis retentis, in maiorem angustiam,inquietudinem & dolorem capitis,atque alia consimilia accidentia deueniebant necessum erat sic operari. Quare male in hoc dicit Montanus,neque enim,ubi fluor uentris apparebat,audebant astantes, non dixero medicos, ut clysteres imponerentur suadere. Postea uero quærit an fluxus uentris in pestilenti febre compingēdus sit,pulcherrima & digna medico quæstio, hæc est, etenim ut rem paucis absoluam, dico quod si uenter fluat & febris leuior fiat,accidentiaq; remittantur, & uirtus constet, dimittendus est,neque aliquo modo compingendus, sed naturalibus uirtutibus opitulari operæprecium est,cum cibariis alteratis & rebus stomachum alterantibus,& etiam medicinis hanc eandem intentionem habentibus,ut sunt quamplurimæ confectiones, membra naturalia,& cor roborantes,spiritusq; recreantes, porrò plurimæ sunt medicinæ alterantes, quæ non constringunt sed substantiam uentriculi roborant, sanguinem & spiritus clarificant, & malignitati putredinali pestiferæ resistunt, quales sunt coralli, Margaritæ,terra Lemnia,Ribes,Berberi & similia, sunt & compositæ plurimæ confectiones, quæ tibi medico notissimæ sunt, quibus medici docti & solis & permistis secundum rei indigentiam utuntur,sicq; recreant uentriculi concoctionem, tum corrugando tunicas,seu eius substantiam,tum prohibendo corruptionem,tum etiam malignitati pestiferæ resistendo,sicq; redditur uentriculi uirtus fortior,ut si qua mala materia in ipso est, facilius & citius expellatur,qua euacuata assumptum nutrimentum melius a calore præparatur; sunt & alia quàmplurima a uiro doctissimo legente dicta, quæ maiorem diligentiam & examen desiderant.Quare hic finem dicendi fecissem,nisi quædam non ex ordine a me declarata,quorum causa hæc ad te scribere uolui,summatim & in Epilogi modum & ordinatè dicere oportuisset, ut clarius sententiam meam de re primaria habeas, ea nempe quæ in difficultatem(ut mihi uidetur)animam attrahebat. In primis autem erat quæstio de euacuatione per sanguinis missionem aperta

fcilicet uena,& etiam de appositione cucurbitularum, atq; etiam de medicinis per os exhibitis,& clysteribus;quibus collectis, con clusionem huic processui faciam,addamq; in quæstione unũ,quo medici sæpissime utuntur, & est an apponere hirudines,siue sanguisugas hæmorrhoidibus ex usu sit in febribus pestiferis,sed pri mo a uenæ apertione incipiam,quæ, ut dixi,post quartã minime conuenire potest, præsertim apparentibus maculis, & tumoribus per uniuersum corpus, nisi in maxima repletione sanguinis suffocantis, quo in casu aperire uenam non semel sed bis & ter conducet, & applicare hirudines hæmorrhoidibus, ut diffuse in meo de febre pestilentiali libello probatum fuit. Conducit quoque euacuare in cacochymia, & maxima humorum repletione, a principio & post quartam, tametsi apparuerint maculæ, & apostemata constante uirtute, quod si neque sanguinis repletio dicta, neque plenitudo humorum fuerit,& maculæ apparuerint nullo pacto nec uenæ apertio, nec euacuatio ex usu esse potest, sed tutius est clysteribus feces intestinorum subducere, & cucurbitulas scarificatas apponere, de quibus uide in iam citato libello rationes, causas & iuuamenta, quibus factis semper cordis roborantia & spiritus recreantia, & clarificantia ægris exhibere operæpretium erit, ut est terra lemnia, bolus armenicus, corallus, margaritæ, & fragmenta gemmarum, & aliæ nobiles confectiones, quoniam, præterquam quod sua substantia cor roborare possunt, habent etiam uim clarificandi spiritus infectos putridis uaporibus a minera febris eleuatis. Neque uelim te credere positionem illam Montani, uidelicet in quacunque febre pestifera putredinem esse in corde, uel in eius contentis, cum sibi ipsi contrarietur; Siquidem ubi de signis febrium pestilentialium agit, docet cognoscere quando putredo est in corde per hoc potissimum signum, uidelicet per defectum pulsus, inquit nanque si putredo fuerit in corde utique pulsus deficiet, & cum etiam conetur ibi signa aliqua putredinis cordis docere, ex suis dictis apparet non semper putredinem esse in corde, sed in aliis etiam partibus corporis, sicq; qui stipticis utuntur auxiliis cor roborantibus, ut sunt superius dicta, optime operantur, nihilq; in cor compingunt, quando minera non est in corde,immo ipsum roborando à malignitate pestifera defendunt. Habes doctissime Augustine meam de euacuatione sententiam in febribus pe-

ſtilentialibus, per ſanguinis miſsionem & cucurbitularum appoſitionem hæmorrhoidibus, & clyſterium adminiſtrationem, atque etiam cordis recreationem, quam quantum potui breuibus ad te ſcribere uolui. Quod ſi omnia probata ſcire deſideras, in iam ſæpe citato libello omnia clarisſima inuenies. Vale, & me, ut facis, ama. M D L V. Menſe Martii.

COLLOQVIVM DE FEBRE TERTIANA & de ſignis omnium febrium ad quoſdam diſcipulos.

EPIST. X.



QVONIAM ſæpe me rogaſtis, ut aliquando in tot febrium conſultationibus exemplum aliquod ad dignoſcendas febres uobis ſcribere uellē; quod equidem libentius feciſſem ſi unico exemplo toti de febribus materiæ accommodare poſſem, cum difficile admodum illud deſcribere ſit quod ad omnes febres & ad omnes ætates, omnesq; ſexus & temperamenta atque etiam anni tempora adaptari posſit. Sed cum præteritis iſtis autumnalibus diebus in colloquiū nobilis ac generoſi iuuenis Domini N. xxx. annorum nati, calidæ & ſiccæ a principio generationis temperaturæ febrem cum dolore capitis, ariditate linguæ & ſiti incenſa cum maxima inquietudine patientis, eſſem unà cum clarisſimis illis medicis uocatus, cumq; uobis & quamplurimis uiris doctisſimis præſentibus, pro morbi dignotione atque rei aduentus prædictione, & poſtremo morbi ablatione plurima dicta fuiſſent nihilominus poſtea quam in cymbam reuerſi fuimus uos me rogare cœpiſtis, ut præter ea, quæ in conſultatione dicta à uiris grauisſimis & a me fuerant aliquid ad alias etiam febres dignoſcendas & curandas declarare uellem. Qua in re quia iam inclinata erat dies, non potui uobis tunc temporis ſatisfacere; pollicitus tamen ſum de hac eadem re aliqua in caſu ad omnium atque ad ueſtram utilitatē ſcribere. quæ ſic incipiam: Nobilis iuuenis habitu corporis gracili & non plurima carne referto, cum corporis partium exteriorum colore ad quandam citrinitatem cum fu ſcedine tendente una cū amplitudine uenarum ut uidiſtis: ſed ut omnia ex methodo procedant & morem rationalium illuſtrium

medicorum obseruem; quæ ad cognitionem morbi & reliqua prænotata a nobis fuerunt, ex ordine scribam. Primum ex auctoritate Galeni primo de Constitutione artis Medicæ & ratione sic dictante ad cognitionem quantitatis & qualitatis malæ temperiei calidæ, quæ febris est, eius naturalem temperiem ponderauimus, quoniam fieri minime potest ut quis recté sciat quantitatem & qualitatem dispositionis & affectus præter naturam, nisi prius naturales dispositiones cognoscat, naturales autem res uel dispositiones, sunt uidelicet ætas, temperatura, sexus, & quæ istis annexa sunt ut uires, corporis operationes, humores, spiritus, anni tempora, & quæ sequuntur, consuetudines etiam & loca, seu regiones. Et quoniam ea quæ nota sensibus sunt non egent declaratione, idcirco reliquis dimissis ad eius temperamenti dignotionem ex Galeni præceptis in libello artis paruæ deuenerunt & eam talem ut dixi constituere conati sunt rationes in primis á substantialibus inhærentibus incipientes. Membraq; principalia, & capitis in primis temperamentum & partes & operationes ponderando, quod caput cum optimam figuram & magnitudinem habeat caliditatis dominium ostendit, color quoque cutis citrinus cum fuscedine idem testatur capillorum & barbæ, pilorum nigredo & crispitudo caliditatis & siccitatis dominium arguunt. Præterea cum ex sententia omnium illustrium uirtutes interiores per operationes cognoscantur; operationes á cerebro prouenientes tã interiores, quàm exteriores examinauerũt, cumq; imaginatiuam: discursiuam, & memoratiuam incolumem uná cum exterioribus sensibus, ac partium motus cum agilitate & promptitudine dum esset sanus intellexerint caloris cum modesta siccitate dominium affirmarunt. Posset quis dictis eorum, figuram, magnitudinem, & oculorum nigredinem, & ut ita dixerim uiuacitatem addere, una cum paucitate sputaminum & narium muccositatum. atque sermonis promptitudinem adde; quæ omnia idem temperamentum capitis esse confirmant, secundum membrum ex principalibus, seu eius temperamentum sic examinarunt quod calidum & siccu m á principio generationis, contractum fuisse istis essentialibus in primis signis, & ex accidentibus sic confirmarunt pectoris siue thoracis latitudinem in primis enumerando non plurimæ carnositatis neque pinguedinis, & etiam cum optime respiret hoc non nisi a caliditate extendente carente superflua humidi

tate fit, quæ partes cum sint hirsutæ & plurimis pilis refertæ, sitq; promptus, animosus, atque ad iram & excandescentiam procliuis, & mores sint feroces pulsusq; magnus & fortis, omnes istas notas caliditatem attestari affirmarunt. Tertium membrum principale ponderatum fuit hepar quod calidum & siccum temperamentum a principio generationis habuisse probarunt ex membrorum carnosorum gracilitate, atque ex magnitudine uenarum, & præsertim circa uentris inferioris partes, in quibus pilorum insignem quantitatem adnotarunt. Adnotauimus quoque inter naturalia membra uentriculum, utpote membrum quod iecori deseruit, quem frigidum & siccum iudicauimus, cum exteriores partes, quæ regioni uentriculi correspondent, satis graciles sint, similiter & interiores uirtutes & operationes tam in præparando quam in expellendo per plurimum temporis spatium laboret; quod esse nō potest nisi quoniam refrigeratæ sunt partes tunicarum ipsius tum a nimia hepatis caliditate humidam eius substantiam absumente, tum quoniam natiuus eius calor exiccando dissipat, ita ut eius substantia rarior reddita calorem retinere non ualeat, tum etiam ex cruditatibus, quæ continue in eo generãtur, non enim uentriculus refrigeratus probe ingestum cibum mutare potest, facit etiam ad totius temperaturæ cognitionem, genitalium temperiei cognitio, quam ab operationibns, ponderando calidam & humidam statuerunt; siquidem pronus semper ad uenerea fuit, filiosq; masculos procreauit, deinde partes genitalium hirsutas & plurimis refertas pilis habet, quæ non nisi a caliditatis abundantia temperatæ tamen prouenire potest. Quare his omnibus simul collectis totum corpus percalidum & siccum a iusto tēperamento declinare dixit Galenus secundo Artis paruæ. His ita que sic de naturali temperamento uisis, unà cum ætate iuuentutis autumnali tempore, & consuetudine, Reliquum est quæ de morbi essentia dicta sunt scribere, quam sic declarauerunt præmisso fundamento Galeni primo de Morbis, dicentis quæ præter naturam in corpore existunt esse morbos, uel causas, uel accidētia morbos insequentia; Morbus igitur ut uidisti febris est, & probatum tum fuit signo à substantialiter inhærentibus sumpto, quod est caliditas præter naturam in corde toti corpori communis, sed cum genera febrium tria sint, uidelicet genus ephemerarum, putridarum & habitudinalium; Et ad cognoscendum genus huius febris,

illud inuentum fuit a sufficienti febrium enumeratione, dixerūt nanque non esse hecticam, quoniam illa raro aut nunquam incipiendo fit, sed sequitur alia duo genera febrium; in qua febre nec rigores, nec horripilationes, neque frigora præcedunt; sed eodem tenore caloris affligit, & sine aliqua remissione aut intensione uniformiter calent & eorum pulsus parui sunt, debiles, duri, frequētes & sine diuersitate habentq; patientes perpetuum & inseparabile hoc signum scilicet quod ab assumpto cibo per unam aut alteram horam uel plus incalescunt; sed cum febris istius nobilis non sit huiusmodi hectica non erit: Neque ephemera, seu diaria, quoniam diariarum febrium calor mitis est & nullam habens mordacitatem. Pulsus etiam non plurimum in talibus a naturali dispositione mutatur tam in magnitudine, quam in frequentia & aliis differentiis, præterea ephemera raro accedit ad tertium quin in aliud genus febriū mutetur; sed cum iam sit sextus dies a quo febre laborare cœpit, & calor acris & alia accidentia aliarum febrium minime habeat nullo modo ephemeræ genus esse potest, relinquitur igitur quod sit ex humoralium genere; Et quoniam humoralium febrium tot sunt genera quot sunt humores uel putrescentes uel caliditatem præter naturam habentes, diligenti examine quæsitum fuit qualis esset humor qui ad inflammationem & putredinem ut species febris distinctæ esset nota, ad quam dignotionem auctoritate Auicen. quarta primi dictum fuit putredinem choleræ causare tertianam; sanguinis putredinem facere continentem seu continuam; Melancholiæ quartanam, & phlegmatis quotidianam constituere. Quæ putredo in diuersis humoribus diuersitatem caloris præter naturam facit, maiorem scilicet uel minorem, acrem, uel mitem, sicq; primo ab hoc essentiali signo inhærente speciem febris putridæ facilius cognoscimus, quippe cum putredo choleræ calorem acutum mordacemq; faciant; sanguinis uero putredo, quoniam plurima in eo humiditas & mitiorem, & non acrem calorem causat, ut choleræ putredo; Melancholiæ putrescentis calor nō ita mordax & acris ut choleræ putredinis est; Postremo phlegmatis putredo nō plurimum calorem causat sed obtusum & satis lenem. Quare primum a substantialiter inhærentibus signa sumendo dictum fuit febrem huius nobilis esse, & pendere a choleræ putredine; cum calor in ipso præter naturam ad tactum acris & mordax sit ualde, hoc idem attestatur, pulsus ma-

gnitudo, frequentia; uelocitas, cum diuersitate; & differt quidem pulsus uelox à frequēti, quoniam uelox ille dicitur pulsus, qui cito percutit, frequens uero est ille, qui sæpissime & ferè sine medio inter pulsationem & pulsationem percutit, ita ut uno temporis spatio frequentissimæ & numerosæ sint percussiones, quæ frequentia, & celeritas non nisi ex maxima refrigerationis cordis indigētia prouenire in casu hoc potest, similiter & rigores qui acuū pūcturarum similes sunt & acredinem humorum putrescentium attestantur; hoc etiam attestantur & secessus biliosus, atque urinæ croceæ & rubræ cum non nisi a permistione bilis & multitudine esse possit: adest etiā inquietudo, sitis, ariditas linguæ, dolor acutus capitis, quæ omnia accidentia ab ebullitione & euaporatione humoris cholerici fiunt, quippe cum bilis calidissimus humor sit, præsertim cum putruerit; putret quidem interdum sola & sincera, sæpissime tamen cum aliis humoribus permista, semper tamē siue sola siue permista, cum putrescit, tertianam febrem excitat. Sed quoniam tertiana non una tantum est sed multiplex, uidelicet, continua & intermittens; continua autem alia est causon, & alia continua proportionalis duabus tertianis; intermittens uero alia exquisita, & pura, alia non exquisita, sed spuria, & notha, utraque ut plurimum habens manifestas accessiones cum typo, frigore, horripilatione, uel rigore; hæc febris primo quoniam intermittit & manifestas habet accessiones & cum sudore terminat satis copioso non est continua seu assidua. At cum diuersarum febriū in genere meminerint, exponam uobis quædam non ingrata, siquidem causon febris ardentissima omnium tertianarum continua est, in qua excrescentia aliqua manifesta nulla apparet, quod si apparet ferè imperceptibilis est; continua uero proportionalis est illa in qua calor procedit sine intermissione, attamen tertia quaque die apparent remissiones aliquæ & exarcebationes siue intensiones correspondentes inuicem de tertio in tertium; Ex hac correspondentia dicuntur proportionales duabus tertianis; addatis etiam ex Hippocratis sententia continuarum non horrere proprium esse; sed cū in uiro Magnifico manifestæ sint horripilationes & frigora intermittens & interpollata est, & non continua, habens materiam putrescentem pro maiori parte extra uenas; sicq; hæc erit febris putrida intermittens, a materia biliosa putrescente dependens; At cum cholera alia syncera & exquisita sit, & alia

alia non exquisita; sed uel permista aut in se uel per aliud uitiata; dictum fuit,& quod non sit ex putredine exquisitæ choleræ clarum est,cum eius caliditas transeat & duret per spatium aliquando uiginti horarum,etenim exquisita cholera ante duodecim horas consumitur,& ægrum dimittit; Exquisita autem non transit duodecim horarum spacium,est ergo ut dixi humor putrescens cholera notha permista non syncera, quæ cholera notha cum a medicis aliqua dicatur maioris famæ,& aliqua minoris famæ;& minoris famæ illa dicatur,quæ fit per admistionem humoris melancholici puri uel non puripermisti;signa cuius sunt difficiles accesiones,& accidentia melancholiam consequentia, quæ in hoc ægro non sunt;aut per adustionem facti; præsertim cholericorum,ita ut aliquando tanta fiat in eo adustio,ut ad ueneni naturam redigatur,ut est uidere in illa,quæ porrina seu æruginosa dicitur,& sæpe homines interimit,quoniam non potest eius malitia a medicis,uel à naturali caliditate regulari;sed(ut dixi)ut plurimum ægrotantes ad perniciem ducit, in tali autem febre accidẽtia sæuisima apparent,ut est cardiaca passio,cordis pulsus, & alia accidentia,ut sitis magna,ariditas linguæ,dolor capitis,uigiliæ,sudores frigidi resoluentes & perpetua inquietudo; Vrinæ quoque subiugales siue turbidæ in talibus, atque etiam feces corruptæ apparent,quæ uiridem colorem & atrum secundum diuersitatem adustionis præ se ferunt cum uero in hoc nobili ista non sint,hæc cholera non erit illa,quæ minoris famæ dicitur, istius ergo signa cum in nobili hoc patiente non sint, non erit febris ex putredine choleræ minoris famæ,sed erit a maioris famæ putredine;quæ etiam nõ una tantum dicitur,cum quædam fiat per humoris pituitosi subtilis, & quædam per admistionem crassi, uel per choleræ adustionem ut placuit Galeno. & ꝙ non sit ex permistione subtilis phlegmatis permisti conabantur probare, hoc argumento,quoniam in tali modo putredinis dolor capitis alienationes, angustiæ, & malæ inquietudines sequuntur una cum crudis urinis atque excrementis uentris minime coloratis quæ in hoc nondum uisæ sunt;Quare relinquebatur dicere febrem hanc pendere ex putredine choleræ minoris famæ ex permistione pituitæ crassæ,uel per adustionem choleræ factam esse, quæ a medicis xantha dicitur.Et confirmarunt quoniam excrementa,quæ uisa sunt & substantiam & colorem uitellorum ouorum confuso-

rum habebant. Ex his igitur habetis febrem nobilis uiri esse tertianam ex putredine bilis permistæ cum materia pituitosa crassa, quam notham & uitellinam medici dicunt.

Sed postea quam incidimus in sermonem diuersarum febriũ, ad uestram maiorem intelligentiam & utilitatem liceat mihi circa signa aliarum febrium aliquantulum digredi ut possitis ex his alias etiam species febrium cognoscere; incipiam itaque ab ephemera: signa febris ephemeræ in genere hæc sunt, uidelicet caliditas non acuta sed mitis, parum caliditati naturali dissimilis, pulsus etiam non plurimum diuersus à naturali dispositione in magnitudine frequentia & ordine percipitur; similiter & urinæ in colore & substantia non plurimum mutantur à naturali consistentia: tum etiam hæc febris ut plurimum non transit tertiam diem, sed prima sæpissimè terminatur; declinatq; cum rorida quadam euaporatione uel leuissimo sudore, & est sine accidentibus febrium putridarum. Præterea omnis ephemera à causa procatarctica præter quasdam, quæ ab antecedente fiunt, ut ab inflãmatione, uel a multitudine humorum calidorum non putrescentium, & hæc de signis ephemerarum, & ad signa causonidis & aliarum humoralium descendam.

Causonidis febris signa sunt in primis caliditas uehemens acris & fortis inflammationis, quæ sine intermissione, & uniformiter in omnibus diei horis affligere uidetur, cum habeat omnimodo aliquam tertiam remissionem uix perceptibilem, quæ non nisi a cõsummato medico cognoscitur, pulsus magnus plenus uelox, frequens, diuersus, & durus, inquietudo, corporisq; partes exteriores siccæ atq; aridæ sunt, sitis magna, linguæ nigredo, unà cum ariditate atq; etiam asperitate, uomitus cholericus & dolor stomachi corrosiuus, capitis quoque dolor, uigiliæ, & alienationes, urinæ rubeæ subcitrinæ & ferè igneæ, similiter uentris excrementa biliosa sunt croceo colore tincta & aliquando ex interiore adustione ad nigredinem tendentia.

Synocharum uero signa hæc sunt primum calor uehemens est sed nõ acris, qui continue sine aliqua remissione usque ad morbi inclinationem affligit, sed secundum diuersas earum species, diuersas habet caliditates & processus, siquidem illa quæ a sola sanguinis inflãmatione pendet sine putredine & est media inter ephemeram & putridam, habet calorem non acutum neque ad tactũ

mordacem;pulsus & si magnus sit non tamen plurimum freqũes; Calor autem ante quartum nisi febris in putridam conuertatur cum rorido sudore consumitur; in Synochis uero putridis quæ tres sunt species,calor etiam continuus est diuersimodè tamen affligens,nam una earum a principio usque ad inclinationem eundem modum caloris habet, & ista dicitur continens æqualis uigoris seu caloris;secunda uero habet calorem,qui semper augendo procedit,usque ad inclinationem,& ista dicitur continens, inualescens;Tertia autem habet calorem semper imminuendo procedentem,& dicitur continens decrescens,in quibus tribus speciebus febrium, caliditas est uehemens sed non acris, nec mordax, pulsus etiam & si magnus sit uehemens & frequens non propterea plurimam habet inæqualitatem nec duritiem, immo mollis est;Vrinæ sunt rubræ,crassæ,colorem sanguinis referens;similiter & uentris excrementa cum rubore aliquo apparent; suntq; oculi rubicundi & graues;sitis aliqua est,sed non plurimum molesta.

Signa uero seu notæ febris continuæ cholericæ quæ proportionalis duabus tertianis dicitur, sunt hæc, caliditas acris diuersa continuè affligens ita ut nequaquam ad infebricitationem deueniat,attamen aliquam habet & manifestam remissionem,cum correspondentia in suis tam remissionibus quam exasperationibus de tertio in tertium diem; habet tamen caliditatem diuersam in diuersis subiectis secundum diuersitatem permistionis maioris uel minoris choleræ cum aliis humoribus; porrò ubi plurimum materiæ pituitosæ admistum est, calor non ita acris & uehemens est, sed quando materia pro maiori parte adusta est, tunc calor acris,mordax,& acutus est. Pulsus etiam magnus est,frequens, uehemens & diuersus,plus minusve secundum diuersitatem humorum putrescentium cum ipsa cholera,sunt præterea inquietudines,sitis,ariditas linguæ,capitis dolor,instantia uigiliarum, dolor stomachi,nausea,atque uomitus biliosus, cum dorsi dolore & caliditate;Vrinæ uero sunt croceæ, & rubræ, uel citrinæ; similia etiam in colore sunt uentris excrementa.

Signa autem febris tertianæ intermittentis, quæ sæpissime iuuenibus biliosis & æstatis tempore,atque calidis regionibus & illas qui regimine calefaciente & exiccante utuntur,hæc sunt; incipit quidem cum frigore uel rigore,in quo ueluti puncturas acuũ in dorso percipiunt,incipitq; illico,& citò terminat. Subinde se-

quitur calor acris per uniuersum corpus;difficultas spirandi,pulsus magnus frequens,celer & diuersus est,& cum siccitate uniuersa cutis,& partes corporis calent,adest & sitis uehemens, linguæ ariditas,capitis dolor,uigiliæ & alienationes præsertim ac afflictiones,suntq; inquietudines cum dolore stomachi & uomitu bilioso; Vrinæ citrinæ & rubentes sunt & non crassæ, similiter feces croceæ sunt & cum est pura ante duodecim horas intermittit, & cum sudore finit;cum uero longiores fiunt paroxysmi & transeunt spacium ultra duodecim horas non amplius simplices nec puræ,& tantò longiores a pura sunt quanto plus tempus duodecim horarum pertranseunt in longitudine paroxysmorum.Non puræ tertianæ signa sunt quod incipiat cum frigore, uel rigore, qui non ita cito inuadit sed sensim,neque plurimæ est uehementiæ,& sæpe per aliquot horas prorogatur, præsertim si plurima materia pituitosa crassa permista est,Deinde sequitur caliditas uehemens non tamen ultimæ acredinis ut in exquisita, Pulsus magnus,frequens & diuersus est,sitis plurima & aliqua linguæ ariditas; Adest etiam dolor & grauedo capitis,uigiliæ & inclinatio in somnum præsertim tempore accessionis, dolor quoque stomachi & nausea,& aliquando uomitus choleræ uitellinæ; & cum stomachi anxietate;inquietudines difficiles sunt, Vrinæ autem crassæ & rubeæ apparent, uentris etiam excrementa uitellis ouorum confusis assimilantur. Quod si cum admistione subtilis phlegmatis fuerit(& dicitur cholera citrina) præter dicta adest quoque in primis dolor capitis uehemens,uigilia,una cum alienatione; sitis & linguæ ariditas; Vrinæ uero non ita crassæ, neque feces ita croceæ sunt. At si cum cholera humor melancholicus permistus fuerit, uel si adusta ipsa cholera fuerit, & uersa ad melancholiæ naturam,quam choleram sic admistam uel adustam minoris famæ uocant, putredinis eius signa hæc sunt,uidelicet caliditas uehemens & acris,Pulsus magnus,frequens,& uelox est, & aliquando intermittit si materia maligna fuerit; sunt inquietudines sine intermissione,dolor capitis,alienationes, ariditas linguæ, est sitis ualida,dolor etiam stomachi, & anxietates, nausea & uomitus malus,& pulsus cordis:Vrinæ sunt crassæ,rubeæ,liuentes; similiter & uentris excrementa sunt mala;corrupta aut retenta & plurimum fœtentia.Hæ omnes species impurarum febrium, si intermittentes sunt, habent paroxysmos transeuntes plurimum spa-

tium duodecim horarum ita ut aliquando accesſiones prorogentur donec ante unius terminationem altera acceſsio ſubingrediatur,& fiunt continuæ per ſubingresſionem paroxyſmorum: Ex quo notabitis quod quanto plus ſpatium duodecim horarum in paroxyſmis prorogatur tanto magis febris impura erit, uel per admiſtionem pituitæ, uel humoris melancholici naturalis aut aduſti ut dixi uobis.

Signa uero febris quartanæ, quæ raro incipiens eſt ſed alias febres ſubſequitur, raro q́ continens uiſitur, ſed ut plurimum intermittens;& quoniam aliquando & continua in aliquibus accidit, ideo continuarum ſigna uobis declarabo, in primis autem caliditas non ualde acris eſt, attamen æſtuoſa quoquomodo eſt atque difficilis, quæ de quarto in quartam diem hominem magis affligit & maiorem habet exacerbationem correſpondentem, habetq́ aliquam remiſsionem, poſtquam iterum æger incaleſcit & ſenſim augendo caliditas illa procedit, augetur etiam una cum æſtuoſa inquietudine omnium muſculorum dolor & ueluti quædam fractio, ſuntq́ anxietates & inquietudines & mœſtitiæ; Pulſus etiã in his magnus eſt, rarus, diuerſus,& ſæpe durus; Splen ut plurimum tumet, Vrinæ uero & contenta in eis ſunt liuidi coloris, ſimiliter & uentris inferioris excrementa cum aliquali nigredine ſunt, & longa quidem ſemper eſt atque ſanatu difficilis.

Intermittentis uero quartanæ ſigna hæc ſunt, uidelicet, hæc febris incipit, aliquando cum typo, aliquando cum frigore,& aliquando cum rigore, inuaſio a principio non difficilis ſeu plurimum moleſta eſt ſed ſenſim procedens augetur & mox moleſta & difficilis efficitur, permanetq́ ut plurimum principium inuaſionis per aliquot horas, plus minuſue ſecundum materiæ putreſcentis craſsitiem. Neque ut in tertianis hoc frigus illico ad exteriores partes extenditur ſed procedens tardatur & interius algeſcere uidetur, ut contingit in illis qui per uentos boreales & niues incedunt: poſt quod longum frigus incipiunt ſenſim caleſcere,& calor progrediens ſenſim augetur, qui non acris, uel acutus eſt, ſed æſtuoſus,& difficilis intus moleſtans, ut uideatur oſſa confrangere; Pulſus eſt magnus, tardus,& rarus, ſæpeq́ durus; Acceſsiones autem longæ ſunt,& difficillimè ad declinationem deueniunt, quæ declinatio aliquando cum ſudore eſt, non tamen ſemper; Dolor præterea ſtomachi ſæpe hos moleſtare conſueuit,

& materias diuersas aliquando & sæpe acidas euomunt; Vrinæ sunt crassæ liuidæ,& rubentes,sæpe tamen discoloratæ, & aquosæ inspiciuntur,similiter & feces uentris liuidæ & obscuræ sunt, terminant sæpe cum sudore,qui aliquando copiosus est; & nonnūquā paruus & roridus,lōgæ semper sunt atq; sanatu difficiles.

Quotidianæ febres,& si rarò apud nos uideātur, eas tamen aliquando uidi & curaui;Et accidūt senibus præsertim, mulieribus, pueris,& illis qui uitam ociosam ducūt, & in regionibus frigidis degunt.Notæ quarum hæ sunt:Primum continentis caliditas satis occulta & latens est,& hoc neque ex alia causa est nisi quoniā materia putrescens frigida & cum plurima humiditate est, ita ut febrilis caliditas ab eius tam frigiditate quam humiditate obtundatur.sicq; calor minimè mordax uel acris exterius apparet,attamen interius molestus quidem est,etenim hi anxii,languidi,& inquieti existūt;Pulsus præterea paruus,mollis,inordinatus,& debilis sine uelocitate notabili est;adestq; stomachi siue uentriculi dolorosa grauedo & aliquando pituitosus uomitus,nulla sitis, nullaq; aut parua spirandi difficultas adest; calor horis uespertinis quotidie & uniformiter augetur & inualescit, non tamen acris (ut dictum fuit)est;dormiūt siue in somnum inclinantur, & sunt pigri; Vrinæ albæ,subtiles,& aquosæ sunt, ueruntamen aliquando crassæ,& turbidæ sine sedimine aut cum sedimento in fundo matulæ apparent,similiter & uentris excrementa decolorata mucosa & lenia sunt.Quotidianæ autem intermittentis notæ seu signa hæc sunt, scilicet a prima die typus cum quo & frigus longum per uniuersum percipitur, succedit subinde calor, qui non uehemens nec acris est,sed latens,ita ut minime tactum manifestè lædant;cum quo calore corpus uniuersum molle est; deinde post longum frigus,calor ferè occultus procedit,non minus decem horarum spacio molestans,sed ulterius procedit & prorogatur, ita, ut rarò ad infebricitationem deueniat,pulsus est rarus mollis, paruus,& inordinatus,accessiones sunt quotidie inspicientes cum typo,post quem sequitur per uniuersum corpus frigus simile frigori illorum,qui in locis frigidissimis deambulantes rigent; dolent circa uentriculi regionem,dolore grauatiuo,uel extensiuo, & sæpe materiam pituitosam euomunt, quæ ut plurimum insipida est;non sudant nec sitiunt,neque cum labore spirant,pigri sunt,& in somnum inclinantur; Vrinæ autem albæ sunt, aquosæ & si-

ne fedimine, aliquando tamen turbidæ minguntur, in quibus crassum sedimentum residet, Intestinorum excrementa decolorata uiscosa lenta & plurima pituita referta egeruntur. Hecticæ febres uel nunquam uel raro incipientes fiunt, & sunt ordine tres, quarum prima à principio difficilis cognitu est, siquidem calor in primo ductu non percipitur acris; sed cum manus tangendo continuat cognoscit caliditatem febrilem magis in eam imprimi ita ut manifeste lædat; Præterea febrilis hic calor semper ab assumpto cibo per horã aut duas, uel plus ægrum magis molestat; Pulsus est debilis, durus, frequens, paruus, fixus, & secundum eandem dispositionem manens; Facies squallida & exhausta est, & oculi concaui, similiter & in uniuersum corpus macies aliqua apparere incipit, quæ notæ seu signa in prima specie non omnibus nota sunt, sed illis, qui in uisendis ægris diu exercitati sunt, Secundæ uero speciei signa non latent, sed manifesta sunt, siquidem, qui hecticam secundæ speciei ingressi sunt, arida in primis mẽbra quoquomodo habent & rugosa, ita ut oculi aliqualiter concaui sint, & tempora depressa, facies squallida, & decolora, caliditas, acris satis est præsertim in loco arteriarum & pulsus: sunt & alia signa, quæ in prima specie memoraui ualidiora tamen. Tertia maneries maciei (quam hecticam senectutis uocant) illa est, in qua nulla percipitur caliditas, sed quædam potius ultima carnis & aliarum humiditatum consumptio; Et ideo febris minimè dici potest sed tabes, & ultima macies ab habituata caliditate in membris radicalibus humiditates omnes consumente, ita ut membra omnia refrigerata remaneant, in his igitur febribus, quarum quoniam immateriales sunt, id est non dependentes ab humoribus uel uaporibus accensis, signa non sumuntur ab exeuntibus excrementis mutatis, tametsi in prima & secunda specie aliquid mutatum in excrementis appareat, ut cum in urinis pinguis quædam & supernatans colliquatio appareat, uel substantia oleaginosa & similis tam in excrementis intestinorum, quam in urinis cernitur, quæ colliquationem secundarum humiditatum & pinguedinis membrorum ostendunt. Verum longius uobiscum quam animus erat in enarrandis signis reliquarum febrium in genere digressus sum; neque id ingratum uobis esse credo, cum plurimum, quæ dicta sunt, ad particularium ægrotantium curam conducant, ut scilicet cognita febre per signa recta remedia ad

eius curam iniungere ualeatis. Reuertar igitur ad eam quam proposueram in iuuene febrem declarandam, & postea quam enumerata fuerunt signa reliquum est ut causas uobis dictam febrem facientes exponam; Causæ utique quæ hanc febrem excitarunt, in triplici genere sunt, uidelicet primitiuæ, siue euidentes, antecedentes & coniunctæ; Euidentes uero fuerunt regiminis sex rerum necessariarum abusus, nam ut audistis hic præterita æstate, in qua fuere dies calidissimi æstuosi inflammantes, se aeri illi exposuit ad communia negotia horis pomeridianis; præterea multa ingessit malæ substantiæ, ut sunt olera, fructus, lacticinia, pisces, & similia, bibitq; plurimum nullo obseruato ordine temporis, uel qualitatis cibariorum, quod regimen plurimas superfluitates congessit; quæ sunt materiæ causæ antecedentis; primitiuæ uero agentes uel facientes ad inflammationem & putredinem fuerunt tempora illa calidiora & exercitatio immoderata; post quam se aeri frigido exposuit, ita, ut plurimæ obstructiones tam interiores quam exteriores factæ sint; interiores eò facilius factæ sunt, quoniam corpus cacochymum & repletum plurimum est, ex quibus obstructionibus suborta est humorum putredo nimirum ex prohibita interiori & exteriori euentatione; siquidem prohibita respiratio una ex potissimis causis putredinis est, a qua materia putrida, uapores seu fumi calidi eleuantur, qui cor uel contentos in eo humores, spiritus, & uapores, accenderunt, quæ accensio febris dicitur, & habet causam coniunctam fumos siue uapores calidos cor & contenta in eo inflammantes, sicq; uidistis causas tam primitiuas seu euidentes quam antecedentes seu interiores, à quibus interioribus uapores eleuantur calidi, qui in corde causam coniunctam esse a medicis dicuntur. Quod si quis uestrum quærat qua in parte corporis humores dicti putrescant, ex dictis id facile intelliget, quippe cum corpus ex præcedenti malo regimine plurimas congesserit superfluitates; & urinæ rubræ, & crassæ sint, ac etiam uentris excrementa biliosa deiiciantur, tensioq; in hypocondriis sit, putredinis minieram in naturalibus uidelicet in iecinore, stomacho & uicinis uenis esse attestantur. At si etiam cũ Galeno de Differentiis febrium, dixero, materiam etiam in ambitu totius corporis putrescere non sine ratione dictum erit, nimirum cum, præter reliqua accidentia enumerata, lassitudines totius corporis, atque membrorum grauedo plurimum eum molestent. Quicquid

tamen

tamen fit pro maiori parte materia in naturalibus membris putrescit,à qua eleuantur uapores, cor(ut dixit)& contentis in ipso humiditatibus calefacientes,atque per arterias & uenas uniuerso corpori eandem caliditatem communicantes; Porrò accidentia omnia, quæ dicta sunt hanc materiam seu calidam euaporationem sequuntur,& sunt dolor capitis qui fit ex calida euaporatione meninges cerebri petente & malam ibi temperiem causante; Similiter,& ariditas linguæ ab eadem calida euaporatione linguam exiccante causatur,inquietudines etiam fiunt quoniam uapores a minera putredinis eleuantur,qui cum sint acres musculos lædunt,ita,ut ægrum inquietum reddant uel faciant. Reliquum est ut de morbi temporibus uobis dicam, siquidem unusquisque morbus salubris quatuor habet tempora, uidelicet, principium, augmentum, statum, & inclinationem;Quam temporum cognitionem docuit Galenus in libro de Crisibus,tã per materiæ morbi coctionem,quam per accidentia uel aucta uel imminuta, ideo eadem uia in hoc nobili uiro poterimus & nos tempus morbi inuestigare;Et primo principium febris illud dicitur, in quo nullum signum concoctionis in urinis & aliis excrementis apparet, & morbus uel accidentia eum insequentia non augentur; Augumentum morbi,illud tempus dicitur,in quo signum aliquod cõcoctionis in urinis & aliis excrementis apparere incipit, & accidentia fortiora fiunt;Status uero morbi tunc est, quando in urinis & aliis excrementis perfecta concoctio apparet,ita ut urina tã in colore,quam in substantia, & in contentis mediocriter se habeat,uidelicet quod sit substantiæ,& coloris mediocris,& nebula in ea sit alba lenis & æqualis;Postremo declinationis tempus est post iam dicta omnia, & tunc urina est optima in omnibus suis partibus,uidelicet tam in substantia, quam in colore, & in contenta nubecula;similiter & in aliis excrementis in omnibus temporibus adnotare oportet,quoniam in declinatione,febris fit mitior,& accidentia minora sunt cum somni bonitate, & cibi appetentia,& superfluitatum facilè expurgatione; Et hæc dicta sint de illis signis, quæ à concoctione materiæ sumuntur, iam de illis quæ tempora morbi significant per accidentia morbum insequẽtia dicam, Etenim cum accidentia unà cum morbo incepta non augentur principium morbi quo ad accidentia ostendunt, sed cũ accidentia intenduntur, morbi incrementum secundum ea dicũt,

Cum autem plurimum molestant & fortia permanent consisten tiam morbi denotant, at si remittantur & mitiora efficiantur fe- bris seu morbi inclinationem significant. His itaque ex sententia Galeni prænotatis, hoc in casu dicendum, primo morbum in tem pore illo, quod incrementum est quantum ad materiæ concoctio nem spectat, esse, cum urina à nobis uisa sit cruda colorata colore rubro ad citrinitatem uergente, tametsi aliquid in ea nubeculæ ru bentis & diuulsæ appareat, quæ non concoctionem, sed uiam ad illam ostendit. Quod si tempus morbi per accidentia diiudicare uoluerimus, non augumentum sed accidentium inclinationem ostendunt; nimirum quoniam ea omnia iam mitiora facta sint, etenim dolor capitis, ariditas linguæ, sitis, & inquietudines pro maiori parte remissæ sunt. Nec implicat dicere febrem quantum ad materiæ concoctionem in augumento esse, & quantum ad ac- cidentia in declinatione, cum sæpe facta ab arte uel à natura stimu lata aliqua materiæ peccantis minoratione, aut eius qualitatis per regimen extinguens remissione, uel alia quouis modo alteratio- ne, diuersione, & deriuatione, accidentia mitiora fiant, uel ex toto remittantur, quod contigit in hoc Magnifico languente, qui nu- diusquartus cassiam fistularem accepit, quæ plurimas materias corruptas, in uentriculo & intestinis existentes per secessum edu- xit, quæ dum ibi maneret sua euaporatione prædicta accidentia causabat, accepit quoque syrupos extinguentes febrilem calidita- tem, sicq; remissa sunt cum ratione accidentia ita, ut quantum ad ipsa, declinatio dici possit. His itaque sic uisis consequens est ut de futuro exitu prædicere uelim, quæ prædicendi ratio (teste Hippo crate, Galeno, & ratione) à uirtute patientis, natura morbi, & quã titate pro maiori parte sumenda est, dixi pro maiori parte ab istis prædicendi rationem sumendam esse, quoniam sunt quædam alia, quæ sequuntur, quæ plurimum faciunt; sed non primo, ut est ætas, tempus anni, consuetudo, & alia; Porrò (ut a uirtute inci- piam) si uirtus seu uirtutes fortes fuerint, & morbus paruus, aut mediocris, procul omni dubio prognosticatio bona erit; si uero, è cõtra fuerit, uidelicet uirtus imbecillis, & morbus magnus, præ- dictio mala erit. At si morbus & uirtutes æquales fuerint, incerta & dubia erit sentẽtia. Sed in hoc nobili ægroto uideamus & exa- minemus primo quomodo uirtutes primariæ se habeant, quæ ge nere sunt tres, uidelicet, animalis, uitalis, & naturalis; Animales

utique incolumes sunt tam interiores, quam exteriores, siquidem interius tam sensus communis, quam phantasia, discursus, & memoria, optima & integra est; similiter & exteriores: cum & uisus, & odoratus, auditus, gustus, & tactus à suis operationibus non deficiant; similiter & motiua uirtus, quæ à cerebro prodit, tametsi non sit ualida, attamen non plurimum labefactata est, cum satis commodè se per lectum moueat; simili modo, & uitalis uirtus consistere uidetur, cum pulsus fortis, magnus, & resistens sit, & tametsi diuersus & uelox appareat, nihilominus robur hoc plurimum eius resistentiam ostendit. Neque mirandum est quod ipse frequenter respiret, cum illud non defectu uirtutis uitalis resolutæ, sed ex continua calida euaporatione à materia putrida eleuata fiat. Naturales tertio loco uirtutes examinandæ ueniunt, quæ etsi plurimum laborēt impeditæ à multitudine & malitia humorum putrescentium, non propterea ita imbecilles sunt, uel oppressæ, ut aliquo modo suas operationes non faciant. Equidem paulo ante dicebam in urinis aliquód signum leuius cuiusdam concoctionis apparere, & similiter in excrementis uentris inferioris; quod signum est fortitudinis uirtutis naturalis materiam morbi regularè potentis. præterea, adest cibi appetentia atque etiam in uentriculo ingesti aliqua præparatio, ex quibus colligo uirtutes naturales non carere roborè, & ex consequenti cum animalis & uitalis bonitate, ex Hippocratis rationali sententia, febrem hanc salubrem fore dicere debemus, ad cuius confirmationem facit sententia eiusdem Hippocratis dicentis febres intermittentes omni periculo carere, si rectè necessariæ res administrentur, porrò & tertiana inter acutas medici enumerant ægritudines, quæ si intermittens est caret omni discrimine. Sanabitur igitur. At si quis quærat nunquid breui aut longo spatio temporis? Respondeo non breui sanaturum, quoniam materia crassa & plurima est, quæ non poterit cito nec ab arte, nec a naturà, breui tempore præparari. Præterea tempus anni illud est quod omnes morbos prorogat, ut testatur Hippocrates dicens autumnum, & hyemem omnes morbos prorogare, & uer, & æstatem eos abbreuiare. quare & salubris erit hæc febris non tamen cito sanabitur. Reliquum est ut ad ingenia curatiua declaranda ueniam, si prius quæ acta usque in hodiernum diem sunt, commemorauero; igitur accersitus ut scitis omnia superius uobis enarrata, quæ ad

morbi cognitionem, causas, & accidentia faciunt prænotaui; cum enim morbum primum materialem atque plurimam humorum repletionem cognouissem, minorandam materiam lenienti aliqua medicina necessum esse iudicaui, ut amota parte materiæ, accidentia capitis uidelicet dolor & sitis, imminuerentur, quare dedi cassiam hoc modo, Recipe floris cassiæ ℥.i.s. fiat bolus cum saccharo, quæ cassia eduxit materiam uiscidam quæ in uentriculo & uiis communibus ductuum erat unà cum humore bilioso permistam; Præterea ut scitis iniunxi regimen cibi & potus hoc modo, uidelicet ut assumeret iusculum hordeaceum ex iure pulli, in quo endiuiam & boraginem decoqui iussi, potus fuit aqua hordei cum iuleb rosaceo, usque in hunc diem, nam hic potus præter quam quod aperit & refrigerat tergit etiam si aliqua materia adhærens in dictis uiis sit, præterea abstinui eum a carnibus, & uino; & hora cibandi fuit quinque horis ante accessionem febris, similiter in declinatione & post sudorem, secundum cibum accepit iusculum hordeaceum, deinde quoniam materia, ex dictis signis urinæ & aliis cruda erat, impositum fuit, ut acciperet singulo mane & uesperi ante cœnam hos syrupos, Recipe syrupi acetosi.s.℥.i. rosati ℥.s. Aquarum cichorii buglossæ an.℥.i.s. misce, & hoc ex rationali Hippocratis admonitione Aphorismo illo, digesta medicari, & mouere non cruda. diebus uero quibus uenter non fluxit usus est clystere communi cum oleo uiolaceo; hæc usque ad hanc horam qui sextus dies est per me ordinata & facta sunt, & tametsi a prima die inuasionis febris sit exactus sextus dies, nihilominus si per accessiones tertianas tempus metiri uolueritis ut enumerabat Galenus in commento 59. Aphorismi secundi Aphorismorum tertiana exquisita, septem circuitibus iudicatur, heri fuit tertia dies accessionis, cras uero erit quarta accessio.

Superest modo, ut uobis de futuro regimine pro acquirenda sanitate ex ordine dicam sic admonente Auicenna quarta primi cum dixit morbi curationem uno trium modorũ perficitur uidelicet, aut uictus regimine, aut medicaminũ usu, aut manuum operatione; & tametsi dixit una trium rerum, non tamen semper una sola sufficiens est, cum aliquando duabus, & aliquando omnibus tribus necessario medici utantur; incipiam ergo à uictus ratione & aliis rebus necessariis in regimine; Quod uellem tale esse, quale

antea sibi iniunxi, ut scilicet iusculum hordeaceum ex iure pulli sumat, & potus sit aqua hordei dicta cum iuleb rosaceo, uel sint aquæ stillaticiæ, boraginis, & endiuiæ; sicq; procedatur usque ad statum morbi, nihil addendo nisi aliquod accidens superueniat quod hanc intentionem subtilis dietæ mutet, immò cum iam uersus statum morbus tendat aliquid potius imminuerem, quod si timeremus statum non futurum breui, tunc ut uirtus posset contra morbum pugnare aliquid carnis exhiberem, a uino autem omnimodo illum usque ad morbi inclinationem abstinere oportet; & quoniam de statu dictum est ille cognoscitur ex meliori & optima coctione in urinis & ex fortitudine accidentium, ex Hippocratis, & Galeni sententia interim fiant leues frictiones cruribus, brachiis, & reliquis partibus corporis ante cibum cum faciāt ad meatuum apertionem, & caloris febrilis euentationem; similiter clysteria administrentur communia dicta, cum oleo uiolaceo ex decocto maluæ, uiolarum & blitis, in quo & saccharum rubeum, ouum, & sal, ponantur, uidelicet de unoquoque ad ℥.ii. Caueat a somno horis accessionis, & etiā ante inclinationē febris, in statu paroxysmi & in declinatione somnus plurimum conducit, quoniam facit ad sudoris emanationem concentrato calore; Nihil dixi de aeris refrigeratione, cum in præsentia cœlum satis temperatum habeamus; caueat etiam ab ira & animi perturbatione, quoniam spiritus cordis incendunt, & febrem augent; Secundum instrumentum est medicinarum exhibitio, sed cum ex sententia Galeni & Auicennæ prima quarti, intentio seu scopus, in medendis febribus, aliquando ad febrem, & aliquando ad causam uertatur; Primum si ad febrem tantum sit intentio operæpretium erit exhibere ea medicamina quæ calorem febrilem extinguere possunt, ut est syrupus de endiuia, de buglossa, de cicorea, & similes diluti cum aquis stillaticiis, buglossæ, cicoreæ, boraginis, aceto sæ, & similibus, uel cum aliquo dictarum simplicium herbarum decocto. Quod si ad causam inspiciamus, dentur tum ad præpadandam materiam tum ad causam remouendam syrupi aperientes obstructiones & prohibentes putredinem, ut est syrupus acetosus. s. uel oxymel, & syrupus de endiuia diluto cum aquis stillaticiis boraginis, buglossæ, lupulorum, & similibus, ita ut obstructiones aperiantur, ut posit materia putrida uel à natura, uel ab arte euacuari; quare ordinauimus ut uidistis syrupum hoc modo

utranque habentem intentionem, scilicet extinguendi caliditatem, & aperiendi obstructiones: Recipe syrupi acetosi.f.ʒ.i.rosacei.ʒ.s.aquarum cicoreæ boraginis an.ʒ.ii.misce uel fiat ex herbis decoctum, ad diluendos syrupos ex quibus bis in die ut accipiat diximus; Deinde apparente meliori in urinis concoctione, si natura non mouerit aut euacuarit materiam aliqua euacuatione detur hæc medicina die quietis hora matutina, Recipe passularum ʒ.ii.hordei ʒ.i.tamarindorum ʒ.iii. sebesten nu.x.prunorum num.v.florum boraginis, buglossæ, & uiolarum an.ʒ.i.aquarum cichoreæ, buglossæ an.q.s.fiat ex eis decoctio, deinde infundantur, Recipe rhabarbari maturi electi ʒ.i.s. spicæ gr.vi. uini aromatici ʒ.iii. & simul permista per decem horas infundantur, & facta postea diligenti expressione addantur, Recipe floris cassiæ, diacatholiconis ʒ.vi.syrupi rosati solutiui ʒ.i.s.misce & fiat potus, deturq; ut dixi, & comedat quinque horis post; hæc medicina optima erit ad euacuandum materiam diuersam morbi, ut per ingredientia iudicare possumus; Nam rhabarbarum præterquam quod materiam biliosam tam crassam, quam subtilem euacuet, obstructiones etiam aperit, & membra naturalia roborat, cassia lenit & bilem tam subtilem quam crassam educit, similiter diacatholicũ, quod uniuersale interpretatur, plurimum in acutis & peracutis ualet, syrupus etiam rosaceus solutiuus materiam subtilem & crassam leniendo educit, stomachum & iecur roborat. His itaque dictis de accidentium correctione, postremo dictum fuit, hoc modo; cum doleat caput succurrendum dolori erit frontem liniendo cum unguento infrigidante Galeni, quod plurimum in dolore ab euaporatione calida confert, confert etiam illinire cum unguento rosato Mesuæ, aut cum oleo uiolaceo; uel ponatur pannũ lini super frontem infusum in tribus partibus aquæ rosaceæ, & una aceti albi, ad hoc etiam plurimum conducit crura & brachia ante cibum fricare & ante cibum quoque lauare in aqua dulci modeste calida, in qua bullitæ sint rosæ, uiolæ, nenuphar, maluæ, & aliquid camomillæ, atque etiam cucurbitulas natibus & spatulis apponere; sitim diximus extinguendam per assiduam horis ablutionem ex aqua hordei, uel fontis cum iuleb rosaceo, aut uiolaceo permista, aut dentur arancia, uel grana granatorum & similia remittentia ariditatem linguæ & palati, quod si nec uerbum quidem de sanguinis missione à me factum fuerit,

nolo uos mirari. Equidem non uidi quo modo tutè aperire uenam potuissem cum corpus huius nobilis iuuenis satis gracile sit, atque etiam stomachus plurimis refertus sit cruditatibus ex naturali sua imbecillitate; deinde ut audistis febris illa est, quæ non à permistione sanguinis cũ aliis humoribus fit, sed cum pituita, & etiam extra uenas pro maiori parte putrescat, & ideo non sine ratione dimisi cõsiderationem uenæ apertionis, dubitans etiam, ne si calor naturalis ex missione sanguinis minueretur, minus potẽs esset ad præparandam materiam crassam putrescentem. Reliquũ erit post sermonem euacuationum ut uirtutes & membra naturalia instaurentur, quod fiet inclinata febre per exhibitionem & augumentum cibi uidelicet oua sorbilia exhibendo, uel confusa ex iure in quo radices (in declinatione) petroselini, & similes bullire conducit, exhibeantur carnes optimæ ad comedendum, ut sunt pulli, & carnes hædi, uituli, & similes; bibatq; uinum album dilutum, quoniam urinam & sudorem prouocat, & cibum distribuit, & uirtutes instaurat; sed ex morbo & medicinis uix fieri potest quin membra naturalia quæ plurimum læsa a principio esse ostendimus, magis etiam imbecilla facta sint, ideo, utile & cõueniens erit eis succurrere. Primum ergo accipiat singulo mane rotulam unam diarhodonis abbatis ante cibũ per aliquot horas quoniam residuum obstructionum aperiet, & membra omnia naturalia roborabit. Deinde regionem stomachi isto linimento ante cibum ungere studebis: Recipe olei de absinthio, mastichini, de menta, rosati an. ℥. s. specierum diarhodonis abbatis ʒ. i. s. corallorum rub. ʒ. i. ceræ parum misce & fiat unguentum quo utatur ut dixi. Plura equidem alia uobis dicere potuissem, sed oratio nimis longa esset, & ideo hæc satis in præsentia de his uobis sit, si dabitur occasio, de aliis etiam morbis uobiscum sermonem habebo, Valete. M D L.

DE VVLNERIBVS CAPITIS, ET FRA-
ctura Cranei, deq; pectoris uulneribus penetrantibus, atque de uentris inferioris, intestinorum quoque & exteriorum membrorum neruorumq; uulneribus, & eorum rationali, & experimento comprobata cura. opusculum sane omnibus medentibus utile. Ad excellentissimum dominum Pasinum Belgradum.

EPIST. XI.



ON sine admiratione doctissime Pasine hæc nostra quæ ad opus, & manuum operationes spectant scripta leges: cum semper inter maximas philosophorum & clarorum medicorum Aristotelis, Hippocratis, Galeni, Auicennæ, & aliorum illustrium scriptorum subtilissimas speculationes te uersari sciã. ut te præstantissimum philosophum, et optimum medicum semper iudicauerim, qui nullam philosophiæ, & medicinæ partem non intelligere, & alios docere possis: quibus optimis scientiis longis laboribus, & uigiliis scio equidem te operam nauasse: Adde q; cum Medicina Dei donum sit, (ut omnes sapientes dicunt) qui totam (mea quidẽ sententia) medicinam perfectè intelligunt, etiam si nunquam illam exercuerint, prorsus diuini Numinis soboles, & propagatio dici possunt. Cum uero te talem, qualem dixi semper cognouerim, & apud me exemplar existat, quod alias de uulneribus trium nobilissimarum partium corpus animantis constituentium uidelicet capitis, pectoris, & uentris inferioris a me non sine subtili discursu, & ualidis philosophicis speculatiobus Petro Domitio Meloni Hispano Medicinæ studioso dictatum, & ab ipso scriptum fuit dum ad uisendos ægros unã cum aliis doctis iuuenibus cymba ueheremur: illud ad te mittere tanquam ad uirum undequaque doctum statui, & ut inter philosophos, & optimos medicos in te perfectasq; uirtutes homines cognoscãt hos etiam meos labores ad te philosophum, & eximium Medicum destinare uolui & ne te longiori præfatione detineam à capitis uulnere incipiẽs rem sibi expositam scribam, cui addam ea, quæ mihi eo tempore, a, me prætermissa fuisse uidẽtur, ut sunt neruorum,

neruorum,& faciei uulnera,quæ maximé utilia, & neceſſaria ad operis perfectionem erunt.Sed quoniam uulnera quæ in capite, & aliis membris fiunt, non uno & eodem modo qualitatis exiſtunt,ſed diuerſa, ideo primo dicam quid ſit uulnus quo ad nomen,& quoque quo ad eſſe;Præterea á quibus cauſis fiat,& quæ tam communes quàm propriæ ſint differentiæ,& quomodo inter ſe differant,quæ perniciosa, & lethalia ſint: quibus poſtremo auxiliis illis canonicé mederi opus ſit. Vulneris nomen non uno modo deſcribitur:Etenim quidam uulnus plagam eſſe dixerunt: alii uero manifeſtam aperturam: At qui per eius eſſentiam definiunt, dicunt, uulnus eſſe diuiſionem continui in carne, & aliis membris factam á re tenui ſecante:dicunt etiam uulnus eſſe ſolutionem continui recentem cum ſanguinis emanatione ſine putredine in cute,carne,neruis,uenis, & aliis tam ſimplicibus, q̃ compoſitis membris:quam definitionem ſeu deſcriptionem feré omnes pro meliori recipiunt, cum & genus, & differentiam habeat, per quas ab unaquaque alia continuitatis ſolutione diſtingui poſſit. Cauſæ uero uulnerum in genere ſunt res incidentes, ut gladius,enſis,lancea,baculum,& alia inſtrumenta incidentia, rumpẽtia,perforantia,& quouis alio modo ſolutionem continui facientia,inter quas cauſas enumerantur morſus animalium, laceratio facta unguibus,cornibus,ſpinisq́,uel quauis alia arte continuum ſoluente; quæ omnes ſunt cauſæ exteriores: interiores quoque cauſæ ſunt aliquando uulnerantes, ſæpe intrinſecum cauſantes uulnus:& etiam aliquando extrinſecum, ut quando ſanguis ſua uel quantitate,uel acredine uenas & partes uicinas uel ſcindit,uel lacerat,uel rodit:ita ut continuum ſoluat á principio ſine humorum,uel membri putredine:ſed ſolus cruor,uel a cute exterius rupta,uel ab intrinſecis, & interioribus emanat. In præſentia uulnerum differentiæ ſunt hæ, quoniam quoddam eſt ſimplex, & quoddam compoſitum:ſimplex uulnus illud eſt,quod in ſimplici parte exiſtit,puta in cute: Cõpoſitum uero dicitur illud, quod non ſolũ in cute eſt,ſed in carne,neruo,uenis,arteriis, mẽbranis,oſſibus,& aliis.Præterea uulnus ſimplex,aliud magnũ aliud paruũ, ſiue longum dixeris non refert:Similiter & cõpoſitum aliud paruum ſtrictum,aliud magnum longum: quod uero paruum eſt uel plura membra poteſt lædere uel pauciora, quod plura lædit eſt illud,quod non tantum cutem,& carnem uulnerat, ſed etiam

neruum,uenam,arteriam,membranam ossa,& reliqua, quæ omnes differentiæ cognoscuntur per sua accidentia : Nam ad nerui, & partium neruosarum puncturam & incisionem, sequuntur dolores & conuulsio;ad uenæ fluxus,seu emanatio sanguinis crassioris,non clari,ad arteriæ incisionem sequitur fluxus sanguinis subtilis, clari, spirituosi : Ossium uero incisio sensu cognoscitur,uel per radiũ in uulnus immissum . Præterea omnia uulnera in principe parte et si parua sint,non carent discrimine:partes uero principes sunt pectus,cor continens: caput, cerebrum , & uenter inferior,iecur,& reliqua naturalia membra : quæ membra cum uulnerantur in aliquibus certa,& cita sequitur mors , ut si cor uulneretur,similiter & cerebrum si uulneratum fuerit ut plurimum ad eius uulnus,insequitur mors;non tamen certa,& cita, dicant diuinus Hippocrates & alii eminentissimi Medici quicquid sibi placuerit.Equidem q̃ plures sanaui,quorum cerebri substantia uulneribus maximis uulnerata erat: non propterea dico qui in cerebro uulnerati sunt pro maiori parte uitam cum morte commutare.sunt in eodem mortis discrimine uulnerati in iecore uentriculo,liene,renibus,intestinis,& uesica , hoc etiam testante Hippocrate,nam etsi non cito moriantur,moriuntur tamen , ubi uulnus notabile fuerit;neque hic discriminis causas recensere conabor, ne oratio nostra prolixior uideatur.sed hæc satis in genere dicta sint.Reliqua in speciali uulnerum tractatione secundum rei exigentiam pro sui declaratione dicam. incipiam itaq; a capitis uulnerum curatione . Vulnus igitur huius membri si cum solutione continui cutis tantum a re , uel instrumento secante illatum fuerit, cum simplex sit , caret omni discrimine , & sola partium unione medetur:quod si longum fuerit suitione,& ligatura, partes coire faciente,una cum medicina inuiscante,& glutinante superposita:qualis est,uerbi gratia albumen oui cum bolo armenico contuso, & thure : uel sit decoctum rerum glutinantium cum uino austero,ut est in primis cauda equina,consolida, myrti,rosæ centaurea & similia . At si uulnus fuerit compositum ita ut usq; ad os cranei pertigerit non caret periculo, tametsi paruum fuerit teste Hippocrate in de fractura Cranei , & quotidiana experientia,ideo ea ratione operæprecium est medico medelam præstanti omnia præuidere.nã ex incisione membranæ craneum cooperientis,quam Græci pericraneum uocant, membranis intrinsecis

cerebrum tegentibus nocumentum infertur. Etenim pericraneum per futuras osſium cranei intrinſecis membranis cerebrum inuoluentibus alligatur, quo fit, ut non ſolum per conſenſum ex dolore compatiantur: uerum etiam ſi ab aere, uel re alia in uulnere exiſtente, uel poſita (ut eſt ſanguis, pus, aut medicamentum) nõ ſolum os alteratur, uerum & membranæ interiores, atque etiam cerebri ſubſtantia, unde accidentia terribilia inſequuntur, & ſæpe uulnerati interitus. Quapropter in uulneribus capitis compoſitis lõge diuerſa eſt cura, ab aliis exdictis cauſis: & propterea chirurgi, & qui in ſimilibus medelam præſtant, ſi compoſitum cognoſcunt, ita ut uſque ad os pertingat, nullam quærunt partium unionem (tametſi ſolutio continui ex primaria intentione partium unionem expoſtulet) ſed potius dilatando, uulnus ſi ſtrictũ fuerit, maius faciunt: ut nocumenti interioris quantitatem, oculis, dilatato uulnere cernere poſſint, & medicamina ſecundum rei indigentiam apponere; & hoc faciunt cum lychniis, ſeu penicillis, ſeu tentis ex ſtupa optimè carminata, uel panni linei ueteris filamentis fruſtratim inciſis, & ad formam ſecundum uulneris indigentiam redactis, aut ex cotone etiam factis: ſed primum quod animaduertere operæprecium erit, eſt an fruſtum aliquod oſſis ex inciſione, ſiue contuſione in uulnere ſit, & illud primum indolorosè a uulnere remoueri debet: Quod ſi uulnus ſtrictum fuerit, ſecundum rei indigentiam ampliandum atque dilatandum erit, deinde ea in uulnere medicamenta imponere quæ dolorem lenire atque ſanguinis fluxum ſiſtere poſſunt. Quæ duæ intentiones apud medentes in communi uſu eſſe ſolent, aliquando ſolo oui albumine, aliquando etiam una cum eius luteo optimè ſimul permiſtis, quod magis laudo. Accipiunt enim albumen ſeu ouum totum contuſum, & in ipſum lychnia dicta, ſeu penicilla madefaciunt, & uulnus implent; quod tum ad dilatandum, tum ad dolorem ſedandum, tum etiam ad ſanguinem ſiſtendum imponunt; deſuper uero carminatam ſtupam latam uel linteum mādefactum in dicto albumine, ſeu ouo imponunt: prius tamen tonſis capillis, partes circum circa oleo roſaceo liniunt, & ſiccam ſtupam muniunt: faſciiſq; ligant, non ea intentione ut unitatis ſolutionem uniant, ſed ut in loco medicamina optimè detineantur atque à frigore tueatur: & quoniam in uulneribus ſæpe fluxus ſanguinis abundare conſueuit: ideo uulnerarii medici, ſiue chirurgi

Ut. de bis de fluxu guinis, simul cu albumine oui ix miscendi pul.es con stringentes

ad sanguinis fluxum cohibendum una cum albumine oui imponunt & bolum armenicum, & puluerem sanguinem constringentem ex Galeni Methodi medendi quinto: qui sic præparatur, Recipe thuris partem unam, aloes partem unam & semissem, atque cum pilis leporis mollissimis, ex quibus fiant lychnia siue penicilla & in dicta mistura madefiant, & in uulnere imponantur stipata scilicet ut ora uenarum incisarum glutinent, & constringant, uel cum hoc alio sistendus erit. Recipe sanguinis draconis, thuris, aloes. ana partes æquales, cum dicto oui albumine misce, & cum lychniis uulnus impleatur: suppresso sanguine si uires ualidæ fuerint, & ætas quoque consenserit, sanguinem mittere solent aperta scilicet uena cephalica brachii eiusdem lateris, sic enim humorum currentium ad membrum uulneratum fit reuulsio: Quidam ex medentibus uenam brachii oppositi uulneris aperiunt, & mea quidem sententia male, & cum minori uulnerati utilitate. Quoniam cephalica uena procedens à capite ad brachia, dextera ad dextrum brachium, sinistra ad sinistrum procedit: Quod si sanguinis fluxus his factis non cohibetur, fortioribus medicamentis loco uulnerato appositis sanguinem sistere student, ut puta si uena, uel arteria (a qua sanguis egreditur) apparens fuerit, eam cotone ignito superposito cauterizant, & urunt, & hoc ingenium sæpe ad orificium uenæ reiteratur. At si etiam hoc ingenio sanguinem cohibere minime possunt, calcanthum ustum super incisam uenam, uel arteriam imponere solent: deinde lychnia seu penicilla dicta in iam dicto albumine oui cum suprascriptis pulueribus contuso madefacta ponunt: Totumque uulnus implent ac stipant, deinde stupa in eodem albumine, & pulueribus madefacta operiunt. Si uero sanguinis fluxus pertinax (ut sæpe contingit) fuerit: & dictis medicaminibus, & auxiliis minime sisti poterit, a uulneribus medicamen minime amoueri iubent; sed super locum per quatuor dies etiam sine aliqua innouatione permittatur: Etenim sanguis ibi detentus, & coagulatus ora uenarum obturat, glutinat, & claudit. utuntur etiam alio puluere ad sanguinis fluxum: quem sic præparant. Recipe boli armenici, sanguinis draconis, terræ sigillatæ gypsi, calcis uiuæ lotæ pilorum leporis. an. partes æquales, & in subtilissimum puluerem con uertunt & ad opus cum dicto albumine miscent: sæpe etiam lychnia, uel penicilla ex tela aranea conficiunt, & ipsis

dictis pulueribus utuntur. At si omnibus dictis remediis sanguinem cohibere non possunt: tunc ex Hippocratis sententia dicentis extremis morbis, extrema remedia conuenire, & etiam experientia, uenam, seu arteriam cauterio .i. candenti ferro ignito coquunt: praeterea iniungunt regimen sex rerum necessariarum: primumq; custodiunt uulneratum ab aere frigido, & nimis humido, & hyeme in cubili ignem accendunt, atque fenestras omnes claudunt, aestatis etiam tempore ne uenti ingredi possint, uel mali aliqui uapores: iubentq; aegrum in lectulo decumbere, abstinere quoque a carnibus, & uino, & bis in die panatellam in aqua cum saccharo pro cibo exhibent, atque pro potu aquam decoctionis coriandrorum praeparatorum una cum iuleb rosaceo, uel aquam hordei, sicq; procedunt, donec ab apostemate calido tuti sunt, quod ut plurimum est spacium quatuordecim dierum: neque hoc sempiternum est: quoniam saepe in magnis uulneribus ad uigesimum usque, & uigesimum septimum diem abstinent. Praeterea singulo mane ante prandium clysterem cõmunem, (ut aiunt) imponi iubent: & tam mane, q̃ uesperi ante cibum frictiones faciunt cruribus, & brachiis, dorsoq;, & aliquando cucurbitulas sine scarificatione natibus, & spatulis imponunt, ut uapores ad caput ascendentes diuertantur; atque ut ab omni strepitu caueant, & uerborum copia, atque animi perturbationibus admonent. Hoc instituto regimine post uenae apertionem sequenti mane exhibent bolum, uel potionem, ex cassia aliquando simplici, & aliquando cum syrupo rosaceo solutiuo permista, ut euacuentur uentriculi, & intestinorum excrementa, ne sua euaporatione caput laedant: Dant quoque singulo mane syrupum ad roborandum uentriculum, & caput, & dictam euaporationem prohibendam: qui syrupus ut plurimum talis est. Recipe syrupi rosacei ℥.i. de endiuia ℥.s. aquae cichoreae, betonicae. an. ℥.i.s. dum tamen ista administrant, retento fluxu sanguinis bis in die scilicet mane & uesperi uulnus implent lychniis, seu penicillis imbutis in oleo rosaceo simplici, uel rosaceo omphacino, uel completo modeste calido, stipantq; lychinia in uulnere, ut quantum fieri potest dilatetur, quod sine dolore, & partium laceratione fieri oportet ne humores ad locum debilem trahantur: oleum uero in uulnus infundunt, ad mulcendum dolorem, & sanguinis feruorem extinguendum, ac etiam ad saniem bonam conficiendam. Et uul-

nus dilatant, ut uideant, nunquid læsio aliqua, in osse a percutienti re facta sit: & quoque ut si forte fortuna superuenerint accidentia aliqua indicantia de intrinseco aliquo nocumento os instrumentis perforare possint: & uidere nunquid super panniculis tegentibus cerebrum aliquid uel sanguinis, uel aliud descenderit, uel aliquo alio modo collectum fuerit. Instrumenta uero quibus os perforant multa ac uaria quidem existunt scilicet fricatoria quæ etiam raspatoria uocant, tripanum, siue terebellum, uel serra rotunda, & scalpella diuersa, & serra quoque, quam cristam Galli uocant, & forfices siue tenaculæ incidentes. Dicta administratione & oleo rosaceo utuntur, donec ab apostemate calido uelaminum, & substantiæ cerebri tuti sint, quod iudicio æstimatiuo ab accidentibus sumpto cognoscitur: ut puta si nulla fuerit febris, nullus capitis dolor, sitis nulla, si optimè etiam dormierit, atque si uulneris labia tumida fuerint, & laxa: quibus bonis signis stantibus, & fidem facientibus, non adesse intrinsecum nocumentum; ad digestionem, & bonæ saniei generationem procedunt cum aliquo digestiuo, puta facto cum oleo rosaceo, & uitello oui simul confusis, & admistis. Attamen non nulli chirurgici hoc digestiuo uti consueuere, Recipe terebinthinæ claræ lotæ in aquæ betonicæ, olei rosacei, uitelli oui. an. partibus æqualibus; quibus simul mistis, & ad formam unguenti redactis utuntur, penicilla madefaciendo, & panno lineo eodem unguento inuncto uulnus cooperiunt, & partes circum circa ulcus oleo rosaceo modestè calefacto liniunt: immò plurima quantitate super lychinia in uulnere existentia infundunt. Fouent etiam locum cum ignis appropinquatione dũ medelã præstant, uel patellæ coopertorium calefaciunt, & cum uulnus discooperiunt, ipsum fouent, & hoc ne frigiditas aeris lædat, hoc ingenio prohibere student. Præterea sunt quidã, qui postquam se tutos esse à nocumento intrinseco iudicant: post primam applicationem aliquorum dierum olei rosacei in uulnere: utuntur, tam pro digestione, q̃ pro saniei mundificatione unguento de matris sylua usque ad perfectam carnis generationem. Deinde in fine ad consolidandum, & sigillandum ulcus superponunt unguentum de betonica molle, seu ceratum solidum. Sunt & qui ponunt unguentum triapharmacum, uel aliud consimile, quale est unguentum de palma ad ulteriorem exiccationem, & perfectæ cicatricis inductionem, & hæc de uulnere composito us-

que ad os cranei satis.

Si uero uulnus compositum fuerit cum ossis cranei incisione, uel fractura: tunc qui sequuntur doctrinam, Hippocratis, Auicennæ, Pauli, & aliorum illustrium antiquorum, & recentium, Primum percussionis causam diligenter inquirunt: uidelicet nunquid a loco eminenti cadens euenerit, & an locus super quem cecidit res dura fuerit, ut lapis: similiter si patiens percussus fuerit, nunquid ab ense, uel fuste, & re graui ponderosa, nec non etiam ab homine forti, ita ut ex dictis examinatis causis ultimam uim rei uulnerantis habere possint: & in illis uulneribus, in quibus ossis fractura, aut incisio manifesta non est, ex dictis nocumentum coniectura assequi possunt, quod si uel sensu, uel iudicio æstimatiuo os fractum iudicant, uel cernunt tametsi locus percussionis uel pars exterior minime uulnerata fuerit sed contusa aut in tumorem eleuata, tunc locum percussionis scindunt usque ad ossis cranei manifestam apparitionem. Vel si uulnus strictum fuerit ad eam magnitudinem dilatant, qua ad perfectam ossis incisi, seu fracti incisionem & fracturam deuenire possint, & hoc excoriando membranam craneum tegentem ab osse cranei: quod sine uiolentia, & quoad fieri poterit minori dolore, effici operæprecium erit, in qua manuali operatione ubi comissuræ sunt si fieri potest, uitanda erit excoriatio. Habita ex dicta operatione ossis fracti, uel incisi perfecta cognitione tam ad qualitatem q̃ ad quantitatem: primum si pars aliqua ossis separata fuerit, ea omnimodo amouent leniter, & eo faciliori modo, quo possunt. Si uero os non ex toto fuerit separatum procurant mollire cum oleis dictis, deinde tenaculis, aut alio instrumento eleuatorio à uulnere extrahere, ut per eius amotionem nocumentum si aliquod ad membranas intrinsecas deuenerit, uel ad cerebri substantiam cognoscant: quo in casu & fricatoriis, seu raspatoriis, & tripano sæpe utūtur: quæ operatio quomodocunque facta fuerit quantò citius, tantò melius erit. Etenim antiqui ante septimum in æstate: & hyeme decimum diem hoc fieri præcipiunt: & post eleuationem oleum rosaceum omphacinum modestè calidum per aliquot dies infundere iubent. Osse eleuato, & oleo omphacino per aliquot dies in uulnus infusum addunt quartam partem mellis rosacei in dicto oleo: & in uulnus infundunt, & lychinia madefaciunt: atq; etiam circum circa uulnus oleo rosaceo omphacino illiniūt, uel oleo

rosaceo completo: infundunt etiam ex dictis oleis aliquam portionem ut resistant contractioni, & meningarum inflammationi ex uiolentia facta: & ad hanc met intentionem uniuersum caput illiniunt usque ad nucham, & collum; & hoc usque quò ex accidentibus cõiecturare posSint ab inflãmatione securos esse ægros. hoc uero ut plurimum ad undecimum usque & quartumdecimum seruant: nunquam oleum rosaceum dimittentes. Etenim si nullum accidens inflammationis apparuerit post septimam utuntur unguento de matrissylua super penicilla, uel lychinia extenso: super quæ lychinia ad tegendum ponatur frustum panni linei cum eodem unguento linitum: sunt tamen, qui loco unguenti de matrissylua ponũt unguentum de gumma elemi descriptione Petri Apponensis conciliantis quam descriptionem põnit differentia clxxxi. Quidam etiam utuntur unguento de betonica: sed qui recta ratione medentur unum tantum apponunt secundum rei exigentiam usque ad perfectam carnis generationem: quod si carnem difficulter generari uident, ponunt aliquem puluerem adiuuantem hoc modo. Recipe thuris, sarcocollæ, masticis, mirrhæ, rosarum an. drach. i. fiat ex eis puluis, de quo in fundo uulneris pone, & desuper dicta lychinia cum dictis unguentis, quem puluerem sæpe miscent cum unguento de matrisslyua, uel alio ex dictis, & sic permisto utuntur: & hoc ut citius caro generetur. Quod si uident ulcus abundans plurima humiditate membrum roborare & exiccare cum tali decocto procurant. Recipe rosarum, mirtillorum, betonicæ, stœchados, maioranæ an. m. i. uini rubei pauciferi stiptici, quantum satis est: bulliant bullitione optima: in quo decocto stupam carminatam infundunt, & super alia dicta medicamina calida ponunt ad membrum roborandum, & nimiam humiditatem exiccandam: & facta carnis generatione: uulnereq; impleto sigillationem uulneris cum cerotario de betonica, uel alio exiccante procurant.

Et quoniam sæpe in uulneribus penetrantibus, & non penetrantibus accidentia non pauca superuenire consueuerunt, & sæpe timorosa, & lethalia; quæ accidentia aliquando uulneri tantum, aliquando membris aliis accidunt. Igitur si caro mollis, & superflua aliqua super uelamina cerebri creuerit, ita ut impediat mundificationem ulceris, ponunt super eam puluerem radicis hermodactylorum, & aliquando ponunt alumen rochæ combustum

ftum. sunt etiam, qui audent remouere carnem illam mollem cum unguento apostolorum, uel alio consimili. si uero panniculi, siue membranæ cerebri intumuerint sine inflammatione: quod malum fungus à modernis dicitur, ab Auicenna uero Alfuturati, & ex refrigeratione sæpissime accidit, & aliquando ex nimio carnis mollis supercrescentis augmento: ita ut aliquando promineat per ossis foramen exterius ad similitudinem parui fungi: huiusmodi tumorem ex sententia Auicennæ, curant, quanto citius possunt foramen ossis dilatando ante tertium diem: quæ operatio fit cum instrumentis ferreis iam dictis, uidelicet raspatoriis, & forficibus sine tenaculis incidentibus: quo facto apponūt ea, quæ modeste calefaciunt & resoluunt cum aliqua stipticitate, ut est uerbi gratia decoctum betonicæ, stœchados, maioranæ, rosarum, mirtillorum, cum uino rubeo, fouentq; uulnus cum pannis lineis calidis, atque ignem propè apponunt uel calefactum patellæ coopertorium: ego uero huic malo succurrere sæpissime iussi cum applicatione aquæ stillaticiæ ex uino factæ, quam aquam uitæ uocant. Est enim mirabile auxilium, cui non est par: nam modestè resoluit, & calefacit, & membri uirtutem roborat, atque uiuificat. sæpe etiam timorem incutit uulnus cum penetratione si sanies intra craneum detenta non liberè egrediatur, quod aliquando fit ex ossis crassitie, & foraminis paruitate, in hoc autem casu procedunt foramen, seu fracturam ossis dilatando cum dictis instrumentis, ut sanies liberè egredi possit quo osse dilatato ea unguenta, & emplastra applicant, quæ uim attrahendi habent, inter quæ laudatur unguentum siue cerotum de gumma elemi & de betonica, uel emplastrum de fermento, uel aliquod aliud ex propria rationali intentione ordinatum, ut puta, Recipe farinæ orobi fabarum an. ℥. ii. rosarum, myrtillorum, betonicæ, stœchados an. ℥. s. puluerizentur, & ex eis fiat emplastrum cum uino stiptico, & in fine cocturæ addatur fermentum dissolutum in dicto uino, & coque usque ad perfectam coctionem, ita ut ad formam mediocrem redigatur, utuntur etiam fomentis cum eisdem rebus in uino decoctis: solent præterea in huiusmodi uulneribus, accidentia futuram uelaminibus, uel cerebro inflammationem minantia apparere, ut est dolor capitis ad concauum oculi perueniens, febris, quam præcedit frigus, & sæpe rigor: cum qua febre adest inquietudo & sitis; at si inflammatio prosequitur est etiam

ariditas linguæ, uigilia, oculorum rubor, alienatio, & oblocutio, præsertim si ab humore prædominante bilioso inflammatio fuerit, & labia uulneris exiccentur & squalida, ac pressa fiant sine uel cum pauca sanie, quæ tenuis apparet, & est infallibile signum intrinseci nocumenti, & cum ista omnia, uel plurima apparuerint, ut plurimum pereunt: quo in casu si uirtus tolerat ex melioribus auxiliis (tum ad præcauendam futuram inflammationem, tum etiam ad iam inceptam) est, mittere sanguinem à cephalica brachii eiusdem lateris; post quam sanguinis missionem ex doctrina principis Auicennæ uentrem subducere debes semel, aut bis cum cassia uel aliqua alia leui medicina. Locus uero uulneris, & fracturæ medetur cum assidua olei rosacei omphacini perfusione: puta si oportuerit ter, & quater in die oleum perfundatur: quo in tempore unguenta, & emplastra omnia calida interdicantur: faciunt etiam mane, & uesperi frictiones cruribus, brachiis, & spatulis, atque uentosas natibus, & spatulis scarificatas & non scarificatas apponunt ad diuertendum, & quoque uictum attenuant, & carnes, & uinum interdicunt, usque dum tuti sint, uel liberati ab inflammatione, siue apostemate, deinde curant uulnus cum mundificatiuis, & carnis generatiuis superius dictis, sæpe etiam apostema frigidum membranis istis, uel cerebro accidit, quod cognoscitur per accidentia contraria dictis superius, etenim dolor non est sed grauitas tum capitis, tum oculorum, qui humidi sunt sine febre cum maxima in somnum inclinatione, etsi confirmetur profundissimus adest somnus, & sine siti madet lingua, ægre loquitur non recordatur; cum quibus uulnus ob materiam intus detentam exiccatur, & labia depressa sine sanie, uel cum pauca inspiciuntur ægreque mouentur: quod si aliqua sit febris, illa quidem sepulta est, & hæc sunt signa interitus: cui, ut dictum fuit de inflammatione, optimum, & ultimum auxilium est mittere sanguinem à cephalica eiusdem lateris ad diuertendum, & euacuandum materiam, uel coniunctam uel antecedentem: quæ etsi frigida a prædominio sit, tamen cum sanguine permista est: & cum missio sanguinis permistam materiam & multitudinem euacuet, optimum, & præsentaneum auxilium est, tam in calido, quam in frigido cerebri, & uelaminum apostemate. Dietam siue cibandi rationem subtiliant, & à carnibus, & uino abstinent: sed panatellam cum saccharo, & potum aquæ coriandrorum exhibent amotis aliis medicaminibus.

in uulnus perfundunt olei rosacei completi partem unam, olei chamæmelini partes duas,& assiduè imponunt,addunt, in unguẽto de matrissylua unguentum de betonica:faciunt deinde fomenta ex decocto betonicæ,stœchados,chamæmillæ, rosarum in uino rubeo:sicq; procedunt usque ad securitatem,uel resolutionem apostematis: deinde reuertuntur ad iam dicta mundificantia & carnis generantia: faciunt continuè frictiones cruribus, brachiis & uniuerso corpori,mane ante prandium, & uesperi ante cœnã, apponuntq; uentosas natibus,& spatulis sine incisione,& aliquando sed non semper cum incisione,& sanguinem educunt, secundum emergentem opportunitatem, supponunt quoque clysteria tum ad diuertendum,tum etiam ad educẽda intestinorum excrementa: quæ omnia remedia ad diuertendam materiam, tam in una,q̃ in alia materia scilicet calida & frigida conueniunt.

Sunt item & alia accidentia,quæ in uulneribus capitis superuenire consueuere:quæ tamen non propriè uulneribus coniunguntur,sed ex consensu accidunt ut est uomitus, qui ex stomachi cõmunitate cum cerebro in capitis uulneribus frequenter euenit: quoniam nerui,qui reuersiui dicuntur à cerebro orti præter alia membra ad quæ descendunt, ad os stomachi etiam procedunt: quare cum accidit signum demonstratiuum nocumenti cerebri, uel eius membranæ, succurratur igitur uentriculo tametsi non sit per essentiam in ipso,& hoc regionem stomachi exterius, inungendo cum oleo masticino,de absinthio,& rosato simul mistis. & ad roborandum os uentriculi intus, detur saccharum rosaceũ ante cibum,cum corallis præparatis,uel speciebus trium sandalorum.Febris etiam, quæ passio cordis est, uulneratis sæpe accidit:quæ tametsi sit febris accidens,ei tamen succurrendum erit,ne caput ex euaporatione magis calefactum inflammetur: ideo detur in potu aqua hordei, denturq; mane, & uesperi ante cœnam syrupi ad extinguendam caliditatem febrilem, quod commode fieri potest cum syrupis de endiuia,& rosaceo, dilutis cum aquis cichoreæ,& betonicæ:At si præter q̃ q; febris ex uulnere sit, etiã corporis plenitudo,uel cacochymia fuerit: quod facilè ex habitu corporis,& urinis deprehenditur,optimum auxilium erit corpus secundum prædominantem humorem euacuare, ut puta si sanguis abundauerit,uena aperiatur,si uero alii humores abundauerint euacuentur puta cum cassia uel manna,uel syrupo rosaceo so

lutiuo. At rigor, & frigus si superuenerint semper mala sunt, & futuram mortem minantur, auxilientur (si plurimam molestiam afferant) cum inunctione facta ex oleo chamæmelino, & rosaceo, nucam, collum, & spinam, atque sub alis ungendo & loca inuncta foueantur lana, aut stupa calida.

Et quanquam ab Hippocrate, Galeno, & aliis eminentissimis antiquis, & modernis medicis antiquos insequentibus dictum sit uulnera cerebri cum incisione uelaminum, & substantia cerebri minime sanari ingeniis medicinalibus posse; & si aliqui sic uulnerati sanitati restituti sint, non illud factum ui medicaminum, & medicæ artis; sed potius diuina potentia, à qua nihil est quod fieri non possit, sic uolente: Ego testor deum, & q̃ plurimi homines, qui adhuc uiuunt, testes sunt, me plurimos uulneratos in capite cũ incisione ossis, pãniculorum, & insignis cerebri substantiæ sanasse arte, & remediis medicinalibus, & non solum uulnerati ense, sed fracti tum à rebus frangentibus, tum à casu ex alto: ita ut non solum uulnus fuerit in myningis, sed laceratio in substantia cerebri cũ deperditione, & cõquassatione nõ modicæ cerebri quantitatis. Inter quos uiuit adhuc clarissimus Paulus Raimundus uir Nobilis Venetus, qui percussus cum ense in capite in parte posteriori propè futuram landæ fuit cum incisione ossis uelaminum, & cerebri substantiæ; uulnus uero erat duorum digitorum longitudinis, profundum ad trium digitorum crassitudinem, pars ossis incisa, ex toto separata erat a reliqua parte Cranei: cui superuenerunt accidentia omnia futuram mortem enunciantia: qui tandem Dei omnipotentis auxilio mentem meam illuminantis & arte, & remediis medicinalibus sanitati restitutus est: testes sunt imprimis non pauci huius ciuitatis medici, ac etiam tota & nobilium, ac ciuium multitudo. Sanitati etiam mea opera restitutus est Magnificus iuuenis Marcus Goro, qui cum parte acuta cuiusdam hastilis, ab una parte præ se ferentis securim, & ab alia mucronem, siue pugilli acuti formam, quam alobardam uocant uulneratus est & facta fuit fractura, non solum ossis Cranei, sed panniculorum, & cerebri substantiæ usque ad os basilare, quod attestabatur radius argenteus in uulnere positus, qui descendebat usque ad os basilare, ita, ut sentiretur percussio facta a radio super osse basilari. Hic præter cætera alia accidentia per decem, & octo dies mutus fuit, Rogatus ego a q̃ plurimis clarissimis senatoribus

accessi cumq; uidissem ossis fracturam insignem satis, ad dimidii digiti auricularis longitudinem, & ad crassitiem latitudinis eiusdem, sciscitassemq; a medicis illis, qui medelam præstiterāt, de illa parte ossis ubi erat fractura: qui cum nullum os ab ipsis uisum fuisse asseuerarent, causam amissæ uocis fuisse cogitaui, partem illam ossis in cerebro fixam, & accepto instrumento chirurgici cuiusdam, qui ei in medendo deseruiebat, os ex uulnere extraxi, & immediatè cœpit loqui, & dixit, ad Dei laudem sum sanus, quod non fuit sine medicorum omnium, qui interfuerunt, & nobilium senatorum atque adstantium maximo applausu, & admiratione. Hic tandem ex malo cibi regimine (nam cum esset iuuenis insolens, & incontinens una die uoluit ouataricam, quam cauiarum uulgares uocant comedere, incidit in omnia accidentia, quæ futuram, & certam mortem significabant: tandem Dei benedicti auxilio, & medica arte, & auxiliis sanitati restitutus, qui uiuit etiam nunc: huic nobili superuenerunt accidentia epileptica ex retentione saniei super os Cranei basilare: Neque alio ingenio ulcus fistulosum potuit curari, nisi facta argentea canula ad unius digiti longitudinem, ut ulcus continuè apertum remaneret: & sic bis, & ter etiam in die, a sanie expurgabatur, scilicet accepta parte inferiori nasi manibus, & stricta, atq; anhelitu cõtento, & aliquo conamine facto sanies ex ulcere in summitate capitis egrediebatur ad quantitatem sæpissime dimidii corticis oui gallinacei, & plus: qua egressa imponi iubebam mel rosaceum dilutum cum duabus partibus aquæ ardentis ex uino per destillationem factæ, quam aquam uitæ uocant, supra quam canulam argenteam cerotum de betonica apponi iussi, quam cannulam per annum, & amplius in uulnus detinuit: sicq; ulcere sensim mundificato partes coaluerũt, & facta cicatrice euasit. Alphonsus quoque Bononiensis, qui percussus fuit cum ense in parte sinistra capitis inter suturam sagittalem, & mendosam cum incisione non solum ossis, & membranarum, sed etiam insignis quantitatis substantiæ cerebri: Etenim uulnus erat ad lõgitudinem unius digiti cum dimidio, ita ut manifestissimè substantia cerebri incisa inspiciebatur, & digito tangebatur: cui superuenerunt accidentia omnia mala mortem, & interitum attestantia, ut est febris, rigores, paralysis lateris oppositi, alienationes continuæ: qui tandem Domino auxiliante euasit nostra rationali administratione regiminis, & medicinalium me-

Casus 3.

dicamentorum, quæ fuerunt præter aeris alterationem, & rectificationem, missio sanguinis bis facta à uena cephalica eiusdem lateris; atque lenitio uentris à primis diebus cum cassia, & in processu per euacuationem cum pilulis cochiis exhibitis; & etiam exhibitio syrupi rosati, & de endiuia diluti cum aqua betonicæ, & boraginis; & ea quoque, quæ uulneri imponi secundum diuersitatem temporis læsionis iussi: quæ talia fuerunt. Etenim in primis illis diebus antequam accidentia hominem inuasissent continuè qui ei medelam præstabant oleum rosaceum omphacinum in uulnus infundebant, ungebantque uniuersum caput oleo rosaceo simplici: cum uero accersitus, ac supplice rogatus accessissem, uidens profunditatem uulneris, & substantiam cerebri incisam, quæ iam liuescere, & corrumpi incipiebat, iudicaui omnia accidentia ea potissimum de causa prouenisse: quoniam cerebri substantia corrumpebatur: Nam & sanies (quæ pauca erat) fœtebat: cum uero considerare cœpissem omnia alia remedia uana, & incassum fore, ni prius ut putredo, & putredinis causa remoueretur iussi ut acciperetur mel rosaceum, & tantundem olei rosacei, & duas partes aquæ uitæ ex uino scilicet factæ: quod medicamentum in unum redebatur: deinde penicillis in eodem medicamento madefactis uulnus replebatur, & oleo rosaceo uniuersum caput ungebatur, sicque processum fuit usque ad perfectam ulceris correctionem, & mundificationem: deinde cum unguento de matrissylua super penicilla in eodem madefacta; qui Dei omnipotentis gratia euasit, (non sine tamen maximo labore) trium mensium spacio: cui superuenere accidentia epileptica, a quibus etiam ex frequente exhibitione agarici, & rerum necessariarum regimine liberatus fuit: minime uero casum horrendum præteribo, & omni admiratione dignum. Etenim uir fortis, & strenuus Theodorus Bua natione Græcus, equitum ductor, qui, præterquam uulnus a quo sinistra manus abscissa, & separata ex toto fuerat, quoniam sola cutis inferior eam detinuit, ne humi caderet; quæ suta fuit & ex applicitis medicaminibus partes coaluerunt, & sanitati restituta fuit, motum tamen amisit. Vulneratus etiam fuit in capite cum ense quatuor magnis uulneribus cum incisione ossis, & substantiæ cerebri, horrenda erant uulnera uisu: nam cum essent quatuor, secundum diuersos incessus, & ubique substantia cerebri appareret lacerata, sine spe omnes eramus, & eò magis, quoniam superue-

nerunt a primis illis diebus rigores ingentes, qui non semel, sed pluries unica die hominem inuadebant; febrisq; ardens erat; ariditas linguæ, labiorum uulnerum depressio, & resolutio fere uniuersalis, atque substantiæ cerebri liuiditas: & quod a uulnere emanabat uirulentum, & fœtidum erat: cui præter apertionem uenæ cephalicæ dextri, & sani brachii, atque euacuationem uentris cum cassia, & quoque regimen sex rerũ necessariarum, plurima remedia capiti ad ministrata fuerunt: quæ cum non contulissent, unicum salutare remedium fore existimauimus, si iam inceptam putredinem, & causas quis amouere possit. Quare cum putredinis causa sit humiditas non regulata a calore naturali: & id quod putridum factum iam est, non poterit nisi exiccantibus remediis modeste calefacientibus corrigi, & tolli. Consilium fuit ut una cum melle rosaceo, & oleo rosaceo, & duplum aquæ uitæ ex uino per destillationem factæ permisceretur, sicq; per plures dies in uulnus hoc medicamen ponebatur: sed cum apparuit sanies laudabilior, amoto oleo rosaceo infundebant in uulnus mel rosatum, & aquã uitæ æquis portionibus simul permistam, desuper unguentum de matrissylua super pannum extensum ponebatur, caputq; uniuersum oleo rosaceo completo ungebatur: & quoniam per plures menses laborauit, molestatus a diuersis accidentibus, & præsertim epilepsia, omni ingenio ut uulnus adapertum maneret statutum fuit. Quare ulcus continue replebatur lychnüs, siue penicillis cum unguento de matrissylua & desuper cerotum de betonica satis amplum imponebat: quod non dimisit usque ad perfectam ulceris consolidationem: usus est, & agarico, & pilulis cochiis permistis, ut materia crassa circa panniculos inferioris partis cerebri detenta euacuaretur, & tandẽ ab omnibus malis euasit nõ fine maximo stupore totius ciuitatis. Præterea in uico sanctæ Ma- Casus v.
riæ formosæ iuuenis uiginti duorum annorum, qui ex maxima contusione Cranei cum quadam uirga auri ponderosa a uiro forti facta cum ruptura non solum cranei, sed myningarum, & substantiæ cerebri contusione euasit eodem fere regimine, & eisdem met medicaminibus applicitis, cui tamen non affuerunt accidentia mala, præter febrem a prioribus illis diebus qui spacio duorum mensium sanus euasit. Famulus etiam Domini Pasqualini Casus 6.
Missochæ uulneratus in capite in parte anteriori sub sutura coronali uersus frontem uulnere unius digiti longitudinis; quod uul-

nus nullis medicinis applicitis potuit sanari:sed semper sanies ab eo egrediebatur,præsertim si strictis naribus,& anhelitu retento, conatum faceret:quæ sanies per multos menses permansit, qui etiam ad omnia munia extra domum egrediebatur: hunc sanaui, continuè bis in die infundendo aquam uitæ per syringam. Super uulnus uero exterius cerotum de betonica ponebat: tandem post multos menses frustũ ossis longitudinis dimidii digiti egressum est:post cuius egressum uulnus sanitati restitutũ est. Possem q̃ plurimos alios mirabiles casus cum incisione & laceratione substantiæ cerebri sanatos enumerare:sed hi satis sint, ut scias uulnera cum incisione profundatione,& deperditione substantiæ cerebri sæpe a me sanata fuisse: dicant antiqui, & moderni Medici quicquid sibi placuerit: Scripsit etiã studiosus iuuenis dum cymba ueheremur,me dictante de uulneribus faciei: quæ, cum sciam tibi gratissimum facere,si præter dicta tibi etiam ea significem ad te destinaui,istis de capitis uulneribus declaratis, lege igitur ut tibi pollicitus sum faciei uulnera.

De Faciei uulneribus.

Vulnera faciei tametsi nõ sint illius discriminis,sicut capitis,& cerebri uulnera: non minori tamen diligentia tractari debent ea ratione,quoniam si diligenter non tractantur faciem deturpatam relinquunt:in primis igitur siue paruum siue magnum fuerit uulnus,siue simplex,siue cõpositum. Etenim simplex uulnus in præsentia est illud:quod cum incisione cutis sine plurima profundatione in parte carnea est:& compositum illud uoco,quod non solum cum sola cutis incisione,sed cum insigni aliarum partium carnis scilicet uenarum,panniculorum & ossis incisione, ut superius etiam declarauimus.Qualecunque ergo fuerit uulnus,prima medici intentio esse debet,ut labia uulneris uniantur, ita ut perfecte coalescant:quod commodè medentes per suitionem faciunt:modus uero suendi talis sit,ut non solum partes incisæ uniant, sed illas ad naturalem compositionem & figuram membri redigant, & æqualiter,ita ut labia uulneris simul uniantur,nec nimis cohæreant,nec etiam tantillum distent;hanc perfectam unionem uisus ipse cognoscit,sine aliquo discursu uel doctrina. Hoc faciunt etiã chirurgici acu oblongo,cuius acumen triangulare est,& incidens, ut facilius perforare possit,in quo acu diuersi diuersa fila ponũt: nam quidam sericum filum molle ponunt,suuntq́ cum ipso: alii cum serico filo,sed duplicato, & torto, alii etiam cum filo lineo,

& hoc

& hoc ultimum mihi magis placet cum sit mollior serico, ex qua mollitie non ita potes carnem sutam secare: Modus suendi talis est. primo labia uniunt secundum naturalem suum situm: deinde minister aliquis adiuuans labia sic unita digitis appræhendit: chirurgus uero tam unum q̃ aliud labium uulneris acu perforat nõ tantum cutem, sed etiam aliquam carnis portionem simul accipiet, nam cito rumperentur, si tantum cutis sueretur, & filum accipiunt, & nodum faciunt: postea aliquam partem fili abscindunt, & iterum eodem acu partem reliquam uulneris ad crassitiẽ unius digiti distantem perforando procedunt, & nodum faciunt filumq; abscindunt, & sic procedunt secundum uulneris longitudinem suendo, & inter unam, & aliam suturam, spacium crassitiei unius digiti, & quandoque plus intermittendo: deinde accipiatur albumen oui optime conquassatum, & pannum lini in eo infusum superponatur. Quod si sanguinis fluxum timent cum oui albumine puluis sanguinem constringens superius descriptus misceatur, sicq; usque ad restrictionem sanguinis procedatur: Et quoniam ad quasdam partes faciei nerui motiui, & sensitiui procedunt: ideo caueat, ne eos perforet aut aliquo alio modo lædat, similiter, & a chordarum punctura, & læsione cauendum erit. Etenim ex illorum læsione dolores, & alia accidentia excitantur, quæ sunt in causa ut humores ad locum fluant; post quam unionem, & sanguinis retentionem, si oportebit ea uti, secunda intentio est diuertere fluxum humorum a loco uulnerato: quare aperiatur uena cephalica eiusdem lateris uulnerati: sanguisq; mittatur secundum rei opportunitatem, præmisso clysteri: sequenti uero mane detur bolus ex cassia ad uentris lenitionem, & superfluitatum communium euacuationem, quæ euacuatio se tenet etiam loco diuersionis. Regimen uero cibi, & potus sit cum abstinentia tam carnis, q̃ etiam uini, caueat ab aere frigido, & etiam a calido: sed locus sit temperatus. Quoniam uulnera faciei potius turpitudinem, q̃ uitæ discrimen afferunt: nisi sint magna, & non recte curata: ideo medicus omni ingenio si fieri potest quærit ea sanare, uia primæ intentionis, quæ completur illis auxiliis quæ labia inuiscare, seu adglutinare possunt: quare cum eodem albumine oui conquassato procedet usque ad perfectam uulneris glutinationem nisi ab aliquo superuenienti accidente impeditus fuerit. Quod si aliquod superueniet, ita ut necessum sit ad aliquod

AA

modus suendi uulnera

Vena secti[...]

Leniti[...] ventr[...]

aliud medicamentum ascendere, unguentum de palma in casu plurimum ualet:nam glutinat,roborat,resoluit,mundificat, & cicatricem facit: Et quoniam aliquando ante perfectam uulneris cõsolidationem sæpe puncta suitionis uulneris relaxantur rupta scilicet cute,& carne,in qua filum erat retinens labia, ex qua ruptura fit exulceratio , & laniatio turpis : hoc in casu antequam labia disrumpantur,partes,& uulneris labia,colla seu glutino super pãnum lini extenso utuntur:quod glutinum siue collam ita extensam super pannum ponunt prope labia uulneris tam ab uno , q̃ ab alio latere:quæ distent per dimidii digiti crassitiem hac ratione ut inter unum , & aliud pannum glutinatum possint medicamenta ponere,quibus pannis sic applicitis,& exiccatis puncta,seu prior sutura incidatur amoto filo:deinde suendæ sunt petiæ carni glutinatæ eo modo quo dictum fuit:ut scilicet per huiusmodi suturam labia uulneris inungantur ad naturalem situm : modus suendi,& applicandi prædictam collam fit hoc modo , accipiunt pannum lineum glutino infrascribendo linitum ad longitudinẽ uulneris.latitudo uero fit secundum membri magnitudinem , ita ut super locum commode manere possit ad tantum temporis spacium ut uulnus perfecte consolidari possit: & postquam exiccata fuerit colla panni suendi sunt cutis uero nullo modo sui debet, & spacium sit inter pannum,& pannum,& etiam inter punctum suturæ & punctum,ut supra dixi . Colla siue glutinum quo pãnum liniunt diuersimodè componitur : nam quidam sic præparant, Recipe dragachanti,masticis,olibani,farinæ uolatilis molendini,boli armenici an.partes æquales, calcis uiuæ extinctæ partes duas;misce & fiat puluis subtilissimus: & cum eo uti uolueris, accipe albumen oui diu contusi,& agitati,in quo albumine pone dictum puluerem , & optime miscendo simul incorporentur , & utere . Quidam uero accipiunt masticem,dragachantum, olibanum,calcem uiuam extinctam ad æqualem portionem,& cum albumine oui contuso miscent,& hac mistura utuntur . sunt etiam qui utuntur glutino carpentariorum facto ex caseo madefacto cum aqua,& plurimum ligno,uel instrumento quodam subacto, usque dum formam,siue substantiam uisci acquirat:cum qua ponunt puluerem calcis uiuæ extinctæ,& optimè miscendo incorporant. At quando uulnera non sunt unita colla,sed sutura superius dicta optimum est uti puluere aliquo prohibente generatio-

nem puris,& prohibente etiam corrosionem,& quod aliquo modo glutinare ualeat: Quoniam pus est sæpe in causa separationis pũctorum,& uulneris etiam difficilis sanationis: puluis talis erit. Recipe sanguinis draconis,olibani,aloes an.partes æquales,misce & fiat ex eis puluis,& ponatur super labia uulneris bis in die:attamē semper si fieri poteſt melius est unire labia uulneris dicto glutino cũ panno lini apposito,& suto,q̃ uulnus ipsum suere:nam sic minus turpis redditur cicatrix,quare si quis uocatus prima illa die cũ glutino, siue colla procedat,& hoc ingenio labia uulneris unierit, meliorem finem, & fœliciorem consequetur: sunt tamen qui prima die suunt, secunda apponunt pannum lini cum glutino,& exiccari dimittunt,postea suunt pannos carni glutinatos, & abscindunt priora puncta,antequã sanies aliqua generetur: & quoniam ubi labia coniuncta sunt,locus sæpissime durus remanet, ac etiam rubeus:hoc in casu plurimum conducit unguentum de pomo citri,si cum eo bis,aut ter cicatrix liniatur: ad idem ualet pinguedo piscis cuiusdam fluuialis,Temolum uocant,& plurimi capiuntur in Sili flumine transiens per agrum Taruisinum & etiam in aliis q̃ plurimis fluminibus capiuntur:sunt etiam qui ad subtiliandum faciei cicatrices accipiunt pinguedinem, quæ reperitur circum circa corpus pueri nouiter nati,& liniunt cicatricem: sunt & alia ingenia ab antiquis enarrata, ubi de decoratione sermonē habent,quibus uti possunt secundum rei necessitatem;sed hæc sufficiant.Scripsit etiam ille(me dictante) præter uulnerum capitis curationem, de uulneribus pectoris, quæ ad te scribere uolui.

Pectoris uulnera si ad interiora membra penetrant læthalia, uel non sine maximo mortis discrimine sunt: quæ uero tantum extrinseca membra lædunt:præter q̃ quod non sine labore sanantur,secum aliquando accidentia mala,ut est dolor,tussis, & febris: quæ accidentia sæpe ex magnitudine uulneris fiunt: sæpe etiam ex errore ægrotantis,uel medici,aut astantium.& ut melius medelam præstare possint huiuscemodi uulneratis: operæprecium est medentibus ponere discrimen inter uulnera penetrantia ex propriis quibusdam notis,& signis:etenim si uulnus ad partem concauam pectoris penetrat, flatus, & sonitus ex uulnere egreditur, ita aliquando fortis:ut candelam accensam extinguere possit,aliquando uero flatus,ueluti parui crepitus uentris egrediuntur, A præsertim si æger tussierit;cp si radium in uulnere obstaculo&nj

usque ad uacuitatem pectoris ingrediatur non egent alio signo: sunt quoque signa in uulneribus penetrantibus ostendentia læsionem, seu uulnerationem intrinsecarum partium. Etenim si sanguis spumosus, & clarus egreditur uulnus ad substantiam pulmonis penetrare denotat: si uero sine spuma egrediatur, pulmones non uulneratos esse declarat. at si uulnus usque ad capsulam, uel ad substantiam cordis penetrauerit, non plurimum post immutata facie membra omnia frigescunt: & uulneratus moritur. Omne igitur uulnus penetrans læthale est: non tamen omnes sic uulnerati pereunt quamuis difficillime sanentur: plurimi enim mea opera, & aliorum medicorum sanitati restituti sunt, qui ex putrefacto sanguine in concauo pectoris per plurimum temporis spacium detento ad perpetuam tussim una cum febre continua, & uniuersi corporis macie deuenerunt, ut medici omnes illustres, & seniores ultimam speciem hecticæ febris pati assererent: Ego uero præter localia auxilia eos sanaui decocto siue potione ex rebus diureticis, & pectus mundificantibus per quadraginta dies exhibita, ut statim post tibi dicam. Neque non possum non mirari, ꝙ nec Diuinus Hippocrates, nec Galenus, nec Auicenna, nec aliquis antiquorum particularem, & distinctum ut ita dixerim modum procedendi in curandis huiuscemodi uulneribus docuerint: quando non pauca omni laude digna de uulneribus, ac etiam de ulceribus scripserunt. Ex quo non desunt inter modernos difficultates de modo curationis uulnerum, & ulcerum intra pectus penetrantium. Quicquid dicant, ego tamen enarrabo communem modum, & rationalem procedendi in curandis dictis uulneribus atque ulceribus penetrantibus, ubi plurima sanies in cauo pectoris continetur. Primum igitur siue penetrans, siue non penetrans fuerit uulnus ad fluxum sanguinis sistendum, & cursum humorum currentium ad locum accedendum est, & super uulnus ouum conquassatum una cum puluere boli armenici madefacta in eo stupa, atque penicilla siue lychnia super uulnus imponatur: quod si uulnus ad cauitatem non penetrat, & tamen magnū sit, suunt ipsum modo superius dicto, et (si fieri potest) labiorum glutinationem sine loci uulnerati saniatione quærunt, mutatis scilicet unaquaque die stupis dictis infusis in dicto ouo confuso cum puluere boli armenici. ꝙ si membrum magis roborare intendūt madefaciunt stupam primo in uino stiptico, & ad-

Cur. Ghichi uulneris. s. nō penetrantis.

dunt puluerẽ myrtillorum cum dicto bolo armenico, & sic quærunt uulnus consolidare: si uero ex cursu humorum sanies generetur, tunc administrant, & imponunt lychinos in terebinthina calida infusos, & desuper pannum lini in eadem terebinthina madefactum: quod si crudum fuerit ad eius digestionem faciunt ex terebinthina, ut uitello oui an. parte æquali unguentum, quod digestiuum uocant: deinde apparente digestione, addito melle rosaceo & farina hordeacea unguentum componunt, quo cum uulnus mundificant: atque postremo apponũt unguentum triapharmacum, uel unguentum de palma usque ad perfectam ulceris sigillationem, facta in primis euacuatione uniuersali intestinorum per clystere, uel cum cassia: atque in magnis uulneribus misso ex brachio dextro sanguine, & instituto regimine cibi & potus subtili cum abstinentia à uino, & carnibus saltem usque ad septimũ, & plus etiam, si febris superuenerit, procedunt. Similiter, instituto regimine aeris, & reliquarum rerum non naturalium, quam uictus rationem & regimen in penetrantibus semper obseruare oportet, sic procedunt. Etenim si uulnus fuerit penetrans nullo pacto suunt, hac scilicet ratione, ut si quæ pars sanguinis ex uulnere ad cauum pectoris descenderit a uulnere extrahi possit in prima illa die, uel postquam in saniem conuersus est: & ut hoc facilius haberi possit ponunt in uulnus tentam mollem penetrantem ad pectoris cauitatem, quam madefaciunt cum terebinthina calida, & desuper pãnum lini in dicta terebinthina madefactum, & circum circa partes costales liniunt ad mitigandum dolorem cum oleo rosaceo, & amygdalarum dulcium calido deinde procedunt cum digestiuo, non dimissa terebinthina. Prima autem die præmisso clystere aperiunt uenam brachii oppositi uulneris, sanguinemq́ euacuant ad cursum humorum diuertendum, ne ad locum læsum fluant: postea secunda die stomachum, & intestina à communibus superfluitatibus mundificant. Etenim ex intentione diui Mesuæ capite de rhabarbaro accipiunt pulpam cassiæ una cum rhabarbaro, & mumia, atque rubea tinctorum: quas res addunt cum ipsa cassia, ut post euacuationem relinquatur uis dictarum tam ad uentriculi, q̃ ad pectoris recreationem & robur: his præmissis (ut dixi) in uulnere, & super uulnus ponunt terebinthinam, siue glutinum albotim, quomodocunque dixerimus nõ refert: & hoc quoniam huiuscemodi uulnera inter neruorum uul

nera collocari possunt, quem medendi modum docuit Albucha-sis in de uulneribus pectoris penetrantibus, qui docuit prognosticari in similibus dicens: si non superuenerint accidentia mala, ut est alienatio, insomnietas, conuulsio, lipothymia, praefocatio ante septimum diem saluabitur aeger: si uero superuenerint laethale erit; haec ille. Procedunt igitur medentes cum terebinthina, in qua madefaciunt tentas, & ponunt intra uulnus: quas tentas appendunt filo, ne forte intra uulnus in cauitate pectoris remaneant: & quoque ponunt super uulnus pannum lini in dicta terebinthina madefactum, & ut dixi inungunt pectus, & partes costales uicinas uulneri primis diebus oleo rosaceo, & amygdalino simul mistis calidis: postea quando sanies generata est, & tussire incipit aeger liniunt partes uicinas unguento pectorali descriptione Domini Mesuae. Horum cibus est panatella ex aqua, & mica panis cum saccharo, uel ptissana hordeacea: potus istorum est aqua hordei cum suo cortice primis illis diebus cum saccharo, uel iuleb uiolaceo: sed in processu cum materia suppuratur dant aquam mellis, deinde ascendunt ad syrupum de liquiritia, praesertim si tussis fuerit molesta: insuper procurant praeter priorem paulo ante dictam minorationem iterum corpus euacuare: sed primo praeparant ad euacuationem cum syrupis pectori conuenientibus hoc modo, uerbi gratia, Recipe syrupi de liquiritia ℥.i. de capillis Veneris ℥.s. Aquarum scabiosae, capillorum Veneris an. ℥.i.s. misce. Etenim hic syrupus, uel alius similis in uirtute praeterquam ꝙ humores digerit prouocat etiam urinam, sicq; materia quae in pectore collecta est, sic praeparata facilius per uiam urinae educi potest: ut credidit Galenus sexto de Locis affectis post quam syruporum exhibitionem dant medicinam leuem ex cassia, & rhabarbaro, ut paulo ante dixi, & aliquando addunt agaricum, quoniam educit a pectore: uulneribus uero usque ad perfectam praeparationem saniei medentur cum iam dicta terebinthina, & ad mundificandum miscent cum ea dimidiam partem mellis rosacei, & parum farinae hordei: & quoniam in huiusmodi uulneribus saepe materia plurima putrescit in cauitate pectoris supra septum transuersum, ideo quando tergunt uulnus, iubent, ut aeger inclinet in partem uulneris, & fortiter tussiat, ita ut materia egrediatur, iubent etiam ut super latus uulneris iaceat. Verum si uulnus est in inferioribus costis, quae sunt propinquae

diaphragmati ut puta circa quartam uel quintam costam incipiendo ab inferioribus, egressus saniei, uel sanguinis facilis est: quod si uulnus fuerit inter costas superiores uersus furculam difficile est saniem, uel sanguinem in pectore contentum per uulnus euacuare: in qua difficultate sequitur ex retentione materiæ in pectore tussis uehemens, & febris assidua: quæ cum sit ex retentione iam dicta solent expertissimi medici eam euacuare incidendo uulneratos nouacula, seu alio instrumento ad hoc apto inter quartam, & quintam costam incipiendo enumerare inferius à prima ex spuriis costis: quod auxilium præsentaneum remedium est: tametsi quibusdam horrendum uideatur. Equidem non possum illud non plurimum laudare: uerum sunt qui candenti ferro incidente hoc faciunt: sunt etiam qui medicinam causticam ponūt inter iam dictam quartam, & quintam costam: postea procurant casum escharæ, seu carnis combustæ applicādo bis aut ter in die butyrum, sicq; mundificant pectus à sanie contenta in ipso per foramen ut dixi factum: Et quoniam ut plurimum uulnera penetrantia intra pectus sunt diuturna, quæ non nisi maximo labore sanitati reduci possunt; ideo omnem diligentiam, & studium adhibere oportet, ut diuersis ingeniis medicinæ sanies egrediatur aut per sputum tussiendo, aut per aliam uiam: Nam sæpe sanies neque per uulnus, neque per sputum tussiendo euacuari potest, quo in casu medici docti, & moderni etiam inuenerunt potiones diuersas sanātes hos uulneratos cum sanies retinetur in pectore, quos suppuratos Latini uocant. & cum decoctionibus urinam prouocantibus, atque pectoris partes roborantibus sanitatem procurant, & in primis est mistura illa ad uulnera sananda descripta a diuo Mesuæ circa finem undecimæ distinctionis antidotarii, quam exhibent bis in die scilicet mane, & uesperi per quadraginta dies ad pondus sex uel octo unciarum iuxta ægri tolerantiam, & saniei quantitatem in pectore. Etenim ubi plurima materia uel sanies est, maiori eget æger uirtute medicaminis, quæ non nisi in maiori quanto esse potest: at si pauca fuerit semel in die, & in minori quantitate accipiunt: Et quoniam medicinis usu comprobatis medici magis confidunt: ideo ut nil in tam difficili uulnerum curatione desit, quod ad perfectam sanationem faciat, quasdam descriptiones potionum facientium ad suppuratos ex uulnere in pectore a me sæpissime probatas addam, & primo po

Potiones ad suppuratos.

tio mirabilis qua quã plurimos sanaui, qui ab omnibus medicis phisici ex ulcere pulmonis credebantur cum continuè tussirent, & sputum putridum esset, una cum febre cõtinua & uniuersi corporis macie. Recipe garyophillatæ, radicis artemisiæ, pimpinellæ chamæmillæ, pentaphyllonis, uiolarum, caulum rubearũ, consolidæ minoris cannapis, cimarum rubi, centaureæ minoris, pilosellæ, fragrariæ, consolidæ maioris, foliorum oliuæ, berbenæ, tormentillæ, millefolii. an. m. i. rubeæ tinctorum ad duplum aliarum rerum uidelicet manipulos xxxvi. uini montani ponderis librarum sexaginta, bulliant omnia ad consumptionem medietatis, & collentur, deinde adde mellis libras duas, & iterum bulliant bullitione optima, postea tribus albuminibus ouorum optimè contusis impositis ex arte clarificetur: deinde colletur per pannũ & serua: ex quo decocto ita præparato detur ut supra mane & uesperi, ut dixi calido ad quantitatem suprascriptam plus minusve secundum magnitudinem morbi, & rei indigentiam, & desuper ponatur unguentum nostrũ pro uulneribus penetrantibus quod fit hoc modo. Recipe minii ℥. xxiiii. picis naualis ℥. iiii. olei rosati ℥. xx. misce, & bulliant omnia simul: donec per cocturam reddantur ad formam ceroti, deinde adde terebinthinam ℥. ii. & misce: postea sic calidum proice eum in situlam aquæ frigidæ, & dimitte refrigerari, postea manibus ducatur ad optimam permistionem, & usui seruetur. Hoc cerotarium non solum ualet in uulneribus penetrantibus pectoris, sed etiam in q̃ plurimis ulceribus difficilis consolidationis, & antiquis. Chirurgici uero quidam in tali casu in fine unguentum siue cerotum ponunt quod gratia Dei uocant: alii uero alia, ut est unguentum triapharmacum: sed siue hoc, siue illud supra ad tegendum ulcus ponatur cerotarium, non refert: quoniam ferè tota uis curæ in exhibitione dictarum potionum, uel alicuius alterius æquiualentis medicaminis consistit: ideo sequar aliam potionem scribendo, quæ talis est, Recipe pimpinellæ, artemisiæ, caulium rubearum, chamæmillæ, pentaphyllonis, cimarum rubi, garyophillatæ, seminum canapis, centaureæ minoris an. m. i. rubeæ tinctorum ad pōdus omnium, bulliant in uino albo montano ad consumptionem medietatis, deinde cola, & colaturæ adde quartam partem mellis, & iterum bulliant bullitione optima, & da eam ut supra mane, & uesperi calidam. Alia decoctio sanans suppuratos ex uulnere thoracis penetrante

netrante

netrante, Recipe ſeminum caulis rubeæ herbæ tanaceti, ſiue danetæ ſeminum cannabis rubeæ tinctorum, conſolidæ maioris ana partes æquales, bulliant in uino montano albo, & cola, & in colatura pone quartam partem mellis, & iterum optimè bulliãt, de qua detur patienti, ut dictum eſt ſupra. Fieri etiam poſſunt trochiſci ex ſuprascriptis rebus, qui ſanant ſuppuratos ex dicta cauſa. Recipe ſeminum caulis rubeæ ſeminum cannabis, tanaceti, ſiue danetæ, rubeæ tinctorum, conſolidæ maioris an. partes æquales, piſtentur omnia, & fiant ex eis trochiſci cum uino aromatico de menſe Auguſti de quibus exhibeantur mane, & ueſperi ʒ.i. uſque ad duas, & plus etiam in puluerem conuerſis cum uino mõtano, uel fiant ex eis pilulæ, quæ exhibeantur ad quantitatem dictam cum uino montano. Ego uero dictis potionibus, & remediis intus exhibitis plures ſanaui: atque in tali caſu ſunt ita proficui, ut quidam practicantes intrepidè, & omni ingenio à principio ſtudeant uulneris conſolidationi quanto citius fieri poteſt, dantes huiuſmodi potiones mane, & ueſperi. Etenim cum ſint ualentes in prouocatione urinæ, per eam materiam in pectore euacuare ſperant, atque ad uias urinæ deducere per uenas illas de quibus Galenus meminit in de locis affectis. quæ conſolidatio uulneris à principio non ex omni parte tuta eſt: ſed dum iſta fiunt, ab illis non eſt deſiſtendum qui ſputum facilitant, & tuſſim excitant, ut eſt ſaponea ex ſaccharo cum aqua capillorum Veneris, uel ſcabioſæ, neque à loc de pino, neque à ſyrupo uiolaceo compoſito, uel de capillis Veneris, & aliis facientibus ad facilitandum ſputũ per tuſſim abſtinendũ eſt. Et quoniam ſæpisſimè uulneratis cum penetratione uſq; ad pectoris cauitatem accidunt à principio accidentia mala, ad quæ etiam ſuffocatio, & mors ſequitur, uel in pro ceſſu ut dictũ eſt ſanguis in cauitate pectoris ſuppuratur, ita ut febris continua ſuperueniat, & tuſſis perpetua cum ſputaminibus purulentis, & fœtidis, qui tametſi à medicis cum rebus facilitantibus ſputum tantum tractentur, non tamen liberari poſſunt: ideo neceſſum eſt aliam quoque uiam, uel remedia pectus mundificandi inuenire: de quibus moderni chirurgi rationales quædam in ſuis ſcriptis reliquerunt, quibus q̃ plurimos ſanaui, tum adoleſcentes tum iuuenes, tum etiã ſenes: inter quos Demetrius draco pelliparius cognominatus præfectus nauis ætatis quinquaginta ſex annorũ uulneratus in pectore cum penetratione uſq; ad caui-

iarem, Venetias uenit post uigesimumquintum diē, & assidua febre febriebat, Tussis erat uehemens, atque continua purulentum expuebat, & tametsi alii medici seniores accersiti essent: non poterant tamen hominem sanare: Ego uero cum essem iuuenis postquam cætera per eos exhibita non profuerant, illis proposui uiā modernorum medentium in suppuratis, quæ est per ea, quæ urinam prouocant, & materiam contentam in pectore digerunt, subtiliant, & ad optimam puris conditionem reducunt atque ad uias urinæ dirigunt, quem medendi modum cum febris ualida esset noluerunt. s. ut exhiberentur huiusmodi potiones. Ego uero instabam, dicebamq; febrem non esse ex naturalium membrorum inflammatione, aut ex materia in eis contenta, & ex obstructionibus putrescente, sed ex suppurato sanguine, & aliis humoribus cum aliquali materia à capite destillata permista, quæ putrescebat, ita ut potius febris accidens dici poterat, q̄ per se cum penderet a putrida illa materia in cauo pectoris existente: quæ nisi amoueretur tandem ad interitum hominem duceret: Cum tandem fessi fuerunt ex plurimis adhibitis medicaminibus, & si sine spe essent, permiserunt atque contenti fuerunt, ut potio ei adhiberetur: sicq; exhibita fuit bis in die ex prima descriptione superius adnotata mane scilicet & uesperi ad quantitatem septem unciarum: sicq; ante terminum quadraginta dierū sanitati restitutus est præter illorum medicorum opinionem. Etenim ex tali potu tussis mitior facta fuit, & magis concoctam materiam expuebat, atque cœpit plurimam quantitatem urinæ mingere, ex quo continue febris imminuebatur, minus tussiebat: atque cum minori labore expuebat, & tandem cum a febre alleuiatus esset plurimam urinæ crassæ quantitatem mingebat, & denique consumpta materia facta est urina optima in substantia, colore, & contentis. Non dimittam casum Francisci saccomanni mercatoris cum & ipse ex uulnere cassali cum penetratione scilicet intra pectus tandem post plurimos menses factus est Empicus, siue suppuratus cum maxima tussi, & dolore sub costis mendosis lateris uulnerati cum febre assidua, ac totius corporis macie plurimam materiam saniosam tussiendo cum maximo labore, hic ex continua tussi nec dormire, nec quiescere poterat: cumq; medici alii, qui illi medelam præstiterant, sine spe eum naturæ dimisissent, Rogatus ab eius consanguineis, & charioribus amicis ad eum accessi; & primo iniun-

cto regimine cibi,& potus,& aliarum rerum necessariarum uidelicet iussi ut cibaretur optimis carnibus iuuenibus elixis, in quorum iure iussi, ut facerent pro ferculo ptissanam hordeaceam, quam mane,& uesperi accipiebat:iussi etiam ut ouum sorbile acciperet & uinum album dilutum cum aqua ex saccharo decocta biberet. Erat enim tempus æstiuum uidelicet principium mensis Iunii:& iam per multos dies antea a primis illis medicis derelictus nihil medicinale,faciens ad febrem,& alia accidentia,sumpserat.quare iussi ut drach.x.floris casiæ una cum darchma una agarici præparati acciperet & postea bis in die uidelicet mane ante prandium per quatuor horas,& uesperi ante cœnam hunc syrupum assumeret. Recipe syrupi de liquiritia de capillis Veneris, uiolati compositi an.℥.s. Aquarum scabiosæ, rubeæ tinctorum, pimpinellæ,an.℥.i.misce:interim dum istos bibebat syrupos præparata fuit potio in primo casu descripta, qua præparata singulo mane in aurora cyathum unum sex unciarum accipiebat: & uesperi septem horas post prandium, & ante cœnam quatuor horis accipiebat:Et quoniam uenter non sponte fluebat post unam, uel alteram diem administrabat clysterem communem ante prādium transacta quintadecima die,iterum hominem purgaui cum decem drachmis floris casiæ,& drachma una agarici præparati:deinde sequenti mane iterum bibere cœpit dictam decoctionem,& horis etiam uespertinis, post quam euacuationem cœpit facilius & cum minori tussi expuere:sputumq; magis concoctum apparuit:cœpit etiā copiosius mingere,& minus febrire: Et quoniam per uulnus sanies contenta in cauitate pectoris aliquando retinebatur:& febris,ac etiam tussis augebatur:ideo ut non retineretur cannula argentea in uulnus imposita fuit, ut libere pus egredi possit: ac etiam cerotarium ad uulnera penetrantia superius descriptum posui,equidem potuissem aliquo alio uti medicamine:sed hoc mihi magis cæteris arridet: quoniam mirabilis est eius operatio in similibus:deinde ut bibendo procederet intrepide iubeo:Exterius etiam uniuersum pectus oleo amygdalarum dulcium una cū pinguedine gallinæ recēti, & mucilagine altheæ, & parum ceræ simul permistis, & facto unguento, calido inungere cœpi,& ad sputum facilitandum saponeam cum aqua scabiosæ accipere iussi,quo regimine cibi,& potus atque medicinalis potionis bis in die sumptæ,& exteriorum medicaminum,tan-

dem duorum menſium ſpatio ſanitati reſtitutus eſt, cum maxima omnium illorum medicorum admiratione & ægrotantis, ac ſuorum conſanguineorum gaudio; Quare Deo optimo maximo ſit ſemper laus, & honor: ſanaui etiam & alios q̃ plurimos ſuppuratos qui ab aliis medicis minimè ſanari potuerunt ſuis ingeniis. Casus 3.us Ego quidem inter cæteros, duos Nobiles adoleſcentes ex familia Maurocena, quorum alter nullum medicamen per os ſumere potuerat: quoniam in animi deliquium & in ingentem febrem poſt eorum aſſumptionem ingrediebatur: ita ut parentes de eius ſalute deſperarent, tametſi a ſenioribus medicis huius illuſtriſſimæ ciuitates regebatur. Regula uero, qua uſus ſum in hac cura talis eſt. Primum cibi fuerunt ex optimis carnibus auium uidelicet pullorum gallinaceorum, in quorum iure panatellam, uel far, uel ouũ contuſum pro ferculo parabatur: carnes etiam pullorum uel paruorum auium comedebat, & ouum etiam ſorbile, uinum album pauciferum medii ſaporis cum aqua capillorum Veneris dilutum bibebat. ulceri impoſitum fuit unguentum iam dictum ad uulnera penetrantia, & loco tentæ poſita fuit cannula argentea panno lineo ueteri ſubtili munita, & dicto unguento cum oleo maſticino mollito inuncta, ſicq; ſanitati reſtitutus fuit paruo labore, tametſi non crederent medici ex iam dictis illum ſanari poſſe, quoniam medicinas per os ſumere non poterat. Cauſa uero cur in hanc Empicam diſpoſitionem inciderit, uel ut Latini dicunt ſuppuratus factus ſit, fuit quoniam pleuriticus fuit, & nullo medicinali auxilio uti potuerit, neque per uenæ ſectionem, neque per medicinam euacuare medici ipſum potuerunt: Ruptus eſt abſceſſus intra cauum pectoris, & ſanies ibi diu permanens exulcerauit, & eroſit muſculos inter coſtales circa ſextam coſtam à mendoſis enumerare incipiendo, & factus eſt alter abſceſſus exterior exulceratus, ab ipſo autem ulcere plurima puris quantitas, quæ intus ſuper ſeptum tranſuerſum contenta erat, egrediebatur: Et tametſi medici unguentis, & tentis ex pannis lineis uſi ſint, tamen non potuit ſanari niſi cannula dicta appoſita, per quam continuè pus egrediebatur: antea uero ex tenta illa ex panno lineo per plurimas horas reiterata tractabatur: ita ut non poſſit intus ex præſentia puris ulcus exiccari. Casus 4.us Alter uero nobilis adoleſcens ſuppuratus & ipſe ex eadem inflammatione panniculi ſubcingentis coſtas intus erupta ad talem diſpoſitionem deuenerat. Erant tam in

uno, q̃ in altero macies, & excarnatio timorosa, febris continua, tussis sicca, & frequens: Neque alio ingenio in hoc usus sum, q̃ regimine dicto in cibo, & potu, & cannula argentea in ulcere posita, præterquam q aliquando agaricum præparatum ad pondus unius drachmæ in forma pilulari exhibebam semel in hebdomada, & aliquando ad decem dies, sicq; sanitati, & hic alter restitutus fuit, neque ex alia causa, nisi quoniam cannula argentea quæ in ulcus imponebatur, non permittebat pus coadunari, & colligi in cauo pectoris sed totum euacuabatur.

Possem tibi uir doctissime plurimos ægros suppuratos qui mea opera sanitati restituti fuerunt scribere: ut fuerunt quidam, qui ex uulnere circa furculam superiorem pectoris cum penetratione uulnerati facti fuerunt Empici, seu deuenerunt ad suppurationem, qui sine alia potione liberati fuerunt ex incisione facta inter quartam, & quintam costam eiusdem lateris uulnerati incipiendo a mendosis seu spuriis costis enumerare: qui tamen usi sunt unguentis tum digestiuis tum mundificantibus, & etiam lotionibus per syringam in cauum pectoris per uulnus iniicientes. Sed dicta hæc satis erunt ut optime scias uariis auxiliis suppuratos ex diuersis causis liberari posse. Hæc igitur omnia de uulneribus pectoris a me dicta, atque ab illo scripta fuere: quibus etiam de neruorum uulneribus in diuersis corporis partibus, ut omnia tibi clara sint addere uolui: quæ pectoris penetrantia uulnera consequuntur. Etenim in pectore musculi exteriores, & inter costales plurimi sunt præter membranam succingentem costas intrinsece, qui in talibus uulnerantur: & quoniã uulnera neruorum cum uulneribus pectoris similitudinem habent ideo de ipsis sermonem faciam: postea orationem nostram de uulneribus continuabo.

DE NERVORVM VVLNERIBVS.

Neruorum uulnera in diuersis partibus, & membris nostri corporis sine controuersia fieri possunt, & etiam a diuersis causis efficientibus, in præsentia tamen quædam, & non omnia recensebo: Etenim satis erit illa enumerare, quæ a causis efficientibus manifestis fiunt: quæ deinde in alias causas distinctas quantum ad rationem curæ attinet reliqua manifestare poterunt. fiunt

igitur neruorum uulnera a re incidente, pungente, uel contundente ut in aliis uulneribus fieri solet: sed quoniam neruorum uulnera non semper sensui manifesta sunt: cum sæpissime cutis, & caro uulnerentur neruo non uulnerato: ideo ut in re dubia caute procedatur: primum ut uulnus cum neruo uulnerato cognoscamus propriis signis egent medici, inter quæ signa est ingens dolor, & sensus aliquando in membro priuatio, uel saltem læsio, atq; pariter motus difficultas. Cum uero neruorum uulneratio manifesta est, uel saltem conicturalis ex signis. Primum apponenda sunt super nouum uulnus medicamina exiccantia non expoliata a caliditate, nisi fluxus sanguinis obstet, quod si fluxerit sanguis, sistendus erit pulueribus superius dictis, qui constant ex ℥.i.s. aloes, & thuris ℥.i. non ut tonsores faciunt cum albumine oui permistis: sed cum uino rubeo stiptico paucifero ad spissitudinem mellis redactis cum pilis leporis in ipso illinitis, & in uulnere positis, atq; diligentissime fasciis superligatis, post sanguinis retentionem: sunt qui terebinthinam lotam in uulnus ponunt: deinde partes uicinas uulneris oleo rosaceo calido liniunt: & ne materiæ, & humores ad membrum læsum currant, supra uulnus per quatuor digitos membrum muniunt unguento quod defensiuum uocant, & fit ex bolo armenico, & sanguine draconis aceto oleo rosaceo, & cera cum eo liquefacta, simul permistus, atque ad formam unguenti redactis. Præterea ne superfluitates corporis ad locum læsum currant, uenter leniendus est cassia exhibita, uel clystere communi supposito: deinde uenam oppositam membri uulnerati aperire oportet ad diuertendum fluxum, a membro læso, nisi nimium fluxus sanguini ex uulnere obstiterit: & hæc præmittenda sunt a principio: deinde ad localia deuenire oportet: & dictum est, non nullos terebinthinam primo apponere, tamen sunt & qui non audent in prima die uulneribus eã administrare: sed applicant stupam carminatam in uino rubeo paucifero, & stiptico: secunda die postea terebinthinam ponunt, uel aliquod aliud medicamen æquiualens: & est doctrina Galeni tum in libris Catageni, tum in aliis. Quam doctrinam secutus est princeps Auicẽna quarta quarti de cura uulnerum neruorum, cum dixit glutinum albotim esse de melioribus in neruorum uulneribus: sed animaduerte ex doctrina illustrium medicorum minime terebinthinam, neque alia medicamina mordicantia conuenire, si nerui discooperti, uel car-

ne denudati fuerint:quo in casu terebinthinam lauare oportet puta cum aqua stillaticia betonicæ,uel eius decocto, aut una cum terebinthina aliquid olei masticini ad remouendam acredinem, ac mordacitatem permiscere,& eam uulneri applicare calidam super lichynia,siue tentas ex filis panni linei nitidi factas: deinde oleo rosaceo,& masticino permistis loca uicina uulneri illinire: atque hoc calle procedendum est,usque quo uulnus reguletur ita ut optimum pus generet,& aliquid carnis super denudatum neruum generetur:ut scilicet per ipsam carnem à nocumento mordacioris medicaminis tueatur,quo apparente unguenta mundificantia pus,& carnem generantia liberè uulneri cum filamentis, uel tentis imponenda sunt:qualia sunt unguentum ex terebinthina melle rosaceo, & farina hordeacea, myrrha & sarcocolla factum,uel fit unguentum basilicon. Dum tamen ista localia remedia administrant,regimen aeris,cibi, & potus ac reliquarum rerum necessariarum instituunt:Custodiunt enim eos ab aere frigido,& ut in lecto quiescant iubent,& abstinent a carnibus, & uino:uinum enim nocet neruis per se ut dixit Mesue, igitur exhibent panatellam cum saccharo, & aquam pro potu decoctionis coriandrorum una cum iuleb rosaceo,usque ad septimam,& etiã quartam decimam:& in processu dant panatellam ex iure parui pulli:quod si uenter non sponte fluxerit imponunt clysteres communes.Quod si febris superuenerit, ut contingit circa puris generationem,dant mane syrupos ad calorem febrilem extinguendum,ut est syrupus de endiuia,rosaceus diluti cum aquis stillaticiis cichoreæ, & betonicæ. Cauendum semper in uulneribus neruorum ab acetosis omnibus:& ideo syrupus acetosus non cõuenit:nam acetum semper nocet neruis sua frigiditate: & quoniã præter febrem alia accidentia neruorum uulneribus sæpe euenire consueuere,ut est uehemens dolor,conuulsio, alienationes, & apostemata, quæ non sine maximo discrimine uitæ eueniunt. Quare si dolor superuenerit succurrendum erit cum illis,quæ dolorem leniunt,ut puta cum oleo rosaceo,si a fluxu calidorum humorum dolor euenerit,quod si ex permistis calidis cum frigidis humoribus solo oleo chamæmelino illiniri membrum potest, cum in suis qualitatibus temperatum sit:conferunt etiam emplastra ex farina hordeacea,fœnu græci,& seminum lini,facta cum sapa & decoctione radicum althææ in dicto oleo chamæmelino, his uel

Ad dolorẽ leniendũ.

Conuulsionis cura.

consimilibus exterius applicatis solent medici dolorem lenire: cũ uero dolor uehementissimus fuerit missio sanguinis ex opposita parte maximum remedium est: sed si conuulsio superuenerit, aut ea signa, quæ futuram conuulsionem minantur apparuerint: & sunt, membri læsi difficilis motus, deglutitio difficilis, & oris apertio, & faciei mutatio, & contractio unà cum saniei retentione, & uulneris exiccatione: tunc primum regimen cibi, & potus subtilietur, & totum corpus euacuare, atque etiam a parte læsa cõ ducit (& hoc si uirtus constat) permissionem sanguinis: deinde cũ illis, quæ cæteros humores permistos educere possunt, ut puta cũ electuario lenitiuo, uel alio consimili secundum humorum abundantiam & diuersitatem: deinde membrum oleo chamæmelino, uel liliorum alborum liniatur, & in ipso ulcere medicamen ex terebinthina, & euphorbio, ac etiam ad tollendam euphorbii acredinem, addẽdum erit aliquid olei rosacei, uel masticini: ut per huiusmodi attractionem medicaminis à uirtute euphorbii factam humiditas retenta expurgetur, & est doctrina Galeni in libello catageni: At si istis factis æger in deteriora accidentia deuenerit uidelicet in manifestam membri uulnerati conuulsionem, & colli tensionem, atque oris, & maxillarum contractionem, ita, ut uel os minime aperire possit, uel cũ maxima difficultate neq; aliquid inter dentes ingredi ualeat, iã conuulsionem factam, & cõfirmatam esse dicerę oportet. Quare omni ingenio studendum erit in uulneris dilatatione quantum fieri potest: quod fieri potest aperiendo, uulnus nouacula, uel alio instrumento incidente dilatando uel tentas grosiores in uulnus imponendo: quæ sint illinitæ dicto medicamine ex euphorbio, & aliis confecto: cauendum tamen est ne substantia euphorbii super denudatum neruum ponatur: quoniam maximum dolorem excitare potest: præterea oleo chamæmelino liliorum alborum una cum pinguedine gallinæ membrum læsum inungatur, & spina dorsi, & partes anchales si uulnus in coxa, uel crure fuerit: quod si in brachio fuerit uulnus dicto medicamine præter brachium nucam & spinam, & inter spatulas, ac sub asselis inungere oportebit: & loca inuncta lana succida munire conuenit: & ubi tale medicamen non contulerit ad fortiora transire necessum est, ut est oleum de costo. Notabis etiam ꝙ mirabilis Auenzoar in talibus plurimum cõmendat inungere dicta loca cum oleo oliuarum simplici: & omnia dicta medicamina

calida

calida administrare operæprecium erit: Neque dimittendæ sunt euacuationes superius dictæ tam per sanguinis missionem, q̃ per medicaminis uentrem soluentis exhibitionem secundum uirtutis tolerantiam,& rei necessitatem:Cum uero ex dictis auxiliis minime æger releuari uidetur,ultimum remedium ab eminentissimis medicis, & præsertim a principe Auicenna positum est ægrum in tinam olei ex seminibus lini,uel oliuarum(quod mihi magis arridet)ponere. At si conuulsionis causa punctura nerui, uel chordæ fuerit,in quibus materia aliqua retenta apostema causauerit: uel etiam quoniam neruus, uel chorda non ex toto incisa fuerit:ita ut ex tali non completa incisione membrum conuellatur,ultimum & certum auxilium (aliis dictis non conferentibus)est abscindere ex toto neruũ,uel chordam, ex doctrina omnium antiquorum,& experientia cum ratione facta: tametsi operatio pẽdens a neruo,uel chorda incisa ex omni parte defecerit,& deperdetur. Etenim ubi casus ex omni parte sine spe fuerit; satius est uitam seruare & unius membri operationem amittere,q̃ certe mori:si igitur ex apostemate uulnerati nerui, quod ut plurimum calidum est ab humore prædominante conuulsio superuenerit. succurrẽdũ est illi primo diuertẽdo ne humores fluant, per uenæ apertionẽ ex opposito latere,si uirtus tolerat,& etiam(si plurimæ superfluitates in corpore fuerint)cum euacuantibus per secessum leuiter,& sine molestia:& ut paulo antea dixi mẽbrũ læsum oleo rosaceo liniatur,& in processu addatur oleũ chamæmelinum: ita ut cum prohibitione cursus humorum sit etiam aliqualis resolutio:sed si istis factis apostema procedit,necessarium erit uti emplastris,in quibus sit uirtus resolutiua,atque doloris lenitiua. Emplastrum uero sit tale. Recipe farinæ orobi,fœnu græci, de seminibus lini,hordei,florum chamæmelæ,meliloti.an. ℥.ii. sapæ quantum sufficit pro emplastro conficiendo: Quod emplastrum postquam factum fuerit impinguetur oleo chamæmelino;si uero apostema suppurationem ostenderit,& ut aiunt Arabes ad exituram tenderet:tunc procedendum erit cum maturantibus, & attrahentibus,qualia sunt emplastrum ex maluis, & radicibus altheæ decoctis una cum fermento, & axungia porcina simul in mortario subactis,& apparente signo saniei intus generatæ, aperiatur apostema sagitella,uel alio instrumento incidente:quo aperto, curetur cura aliorum apostematum suppuratorum uidelicet cum un-

guento digestiuo dicto:deinde cum mundificante, ut puta cum unguento ex terebinthina,& melle rosaceo,& farina orobi facto: cum uero maiori indiget exiccatione post dictum, optimum erit apponere unguentum diapalma mollitum oleo masticino,uel unguentum basilicon,aut illud quod damascenum uocāt,& est modernorum unguentum non multum differens á ratione compositionis unguenti,quod ex uiride æris, & assungia porcina confectum est ab Archigene, de quo Galenus ultimo Methodi medēdi dixit:Carne uero regenerata ultima intentio est ulceris sigillatio, quæ perfici potest unguēto triapharmacone,uel diapalma, uel aliquo alio exiccante æquiualente, post sigillationem si ex nerui pũctura incisione,uel contusione aliquod nocumentum remanserit, puta extensionis membri difficultas,uel impotentia,aut imbecillitas aliqua musculorum,uel neruorum, inũgatur membrum cum oleo de iunipero,uel de lumbricis,atque desuper ponatur emplastrum oxicroceum, uel aliquod aliud cerotarium picaceum, in quo pix naualis ingrediatur uel aliud tale de quibus Galenus in catageni,& in expositione chirurgiæ Hippocratis: & hæc satis tibi de neruorum uulneribus sint. Reliquum est ut ea, quæ ille de uulneribus uentris inferioris me dicente scribebat, ad te scribam.

De uulneribus uentris inferioribus.

DE uentris inferioris uulneribus,quoniam non sine nocumẽto neruorum fiunt si ad internas partes penetrauerint, consentaneum est,ut ad te etiam post dicta,hic in fine scribam eo ferme ordine, quo ille ex meis uerbis scripserat. Etenim anterior pars uentris inferioris constat præter reliquas partes ex octo musculis,qui non carent chordis quæ uniuersum feré uentrem ambiunt:si igitur uulnus factum fuerit in uentre inferiori, neque ad terminum intestinorum penetrauerit, sed musculum tantum ex dictis,uel musculos, aut chordas uulnerauerit, Cura primum erit præmissis uniuersalibus scilicet regimine cibi,& potus,& aliarum rerum necessariarum:atque etiam missione sanguinis si opus ad diuertendum fuerit,& quoque præmissa euacuatione ad educendas communes superfluitates, ut superius in cura uulnerum neruorum scripsi cum terebinthina sola,uel cum aliis dictis permista secundum urgentem necessitatem, & hoc usque ad omniũ

accidentium securitatem: Primò tamen si uulnus magnum fuerit uniatur suitione communi: sanguinis quoque fluxus retineatur pulueribus, uel aliis medicaminibus superius dictis: deinde reliqua unguenta ponantur, quæ & mundificare & perfectam consolidationem facere possint. Quod si uulnera fuerint penetrantia ad uentris concauitatem; quoniam non sine maximo discrimine sunt, ideo omni diligentia studendum erit in eorum curatione, ne comitatur error, etenim mēbra ferè omnia naturalia maxima cum difficultate aut raro (si uulnerata fuerint) sanantur, & ex sententia Hippocratis eorum uulnera ut plurimum læthalia sunt. quapropter diligenter à uulnerato percunctandum est, uel ab astantibus de modo, & instrumento, quo uulneratus fuit: quoniā plurimum conducit ad cognitionē qualitatis uulneris scire, nunquid ab instrumento incidente, uel pungente cum impetu, aut à forti manu, brachiove, & consimilibus factum fuerit. Porrò in uulneribus uentris inferioris plurima membra lædi possunt, ut est uentriculus: iecur: lien: omentum: intestina: mesenterium: rhenes: uasa urinaria: uesica, & in mulieribus uterus & reliquæ partes, diligenter inuestigandum erit, nunquid ex dictis aliquod uulneratum, uel aliquouis modo læsionem susceperit. quod si exempli causa facto uulnere omentum extra prominuerit uidendum est nunquid mutatū sit in substantia, aut in colore, aut aliquā receperit ab exteriori aere alterationē: præsertim si per aliquot tēporis spaciū extra uulnus fuerit: ita ut ab aere frigido exteriori alterata sit propria tēperatura: siquidē si aliqua in eo liuiditas ad uisum, uel frigiditas ex mora extra ad tactum appareat, aut aliquod tale, tūc pars quæ extra uulnus alterata prominet abscindenda est hoc modo: primū ligetur filo propinquius quātū fieri poterit cuti uētris: deinde nouacula abscindatur: atq; post incisionē candenti ferro cauterizetur, & leuiter intromittatur dimissa tamen parte fili, qua omentū ligasti extra uulnus ut possit postquā natura separauerit partē ustā, eā sic alligatā extraducere filum trahendo: ne scilicet intus remanendo corrūpatur: Cur uero post incisionē omēti, uel alterius partis ex dictis ferro ignito cauterizent est ne post incisionem sanguis è uenis incisis fluens in uentre ibi manens putrescat: Etenim in omento plurimæ uenæ, & arteriæ sunt & mesenterium quod plurimas uenas continet. At si nulla fuerit (omenti extra prominentis) alteratio, neque per tempus notabile extra uul-

nus fuerit, securè fine aliqua incisione intromittere illud potes? mox si uulnus paruum est, procedendum erit cum medicaminibus ad uulnera neruorũ superius dictis,ut est terebinthina, & alia sed si uulnus magnum fuerit,& sutura indiguerit,Regula est omnium illustrium medicorum & præsertim Galeni sexto Methodi,& Auicennæ quarta quarti de regimine uulnerum uiscerum ut uulnus suatur sutura ex artificio à scientia anatomiæ tradito, ita ut labia,& partes incisæ & separatæ consolidari & simul uniri posfint.Quare primum scire oportet ex sensata anatomiæ cognitione:ꝙ sub ipsis octo musculis uentris inferioris est membrana,quam peritonæum Græci,Arabes siphac uocant quæ neruea est, & exanguis: & hac ratione si quis inter labia uulneris hanc membranam suendo non acceperit,sed sic incisam dimiserit,cum non posfit ex sui substantia uniri,sequeretur descensus, siue prominentia omenti,uel alicuius intestinorum inter peritonæum, & octo musculos,quos Græci epigastrion uocant,& est affectus molestisfimus: sed si totam membranam inter labia acceperit non permittit labia uulneris perfectè uniri: & ideo sic procedendum ex arte dicta erit,ut rectè operantes faciunt:primum nanque accipiunt in una parte uulneris carnem musculosam simul cum parte peritonæi sibi ex directo propinqua,& suendo perforant acu, & in alia parte opposita istius partis scilicet in alio labio uulneris dimittunt peritonæum & perforant partem musculosam tantum cum cute:sicq͂.primum punctum habent: deinde suendo procedunt,atque in secundo puncto accipiunt cutem,& carnem musculosam sine peritonæo: & hoc ut in illa parte ubi peritonæi pars dimissa fuit,melior partium unio,& consolidatio fieri posfit: sicq͂ secundum uulneris quantitatem hoc modo suendo procedunt; semper peritonæi partem unam inter uulneris labia accipiendo, & aliam dimittendo, ita ut suendo alternatim accipiant peritonæum,neque ambas peritonæi partes simul unquam suunt: sicq͂ procedunt in singulo puncto peritonæi partem unam accipiendo alteram dimittendo usque ad perfectam suitionẽ;uti diximus. in libro anatomiæ.Quæ puncta ut melius partes uniant,& intrinsecorum per mẽbrorũ pondus cõtineant sint propinqua.Deinde facta suitione ponenda erit terebinthina, & ea quæ glutinare modestè uulnus ualeant:ut de uulneribus neruorũ dictum est:studendum semper erit in sedatione doloris,uniuersum uentrem usque

ad ſpinam dorſi oleo roſaceo ungendo,ac etiam in proceſſu cum oleo chamæmelino ſecundum rei indigentiam. Victus ratio ſit ea,quam ſuperius de uulneribus neruorum dixi, & in primis ac antè omnia cuſtodiantur ab aere frigido,& quoniam in huiuſcemodi uulneratis ſæpe fit conſtipatio uentris: ægrè quoque urinā mittunt:ideo ſi hoc ſuperuenerit, uſus clyſteriorum ex decocto maluæ,betonicæ,& chamæmillæ cū ſaccharo rubeo, & olei chamæmelini duabus partibus,& parte una roſacei: ad utranque diſpoſitionem plurimum iuuabit. Quod ſi ex uulnere penetrante hepar uulneratum fuerit, quod uulnus tametſi ex Hippocratis ſententia lethale ſemper ſit,nihilominus aliquando eo non exiſtente magno in iecoris ſubſtantia ſanari poteſt: quemadmodum uidi,& medelam præſtiti Domino Andreæ Lupo natione dalmatæ:qui uulneratus in latere dextero ſub ſpuriis coſtis cum tali regula,& proceſſu.Primum poſt impoſitionem clyſteris communis inciſa fuit uena dexteri brachii:quam iecorariam,ſiue baſilicā uocant,& ſanguis ad libram ferè unam euacuatus fuit. Deinde ſequenti mane dedi ℥.i.floris caſſiæ unà cum drach.i. rhabarbari puluerizati,& ℈.ii.mumiæ una cum drach.i.s.pulueris radicis rubeæ tinctorum:Præterea bis in die exhibiti ſunt ſyrupi ex ſyrupo de cichorea,roſaceo & myrtino diluti cum aquis ſtillaticiis plantaginis,caudæ equinæ & rubeæ tinctorum, curauíq; ut uulnus quanto citius fieri poſſit glutinaretur, deſuper ponendo terebinthinā cum oleo roſaceo completo permiſtam, at circum circa uulnus inungere iuſſi cum unguento ſandalino unà cum oleo roſaceo cōpleto diſſoluto:Abſtinui ipſum à carnibus,& uino: Etenim panatellam ex aqua chalybeata,& ſaccharo addito comedebat: bibebatq; aquam chalybeatam in qua decoquebant hepaticam herbam,& caudam equinam unà cum ſyrupo roſato de roſis ſiccis, & myrtino: atque in ſyrupis ſuperius dictis poſt quartam, uel quintam diem addebam drach.s.rhabarbari, & ℈.i.mumiæ puluerizatæ,quibus ſic factis effectus mirabilis ſecutus eſt, & quidem rationalis.Quoniam dicti ſyrupi, & regimen faciunt ad conſolidationem interiorum uulnerum, & membrorum principalium corroborationem. Hac eadem cura ſanaui Franciſcum Buduenſem nautam uirum iuuenem & diuitem, qui pugione uulneratus in partibus uentris inferioris dextri lateris uulnus ad rhenem penetrauit: ita ut, & urinæ etiam pars aliqua ex uulnere egreſſa ſit;

postquam suppressa,& retenta fuit. Etenim hic optimus uir parum postquam uulneratus fuit, matulam sanguinis plenam minxit:deinde suppressus est.die uero secunda tam ex sanguinis mictu,q̃ ex urinæ plenitudine in uesica decursæ,ita ut aliqua pars ipsius ad uulnus regurgitaret, Fuerũt in hoc uiro accidentia omnia terribilia, & lethalia. Porrò uniuersa pars uentris inferioris ab umbilico infra intumuit cum maximo dolore, atque ex toto urina suppressa fuit:non dormiebat,neque assumptum cibum retinebat,incomposité loquebatur,febriebat febre assidua, & ardentissima usque ad quartamdecimam; cui imprimis præmisso clysteri ex decoctione foliorum maluæ,parietariæ,chamæmillæ,& seminum fœniculi,aperta fuit uena basilica dextri brachii, & ad pondus libræ unius sanguis euacuatus fuit,& plus; secunda die accepit ℥.i.floris casiæ:& drach.i. rhabarbari puluerizati una cum ℥.ii.pulueris rubeæ tinctorum:Etenim cum iuuenis esset,atque fortis omnia sine molestia tolerabat:deinde post subductionem uentris,factæ fuerunt illinitiones sæpissimé ab umbilico infra, usque ad partẽ pectinis cum oleo de scorpionibus, amygdalarum amararum,yrino,de capparibus,& pinguedine gallinæ an. parte æquali:atque apposita fuerunt fomenta ex decoctione foliorum maluæ,parietariæ,saxifragiæ,agrimoniæ radicum,& seminum altheæ,fœniculi,& anisorum in aqua communi; & etiam emplastrum ex farina fœnugræci,anisorum,fœniculi,cimini,apii, imposita in decoctione radicum,& foliorum altheæ, foliorum maluæ, parietariæ.& citrach ad quantitatem omnium:quibus factis cœpit sanguinem coagulatum mingere:desuper dati sunt syrupi de capillis Veneris cum decocto rubeæ tinctorum, citrach, & agrimoniæ,in aquis stillaticiis apii, & pimpinellæ, minxit quantitatem feré incredibilem sanguinis,& urinæ,post quem mictum rhabarbarum in substantia sæpe exhibui cum decoctione, siue apozimate ex decocto caudæ equinæ,& foliorum plantaginis:uictus ratio fuit tenuis:sicq; sanitate restitutus fuit sine aliquo mingendi defectu,aut aliarum operationum.Si uero uulnus penetrans uentriculi substantiam uulnerauerit aut intestinorum,aut uesicæ, uel mesenterii,primum scire debemus quod cum uentriculi uulnera & intestinorum gracilium,& uesicæ sint læthalia, in his satis erit futuram mortem prædicere dicam tamen de iis quæ possunt beneficio medici sanari.Cuidam in uentre inferiori uulnerato cum

aliis medicis interfui: uulnus erat in parte sinistra sub costis mendosis, a quo uulnere prominebat substãtia quædam alba pinguis referta multis uenis; in dubiũ uertebatur apud illos medicos quænam pars ex intrinsecis membris esset illa. Etenim ex illis quidam asserebant omenti partem illam esse: reliqui non audebant illud affirmare: cum neque ex substantia, neque ex uulneris situ illud affirmare possent. Ego uero cum ex situ uulneris, tum ex substantia membri referti uenis manifestisſimis dixi illã esse partem mesenterii, & partem illam, cui alligatur pars intestini coli, qui uentriculum superequitat: quare iussi partem illam extra prominentem filo uinci, et eam nouacula abscindere: atque candenti, siue ignito ferro cauterizare, & intra uulnus ponere: filo tamen extra manente, ut de omento superius diximus, & appositis terebinthina, & aliis medicamentis unà cum uictus regimine, breui sanitati restitutus est. Si uero uulnus fuerit cũ intestini alicuius ex crassioribus incisione & tamen non promineat extra: id cognoscitur, quoniam ex uulnere feces egrediũtur, uel ex impositione enematis, si per uulnus aliquid egrediatur: quicquid sit, si res dubia etiã fuerit, clyster fit sine aliqua mordicatione ut puta cum iure intestinorum, in quo decocta sit cauda equina, centaurea minor, hypericon, chamæmilla radices utriusque consolidæ scilicet maioris, & minoris. Quod uero sit intestinum uulneratum ex loco uulneris facile depræhendi potest: ꝙ si ex superioribus & gracilibus fuerit, cura uana est, & incassum ut duxi ex sententia omnium illustrium medicorum, & præsertim Hippocratis, & ex ipso experimẽto. Igitur uulnus suatur, ut dictum fuit, & exterius apponatur terebinthina, & procuretur, ut quantum citius fieri possit consoli detur: interius uero exhibeantur ea quæ faciunt ad uulneris intrinseci consolidationem, ut sunt decoctiones caudæ equinæ, capillorum ueneris, altheæ, pentaphyllonis, & consolidæ tam maioris, q̃ minoris factæ in aqua stillaticia caudæ equinæ, & si opus fuerit imponere enemata tam ad feces intestinorum educendas, q̃ ad consolidationem uulneris, fit ex decoctione supradicta, in qua addẽdum erit bolus armenius, olibanum, & sarcocolla, & reliquæ quæ faciunt ad citam conglutinationem. Equidem uidi iuuenem pauperem uulneratum in uentre inferiori cum intestini incisione: nam ex uulnere semper aliqua pars fecum egrediebatùr, qui tamen sanatus fuit, non auxilio medicaminum, sed a natura, quo-

niam tonsor quidam satis ignarus medelam sibi præstitit uulneri tantum exteriori. At si uulnus fuerit, & intestinum ex crassioribus uulneratum extra promineat: tale uulnus experti chirurgici suere diuersimode consueuerunt: sed maior eorum pars suunt cum filo serico suitione forti, ut faciunt pellipari suas suentes pelles: quidam etiam cum capitibus formicarum scribunt suitionem, siue potius partium unionem commode fieri posse hoc modo, si intestinum uulneratum extra uulnus prominet, accipiunt formicas magnas, & eas propinant uulneri intestini ut morsu illud appræhendant, & post appræhensiones corpus formicæ à capite abscindunt: sicq; continuando docent capitibus dictarum formicarum uulneri partes unire: deinde intestinum in uentrem iubent intromitti: quæ operatio quantum difficultatis contineat, iudicent, qui & discursu, & frequenti exercitatione in rebus medicinalibus, & in medendis morbis exercitati sunt: sed his dimissis uelut fabulosis, quoniam non semper has uiuentes formicas in promptu habemus. Ideo ego usus sum alio ingenio, quod in mea Anatomia distinctissimè scripsi: accipio quidem membranam ex pelle hædina, & forfice partem subtilem in modum fili abscindo: ita ut foramen oblõgum acus ingredi possit: quam pellem sic in modum fili incisam madefacio: sicq; uulnus suendo cum ea loco fili, intestini cõiunctionem facere iubeo, & hoc est ingenium nouum non ab antiquis descriptum, facta suitione intestinum intus intromittatur, prius tamen benè lotum cum uino calido, in quo decocta sit cauda equina, post quam intromissionem, uulnus exterius suatur sutura superius dicta cum pulueribus suturam conseruantibus: deinde applicentur penicilla, siue lychinia infusa in terebinthina ut superius dictum est de curatione uulneris uentris cum incisione musculorum tantum sine penetratione deinde exterius circum circa ungatur oleo rosaceo completo, & in fine addendo oleum masticinum ungatur: supponantur etiam enemata inuiscantia seu glutinantia superius descripta, & omni alio ingenio utatur; quod citius possit consolidationem partium facere, ad quã faciendam quidam utuntur enemate ex decoctione centaureæ, & caudæ equinæ in uino rubro stiptico: quod medicamentum summopere laudo præsertim in fine. uictus ratio in talibus sit tenuis, habens uim inuiscandi, & exiccandi: ut puta primis illis diebus à carnibus, & à uino abstinendo; cibus sit panatella in aqua chalybeata,

lybeata,& potus sit aqua caudæ equinæ cum syrupo myrtino: deinde in processu in dicta aqua chalybeata bulliant capita, uel pedes uituli, aut hædi, in quo iure fiat panatella, seu iusculum ex farina amiti: aut in eo fiant fercula ex farre, uel cōtundatur ouū. Transacta quartadecima, si nulla fuerit febris, aut in uulnere inflammatio, detur uinum pauciferum rubeum dilutum cum aqua chalybeata, uel aqua stillaticia caudæ equinæ. caueant a frigore & in lectulo quiescant. Hæc satis sint Doctissime, ac mihi amicissime Pasine, quæ de diuersis uulneribus, breuius q̃ potui pro temporis angustia ex assiduis, ut scis, negotiis ad te in præsentia scripsi: quæ si tuis assiduis studiis addideris, plurimum splendoris, & adiumenti tibi speculanti erunt, cum sensuum cogitationes uera fundamenta in obscuris rebus sint. Vale. Venetiis, M D L V. Mense Decembri.

CONSILIVM DE DOLORE CAPITIS AD Dominum presbyterum Vincentium Maurum.

EPIST. XII.



Euerendus Pater Dominus presbyter Vincentius, ut a Doctissimo uiro mihi scriptum fuit de quodam diuturno capitis dolore, ipsum in anteriori capitis parte quam bregma Græci, Latini uero synciput uocant, affligente conqueritur, qui dolor (ut mihi relatum fuit) acutam ægritudinē subsecutus fuit: neque dolor iste ipsum assidue, & uniformiter molestat; sed quandoque magis, & quandoque minus, nec (ut coniicere potui) pungitiuus, aut quiuis alius ex causis calidis dependens est, cum neq; adsit caliditas aliqua, uel mordicatio hoc nobis attestans, sed est quædam potius grauitas, quæ grauitas ex crassitie, & materiei multitudine prouenit. neque alia materia q̃ frigida, sumpto iudicio a doloris specie, esse potest. & cum materia frigida in duplici sit differentia, altera scilicet melancholica & altera phlegmatica, necessario dicam hoc a materiei phlegmaticæ prædominio prouenire, cum admistione tamen aliorum humorum, ipsam ad caput deducentium, & dolorem augentium, non enim a calidis causis effectus aliquis diuturnus ullo pacto prouenire potest, nisi in

frigidas conuertatur. Neque dolorem ipsum per consensum (ut aiunt) adesse solum, credendum est, cum, stante doloris diuturnitate, morbi, qui per communitatem affligunt processu temporis per se & per essentiam affligere sine controuersia soleant; neque aliter dici (meo quidem iudicio) potest, q̃ dolorem, qui à membrorum inferiorum communitate primo inualuit, nunc ex membri tum recipientis debilitate, tum ex diuturna antecedentis causæ actione essentialiter affligere, & molestare: fouetur tamen ab inferioribus membris, ut ex doloris modò intermissione, modò augmento facile deprædhendi potest. neque uerò huiusce doloris materialem causam adesse solum credendum est, cum etiam (ut Aristotelis est sententia) materia sua qualitate agendo, & passum mutando membrum alteret, & temperamentum mutet. His paucis de causis, & morbi essentia a nobis prælibatis; cum omnis ex medicorum principiis morborum curatio ex contrariis procedat, si morbi essentiam & eius causas iam inuentas habemus, his contraria inuenire facillimum erit. In sanitatis autem regimine, & ægritudinum curatione, ætatem, anni tempus, & alias res non naturales considerare multum confert; quibus consideratis reuerenda Dominatio tua in sex (ut aiunt Medici) non naturalibus rebus, sic se habebit. Et in primis ab aere frigido & nimis humido, caueat, fugiat nebulosum, caliginosum, pluuiosum, atque nocturnum. Et in hyeme sit ignis in thalamo assiduè accensus; caputq́ ita muniatur, ut neque a uentis, neque ab externo aere facile lædi possit; & reliquæ etiam corporis partes pellibus, & idoneis ad frigus propellendum uestimentis cooperiantur. A potu præterea, & dulcium, multarumq́ humidarum rerum comestione abstinendum erit, ut sunt carnes agnorum iuuenum, suum, anserum, & reliquarum eodem cursu currẽtium, ut animalium pedes, & caput, intestinaq́, quæ omnia minime tibi proficere possunt, sed maximum potius tibi detrimentum erunt. Ab his qui in aquis dulcibus, atque paludosis degunt piscibus abstinendum etiam erit, ut his, quos in uulgari sermone, Tinchas, Rainas, & anguillas appellãt. Ex marinis similiter piscibus nõnulli, ut cephali, sepiæ, & testacei, hi.n. perniciosi existimãtur. Lacticinia omnia mala existimantur, fructus frigidi & humiditatis pleni non sunt boni, ut poma, cerasiæ & chrysomala. Caules omnes tam uirides, q̃ albæ inter olera sunt omnino malæ. Ex leguminibus præterea dimittendi sunt fa-

seoli,fabæ,cicercula,& pisa; ex ferculis autem omnia illa quæ ex subacta farina conficiuntur, & ut unico omnia uerbo perstringam,uiscosa omnia,uentosa,tenacia, putrescibilia, & quæ duræ sunt digestionis sunt dimittenda,atque fugienda.

Sit igitur in primis panis ex optimo tritico bene fermentatus, mediocriter salitus,atque decoctus,qui postquam decoctus fuerit per integrũ diem saltem quieuerit. Vinum non sit recens,nõ dulce,neque acre,sed inter dulce & acre medium si fieri potest, boni saporis,atque odoris,& medii coloris:& inter uinosum,& aquosum mediocre. Carnes uitulinæ,hædinæ, castratorum, & iuuenis bouis,sunt bonæ. Bonæ sunt præterea gallinæ,capi,pulli gallinacei,perdices,fasciani,turdi,merulæ,aues nemorales, quæ uisco capiuntur,& omnes quæ ex bonis seminibus nutriuntur, in aquis, & paludibus nullo pacto degentes. Boni sunt etiam lepores iuuenes,cuniculi,& consimiles,quorum carnes tam assæ,q̃ elixæ comedantur,caro tamen assa difficilioris est digestionis. Fercula sint ex farre in brodio dictarum carnium cocta, aut cum amygdalarum succo præparata; aut ex pane loto,aut panatella, uel in brodio cocta,uel cum amygdalarum succo similiter præparata, uel sit ex ouo in brodio dictarum carnium cõtuso;quod genus ferculi brodetum uernacula lingua appellant. Spinacia quãdoq;, & borago, buglossaq; pro ferculis sunt bona. Sapores ex petroselino, amygdalis,& parua zingiberis quantitate,cum cinnamomo, & garyophyllis,uel ex amygdalis, & saccharo confecti, cum dictis carnibus comedi poterunt. Sapor etiam cotoneorum, cum aromatibus in hoc casu non est negligendus. Potes etiam salatucium ex capparibus,uel boragine, buglossa, uel melissa cum aceto passulato præparatum comedere. Lactuca uero & cætera, quæ frigida sunt dimittenda,quoniam mala existimatur, pisces raro sunt comedendi,sed si comedantur, sint squammosi,in aquis bonis, atque claris degentes,& assi potius q̃ elixi,quod si elixos comedere lubet,sint cum aromatibus præparati,ut auratæ,barbones,quos trigulas Latini uocant. Laudantur quoque scorpiones, menæ sardæ &, eiusdem generis,ut sunt arbores, quos fragolinos Latini appellant. qui uero in aquis dulcibus degunt,& comedi possunt, sunt lucii, trotæ,temoli, reliqui sane nõ sunt boni, neque camari,aut cancri. Ostrea aliquando comedi potest,& si ratione cibi non sit bona,tamen quoniam teste Auicenna post cibum comesta stomachum

roborat,& melioris in illis,qui carnes non bene digerere possunt, digestionis est in causa,ideo eam aliquando (ut dixi) comedere poteris. sunt etiam alii pisces, siue piscium partes, quae in hoc casu omnino non sunt spernendae, ut ouatarica, quae ex cephalis abstracta sale condita uenduntur, & cauiarum quod idem ferè est, nisi quoniam hoc ex sal.tis magnorum piscium ouis confici solet, & haec ante cibum comedantur, quoniam stomachum roborandi uim habent. Oua praeterea gallinacea(ut aiunt)sorbilia in primis sunt bona, deinde quae in aqua decocta, cum agresto, cinnamomo, uel alio pacto praeparantur, non tamen ad duritiem usque sint cocta,sed sint tremula, & agresto, & aqua rosacea cum parua sacchari,& cinnamomi portione semper praeparata. Post cibum uel secunda(ut aiunt)mensa,pro sigillo stomachi comedantur fistici, pineae, amygdalae, uel panes dulciarii, & reliqua ex supradictis rebus confecta,uel cydonia assa, saccharo,cinnamomo,anisis,& consimilibus aspersa, uel si magis lubet coriandrum conditum post cibum comedatur, quoniam stomachum,& caput confortat,caseus dimittatur à cibo, quod si aliquando eum comedendi insurgat desiderium, sit salitus, ut facilius digeratur. Posset quandoque Dominatio tua in mane ante cibum uti radice zinziberis conditi,quoniam stomachum confortat,& ipsum moderatè calefaciendo iuuat,ut superfluitates frigidas melius digerere posfit. Ordo uero ciborum ab omnibus medicis summopere laudatur,quare cibi qui facilius,quam hi qui difficilius digeruntur praecedere debent,ut puta si plures in una mensa carnes apponantur haedina.s.& uitulina, primò comedatur haedina, deinde uitulina. & quoniam quae assa est caro diutius quam elixa in stomacho manet,ideo & ea etiam prior comedi debet. & idem in reliquis cibariis ordo seruandus erit, ut quae sorbilia sunt, crassa, & dura praecedant. ciborum tamen diuersitatem dimittere satius erit,quoniam cum diuersarum sint complexionum, inter se pugnant,& digestionem corrumpunt. Horam etiam secundum diuersa anni tempora cibum assumendi obseruare necesse erit. prandium tamen sit post tertiarum horam, neque prius comedere oportet,quam insurgat appetitus.Inter prandium & coenam sit interpositum saltem octo horarum spacium. sit etiam coena breuior prandio, & in hoc quorundam uerbis male sentientium non est credendum,immo aliquando,aestatis tempore praesertim, coenam

dimittere satius erit, quoniam quando calor non est fortis minus comedere oportet, & præsertim ex his quæ duræ sunt digestionis. Et quoniam repletio in quocunque tempore nocet, ideo parce comedes. potus uero fit secundum cibi quantitatem, neque acibo sed in cibo, bibere conuenit, & quoniam maluaticum stomachum roborat, ideo si ex eo aliquam ante cibum portiunculam assumeret mihi magnopere placeret. neque famem tolerare prodest, quoniam ut dicebat Auicenna famem tolerare stomachum putridis humoribus implet. Ventrem etiam quotidie exonerare operæprecium est, ut cibi superfluitates euacuentur, & si id sponte fieri non potest, ope clysterii, uel suppositorii fiat, aut sumatur pilula de tribus cum rhabarbaro, in mane per quatuor ante prandium horas; quoniam optima erit tum ratione materiei peccãtis, tum ratione stomachi, & capitis, uel pilulas, & dolori & uentris subductioni magis idoneas hoc pacto componere possumus.

Recipe pilulæ Arabicarum } ana.ʒ.s.
De tribus cum rhabarbaro }

Fiant pilulæ tres, & aurentur, & per quatuor, uel quinque ante prandium horas, & semel in hebdomada sumantur, quoniam in dolore capitis antiquo, & à materia frigida diuersa proueniente, sunt expertæ; & sic duo commoda assequeris, uentris. s. beneficium, & doloris alleuiationem, quod si ista pilularum quantitas ad uentrem subducendum non sufficiat: potes augere dosim, & utrarũque. s. duos scrupulos assumere ut fieri possint quinque pilulæ. Laudauerunt antiqui uomitum semel in hebdomada ciendum, ut humor stomachi euacuetur, si quis aliquam ægritudinem causare possit. Laudo & ego ipsum, si citra molestiam fieri potest, quoniam eum a multis ægritudinibus præseruare nullibi dubium esse debet. Quantum uerò ab omnibus medicis exercitium laudetur, superfluum est scribere, duo tamen inter cætera esse, quæ & sanitatem conseruant, & ægritudines parant te ignorare nolo, cibus uidelicet, & potus moderatus, uel immoderatus, & corporeus labor similiter: quare (ut Galenus in libro de paruæ pilæ ludo docuit) leui exercitio totum corpus exerceas. Et in primis in summo mane indutis uestibus, superfluitatibus communibus expurgatis, lotisq; manibus, & facie, pectinetur caput cum aliquali leui frictione, pecten uersus posteriores partes trahendo: deinde ambulare parumper prodest, ut, antequam sit hora prandii

totum corpus exerceatur. a nimio tamen exercitio, quoniam calorem innatum resoluit, & corpus supercalefacit abstinendum erit, in omnibus tamen attendendum est consuetudini. Quies semper nocet, quoniam (ut dicit Auicenna) dimissio exercitii corporis uires debilitat. nam sicut calor ex motu excitatur sic ex quiete fit segnities, & spiritus infrigidatio quod si (ut aliquando contingit) corpus ex nimia deambulatione, aut alio labore inflammetur, aut laxitudo superuenerit, quiescere statim (dixit Hippocrates) remedium est. Et quoniam diximus non tantum materialem causam, sed etiam immaterialem dolorem causare, ideo bonum erit semel in hebdomada aut bis caput lixiuio in quo infrascripta bullierint lauare. Recipe florum meliloti, chamæmeli, maluæ betonicæ, ana. manip. i. quoniam materiam resolutioni parabunt, & qualitati contrariæ resistent. Somnus, & uigilia, non parui sunt momenti, & ideo temperatus somnus multum confert, qui non sit ultra octo horas pertractus, neque citra sex cōciliatus: sitq; post duas saltim a cœna horas: neque sit diurnus, & meridianus, quoniam uterque capiti nocet, & materias frigidas, & catharrales multiplicat. Nimia etiam uigilia nocet, quoniam uirtutes resoluit, & superfluitates multiplicat. incipiasq; dormire supra latus dextrum, deinde uolue te super sinistrum, super quod diutius dormire q̄ supra dextrum medici laudant. præterea dormire conuenit, secundum temporis indigentiam coopertus. De coitu uero nil dicam q̄ id quod dicit Galenus tertio artis medicinalis, ubi dicit Venereorum iuxta Epicuri sententiam nullus est usus salubris, qui uero eo assueti sunt eius dimissio his nocet, nocetq; insuetis si eo assuescant. Animi passiones dicebat Galenus ibidem cum sint malæ, mutāt corpus à naturali dispositione: quare fugiendæ sunt iræ, rixæ, cogitationes malæ, planctus, & similia. Confert lætari, & bene esse cum filiis hominum, & de rebus iucundis sermonem habere, iucundis ludis ludere: cantilenas audire, & hymnos, sonos, & melodias, & talia quæ animam lætificant. Et quoniam secundum temporum mutationem, ex Hippocratis sententia, fiunt alterationes, ideo bonum erit bis in anno corpus ab aliquibus superfluitatibus crassis euacuare, in uere uidelicet, & Autumni principio, ut puta in fine Aprilis, & Septembris. quæ euacuatio fit talis, quibusdam in primis syrupis, materiæ crassæ digestiuis, & caput confortantibus acceptis, huius descriptionis.

Recipe syrupi rosati, melini, de stœchade, de fumoterræ, an. ℥. s. aquarũ betonicæ, buglossæ, ana. ℥. i. s. misce & sumatur in aurora calidus, & deinde dormiat, & transactis quatuor horis prandium sumat. & sic procedat per quatuor, uel quinque dies; postea hanc euacuatiuam medicinam assumat. Recipe diacatholiconis ℥. i. electuarii de dactylis agarici præparati, an. ʒ. ii. oxymellis simplicis ℥. i. aquarũ betonicæ, buglossæ, an. q. s. misce, & fiat potio parua in aurora sumenda, & hora prandii sit post quinq; horas. q̃ si dolor aliquando magis infestus fuerit, creueritq; uentrem in aliis temporibus eo pacto quo diximus superius purgare utilissimũ erit. Quod si Reuerenda dominatio tua aliquando, præter dictas euacuationes bis in anno faciendas, semel in hebdomada, uel bis in mense, uoluerit sumere aliquas pilulas euacuantes materiam, tam in stomacho congestam, q̃ in capite per euaporationem continuam existentem, optimum erit auxilium assumptio infrascriptarum pilularum. Recipe pilul. masticin. alefanginarum, aggregatiuarum, an. ℈. i. fiant pilulæ tres, & sumantur per sex horas post cœnam, & postea ad libitum dormiat. Hæc paucula q̃ plurimis ægrorum uisitationibus impeditus, scribere suffurato tempore uolui, ut meæ in te obseruantiæ, de his quæ a me literis petebas te certiorem redderem. Vale Reuerende Domine, meq; (ut facis) ama. Deumq; ueræ salutis largitorem, ut me una tecum incolumem seruare dignetur, tibi molestum non fuerit rogare. Vale. M D X L I I. die x. Augusti.

AD DOMINVM CHRISTOPHORVM VAlabio ciuem Brixiensem de apostemate duro in maxilla dextera.

EPIST. XIII.



IDI cum esses Venetiis uir nobilissime maxillam tuam dexteram tumẽtem tumore admodum duro, qui (ut aiebas) omni dolore carebat, atque etiam omni alia præter naturam excedente qualitate tam in primis, q̃ in secundis, ut aiunt medici qualitatibus, uidelicet caliditate, frigiditate, & reliquis: similiter in colore, & reliquis. Qui tumor in primis uoluntarium motum il

lius maxillæ impedit:ita ut neque aperire eã,neque probè mandere posſis. Quare petebas ut per literas tibi ea auxilia, quæ tumorem diſſoluere,& operationem maxillæ naturalem, & uſum reddere poſſint mitterent. ſed quoniam ut aiebat Galenus a morbi eſſentia ratio curandi ſumitur,quod fit per remotionem cauſæ, uel cauſarũ,ſi plures ſint cauſæ.Primò quis morbus ſit iſte,& eius cauſas deinceps eius rationem curãdi ſcribam: qui quoniã tumor eſt præter naturam,qui cauſa ſenſui ſeſe manifeſtè oſtendit, apoſtema à Græcis dicitur:& tametſi plurimi ſint alii tumores, qui apoſtemata non ſunt,ut ſunt,inguinum rupturæ, & umbilici eminentia,gulæq́;inflatio,& aliorum locorum, ex anhelitus uel flatus retentione:non propterea de hoc ambigendum eſt: cum in iſto tria illa genera morborum ſint,uidelicet uitiata temperies, uitiata compoſitio, atque unitatis ſolutio,quæ neceſſario ad generationem omnium apoſtematum ueniunt: Etenim et ſi in dictis aliis tumoribus,continui ſolutio,& mala compoſitio ſit: non propterea permanent aſsiduè: neq; malã tẽperiẽ ſemper ſibi aſſociãt, quod ſi aliquãdo aſſociant apoſtemata dicuntur,nõ.n. per unam, uel duas tumoris cauſas apoſtemata fiunt, ſed quãdo iã dicta tria genera ægritudinum ſimul cõponuntur. Sed his prætermiſsis diſtinguam ad clariorem doctrinam apoſtemata ipſa quæ ſecundũ materiæ diuerſitatem,ſunt ſex genere,uidelicet ſanguineum,cholericum,& hæc duo calida ſunt. Reliqua quatuor genera ſunt phlegmaticum,melancholicum,aquoſum, & uentoſum quæ frigida ſunt,& ne diutius q̃ par ſit in enumerandis ſignis aliorum apoſtematum immorer, cũ in iſto tuo calida ſigna minime ſint, calidum apoſtema nominari non poteſt.Erit igitur ex genere frigidorum:quod cum non ſit nec aquoſum, nec uentoſum, relinquitur ut ſit,aut phlegmaticum,aut melancholicum: ſed melancholicum non eſt:quoniam cancer eſſet, quod fit ex materia cholerica peraduſtionem in melancholiam conuerſa: uel cum qua eſt materia cholerica aduſta:notæ cuius ſunt,durities lapidea cum loci liuiditate,dolor,& aliquando pulſatio in loco, & uenæ, tumentes circum apparentes: quæ quidem accidẽtia cum nullo modo in hoc tumore duro appareant cancer minime dici poteſt, & cum non ſit cancer neque id,quod ſcyrrhum purum medici uocant:quoniam purus ſcyrrhus colorem liuentem,& fuſcum præter duritiem & tenſionem, habet: Relinquitur igitur ut ſit ſcyr-

rhus

rhus non purus,sed non ille qui generari consueuit sæpissime ex quatuor humoribus cum prædominio melancholiæ, qui tanto deterior dicitur,quanto cum maiori sensu,& dolore fuerit: atque etiam coloris ad plumbeitatem tendentis; sed erit ille qui fit ex materia phlegmatica,à,qua resolutæ sunt partes subtiles, crassa re manente:cui neque dolor,neque sensus aliquis inest, neque coloris mutatio, uel aliqua alia qualitas mutata sensibiliter. Quod cum notæ omnes sint ultimæ duriciei,quæ in maxilla tuæ nobilitatis genita est, dico duritiem hanc nominari debere scyrrhum non purum ex humore ut dictum est phlegmatico,à quo resolutæ sunt partes subtiles,cum sit sine sensu,dolore, & tensione: neque aliqua alia qualitas in ipso appareat præter duriciem,quæ nõ plurima est: quam materiam phlegmaticam non ita exquisitam esse dico,quin & aliorum humorum aliqua parua potio commista sit: quoniam raro dantur apostemata ex omni parte syncera, & etiam humores ex sententia omnium medicorum:tametsi Galenus secundo de Crisi dixerit posse fieri apostema ex syncero, & simplici aliquo humore,sed cum in hoc nõ sint notæ simplicis & purissimi phlegmatis;sed habet ut dixi aliquid aliorum humorum permistum,in ea tamen parua quantitate, ut naturam simplicis phlegmatis non mutet. Etenim si humor faciens hunc tumorem esset phlegma syncerum,procul omni dubio in primis locus albior esset partibus uicinis,& esset in loco stupor.Nec sine apparenti ratione quis dubitari poterit,& quærere,an hic tumor dici possit Nodus,uel scrophula,aut fugillæ:cum dicti tumores à materia phlegmatica fieri consueuere; Et quoniam omnes dicti tumores habent cystim,seu uesicam humorem detinentem, & hæc durities ex signis minime habet uesicam humorem detinentem, ideo ex genere illorum non est.Et hæc satis tibi de esse dicti apostematis in præsentia sint. Et deinceps causas effectrices scribam, quæ uel exteriores,quas primitiuas dicunt,uel interiores,quas antecedentes nominant, cum iam de coniuncta abunde pro ut res postulabat suprascripsi.Et cum nobilitas tua mihi enarrauit hunc tumorem subortum fuisse ex lõga quadam equitatione iam sunt duo anni sub radiis solaribus;ex qua mota fuit materia phlegmatica frigida in capite congesta: sicq; sensim descendens causauit hũc tumorem;& quamuis ut plurimum in capite materia phlegmatica aquosa exuperet, nihilominus cum nobilitas tua habeat

caput satis calidum,& siccum;& ætas sit iuuentutis,facile fuit, ut materia fluida a' calore exiccari potuisset,crassa remanente.his igitur de esse & causis tumoris prælibatis. De morbi tempore aliquid dicendum est,ut recta cura per id tumor curari possit. Sunt itaque in uniuersum morbi tempora quatuor, uidelicet principium,augmentum,status,& declinatio: dico q hoc apostema est in principio status,seu uigoris : quoniam ut audio nobilitatem tuam dicentem annus est q nec auctus tumor est ; neque aliquod aliud accidens superuenit,sed in eadem mansit dispositione. Ex quo possum ego optimam salutem sperare, præsertim cum hac ætate iuuentutis,& in hoc tempore anni scilicet principio ueris, si recta cura,& diligentia adhibita fuerit:dico hoc quoniam sæpe apostemata benigna ex malo regimine ad cancros mutantur: quanto magis si hoc non bene tractetur posset ad aliqualem malitiam permutari,cum sit de genere illorum qui ad maligna conuertuntur. Et ut canonice procedamus ad eius curam primum instrumentum erit regimen in sex rebus necessariis, quas medici non naturales uocant per contrarium tamen tam causæ antecedentis,q̃ coniunctæ:quoniam de primitiua nihil cogitandum est; igitur in primis cauendũ est ab aere & frigido,& humido,ut sunt pluuiæ,nebulæ,siue caligo, & aer aliquo modo alteratus,uerbi gratia,a palude aliqua,quoniam multiplicat phlegma, & caput implet,& materiam currere facit : nocet etiam aer calidus nimis, ut est mora in sole, & mansio in loco clauso, ubi ignis magnus accensus sit:quoniam eliquat humiditates capitis.sit ergo aer temperatus non multum calidus,nec frigidus; sed potius ad aliquam siccitatem declinans.Cibi etiam sint ad siccum declinantes,& panis primo sit bene decoctus,bene fermentatus,& salitus:neq; ex toto ab omni furfure mundatus,similiter carnes sint boni nutrimenti,& paucarum superfluitatum ut sunt carnes uolatilium nemoralium uidelicet perdicis,turdi,merulæ, pulli gallinarum , & capones iuuenes non pingues,sunt etiam optimæ carnes hædinæ, uitulinæ etiam : sed porci, & agni non sunt bonæ : quoniam nimium humidæ sunt. dimittantur igitur omnes carnes nimium humidæ,& nimium etiam siccæ,ut sunt carnes bouinæ ueteres,& ceruorum, & aliorum animalium syluestrium : quoniam plurimas generant superfluitates melancholicas, & etiam sanguinem melancholicum generant ; caseus malus est, & lacticinia omnia,

ideo non sunt comedenda; oua sorbilia sunt bona uel contusa in brodio bonarum carnium, uel in aqua cum pauco saccharo, & cinnamomo. pisces omnes dimittantur, humidi enim sunt: fercula sint ex farre facta, aut ex ouis ut supra dictum est contusis, uel panatella: uel panis imbutus in brodio carnis: borago, buglossa, lupuli, melissa foeniculus sunt boni: quoniam optimum generant sanguinem, & ut summatim dicam abstinendum est ut ab omnibus, & frigidis, & nimium humidis cibis. Vinum sit boni odoris, & saporis, non dulce, nec uinosum, nec etiam acidum, sed mediocre, & album, quod si lymphetur aliqua de causa, a qua sit cocta cum radice foeniculi: neque bibendum est post cibum: sed inter comedendum parum, & saepe, ut debita fiat admistio cibi, & potus, & ne natet uinum in stomacho, & ad caput uaporet. praeterea coena sit minor prandio, neque tam in coena, q̃ in prandio ad saturitatem comedere oportet, ne multiplicentur materiae indigestae, & augeatur causa morbi antecedens, dandum tamen est aliquid cõsuetudini. Et quoniã abstinentia totum corpus aequaliter purgat: ideo semper est bonum parcè comedere, & etiam bibere: praeterea sit quotidiana uentris expurgatio, & aliarum superfluitatum: quod si uenter non est obediens utere clysteri, aut aliquibus pilulis mouentibus per secessum, & habentibus respectum ad euacuandum materiam crassam à capite, ut sunt pilulae de agarico Mesuae, uel si fortioribus indiguerit, utatur pilulis foetidis uel cochiis interponendo tamen quatuor aut quinque dies, secundum uentris obedientiam, uerbi gratia semel in hebdomada aut bis. Confert etiam exercitium temperatum: quod debet esse in mane ante prandium, & etiã uesperi ante coenam: & sit leuis deambulatio, aut equitatio, & non in sole. Nimium exercitium uirtutem dissoluit, & ideo dimittendum est; coitus quoque cum non sit sine resolutione uirtutis, & labore, quantum fieri potest dimittendus est: etenim infrigidat, & cerebrum debilitat. Attamen cũ materia seminis abũdat si per coitum expellatur, alleuiat corpus, & ut dicebat Galenus quiescit homo, & melius dormit. quare si est assuetus usus eius sit sed non frequens. Dormire praeterea horis consuetis conuenit uidelicet uesperi post coenam per duas horas, & non sit somnus longior septem horarum, neque breuior sex: quoniam somni longi infrigidant, & uigiliae debilitant uirtutem; neque in die dormire oportet, quoniam multiplicat humidi

tates. Postremò salutem futuram sperare ex dictis atque gaudere cum amicis & audire sermones hilare, cantus, & sonos, atque omnem causam mœstitiæ fugere conuenit: quoniam mala animi accidentia mutant corpus ad præter naturalem dispositionem ut dicebat Galenus. Et hæc de regimine cursim dicta satis esse uolui. & ad secundum instrumentum, quod est regimen medicinale transeo. Regimen medicinale ex sententia Principis debet esse proportionale regimini cibi, & potus, & aliarum rerum non naturalium, & ideo in isto casu habet intentionem abscindendi, & remouendi causam: quare cum ægritudo sit materialis cum repletione, & ægritudines materiales non sanantur nisi euacuatione, ideo oportet in primis euacuare, non dimissa intentione exiccationis, & cum euacuatio aliqua sit per missionem sanguinis, & aliqua per euacuationem aliorum humorum, ideo in primis de ipsa sanguinis euacuatione dicam: & cum ex iã dictis materia sit alia a sanguine uidetur non esse conueniens euacuatio per sanguinis missionem. Attamen quoniam sanguinis euacuatio ex sentẽtia tum Auicennæ, tum etiam Galeni est communis omnium humorum euacuatio, ideo ex ista causa conuenienter sanguis potest euacuari. præterea non tantum intendimus euacuationem, sed diuersionem, & minorationem materiæ admistæ cum sanguine, quæ phlematica est, & fouet particularem ægritudinem. Nam massa humoralis admista phlegmati cum ad caput ascẽdit per uenas ad ægritudinis locum, qui debilis est, fouet ægritudinem, quare si minoretur sanguis uirtus poterit melius illum regulare, & corrigere teste Auicenna cap. de phlebotomia. præterea authoritate omnium antiquorum medicorum in quacunque apostemate tametsi sit frigidum, conueniens est phlebotomia, ut patet de cura scyrrhi, & maxime si sanguis qui egreditur sit malus in colore, ꝙ si est boni coloris, nullo modo conuenit euacuare ipsum, suadet etiam me non solum tempus anni, quod est uer, in quo Hippocrates, & Galenus iubẽt aperire uenas, uerum & ætas, & eius complexio, quæ cum subdominio sanguinis est. sed id quod magis suadet est authoritas Galeni dicentis in libello de sectione uenæ, ꝙ phlebotomia non solum a fortissima ægritudine præsenti liberat, uerum etiam & à futura si timemus: sed cum præsens est ægritudo, magna, quæ oris apertionem negat, & timendum est ut dixit Galenus ne scyrrhus deueniat ad materiam can-

crosam,quæ maxima est ægritudo, & sæua : ideo postquam tua dominatio erit domi quietus,accipiet minoratiuum soluens leuiter uentrem,quod sit tale.

Recipe electuarii lenitiui ℥ xii.
de dactylis ʒ.iiii.

Misce,& cum saccharo f. b. & sumatur per quinque horas ante prandium & quiescat per diem post dictum minoratiuum: deinde tertia die aperiat uenam communem dextri brachii, siue nigram dixeris non refert, & extrahatur sanguis ad quantitatem quinque,uel sex unciarum si malus, & niger erit, si uero rubeus, & clarus erit,dimittendus est. Sequenti uero die optimum erit accipere digestiuum,dicente Hippocrate digesta medicari, & mouere non cruda,quod digestiuum sit tale.

Recipe syrupi de fumoterræ ℥.i.
oxymellis compositi ℥.s.
Aquarum betonicæ
fœniculorum } ana ℥.ii.

Misce,& sumatur in mane per quinque horas ante prandium,& hoc per singulos dies usque quo in urinis appareant digestionis signa;deinde iterum minoretur materia isto euacuatiuo benedicto magis forte,& appropriato,dico minoretur:quoniam in materia crassa non tentamus eradicalem euacuationem, sed minorationem quod minoratiuum tale sit.

Recipe electuarii lenitiui ℥.i.
de sebesten ʒ.iii.
agarici præparati ʒ.ii.
oxymellis simplicis ℥.i.
Aquarum fœniculi
betonicæ } ana q.s.

Misce & fiat potio,& sumatur in aurora,quod si dormiueris desuper per horam,erit bonumpropter agaricum qui sua substantia leui: petit superiora:nam somnus ad stomachi fundum descendere facit:sed transacta hora non est dormiendum,prandium sumes per quinque horas post medicinæ assumptionem : sequenti die summo mane bibe brodii cyathum unum cum saccharo & iterum accipe syrupos ad digerendum reliquas partes materiæ : qui syrupi possunt esse secundum superiorem ordinationem,uel secundum istam augendo fortiores syrupos uidelicet.

Recipe syrupi de fumoterræ ℥.s.
oxymellis compositi ℥.i.

Aquarum betonicæ
fœniculi
absinthii } ana ℥.i.

Misce, & sumatur ut supra per aliquos dies in mane, & iterum accipiet aliquod euacuatiuum eiusdem intentionis: & mihi post duas iam dictas euacuationes placerent pilulæ: quoniam magis educunt à capite igitur sint tales.

Recipe pilularum cochiarum
fœtidarum
aggregatiuarum } ana ʒ.s.

Misce & fiant pilulæ quinque, & sumantur in mane per horam ante diem ꝙ si uenter non de facili mouetur, & egeat fortiori medicina addatur dictis pilulis salis gemæ gr.iiii. aut plus quoniam sic fortiores erunt in soluendo, & prandium erit per quinque aut sex horas post ad minus, sicq; oportet procedere per aliquot dies paulatine digerendo, & paulatine euacuando: dum tamen huiusscemodi euacuationes perficiuntur, optimum erit linire locum aliquo linimento mollitiuo sic composito.

Recipe pinguedinis anseris
medullæ crurium cerui
mucilaginis altheæ
armoniaci dissoluti in aceto } ana ℥.i.

Misce & fiat linimentum cum quo pluries in die locum tumentem ungere oportet, nec dimittendæ sunt euacuationes cum iam dicto ordine, tametsi locus sic linietur, sed ut dixi semper oportet in tota ista cura procedere cũ aliquali euacuatione, ut materia cõiuncta facilius possit. postea, per localia medicamina dissolui, quæ localia talia esse debeant. Et est tertium instrumentum, quod necessarium est ad perfectionem curæ per medicamina super locum tumentem apposita. Medicinæ igitur quæ super locum ponere oportet non sint expoliatæ, à iam dicta exiccandi intentione: quanquam sit necessarium mollire antea. Etenim huiusscemodi mollitio fit ut materia coniuncta facilius & resolui, & euacuari possit: quoniam nisi molliatur non potest resolui. Et ideo regula in applicatione medicaminum talis erit: primo pluries in die cum suprascripto linimento locum inungere oportet, deinde ap-

ponere hoc emplastrum desuper ad maiorem mollificationem.

Recipe mucilaginis altheæ
seminis lini
fœnu græci } ana ℥.vi.

Farinæ fœnugræci
seminum lini. } ana q.s.

Misce,& fiat emplastrum,& in fine adde olei sesamini ℥.iii. bene miscendo. quod emplastrum pone super locum: & sic procede per aliquos dies: donec locus & tumor aliqualiter per omnes partes mollis appareat: deinde procede cum resoluentibus, & dimitte mollientia, quæ resolutio sic præparetur.

Recipe hyssopi humidæ
serapini
laudani } ana ℥. s.

Lapidis marchesitæ pluries in aceto extincti, & in subtilissimum puluerem redacti ℥.i. ducantur omnia simul in mortario cum succo rutæ quantum satis sit, ut formam linimenti recipiat, cum quo linimento locus tumescens ungatur, & hoc pluries in die. postea ponatur hoc emplastrum resolutiuum desuper.

Recipe farinæ fabarum
orobi
cimini } ana ℥.iii.

Lixiuii facti ex lignorum cinere ficuum, uel ex sarmentis uitis quantum satis erit, ut fiat emplastrum ad ignem, & in fine cocturæ adde pinguedinis anseris ℥.i.s. ut omnino nõ sit medicamen expoliatum à mollificatione: quod doctè docuit Galenus quartodecimo artis curatiuæ. Et hoc emplastrum unà cum unctione apponatur per aliquos dies ad resoluendum. Sed cum apparet loci exiccatio, remouenda sunt resolutiua, & reuertendum est ad mollificantia. Notare tàmen oportet quòd non debemus nimis resoluere: quoniam maius discrimen est in resolutione, quàm in molliendo, ne locus induretur: & ideo cautè procedendum est. Et quoniam fieri posset quòd medicamen mollitiuum, quod supra descriptum est, non esset tantæ uirtutis, ut mollire hanc duritiem posSit, ideo potest addere in ipso unc.i.s. olei sesamini, & pinguedinis anatis unc.i. & cum ipso locum inungere, uel addendo aliud ingenium, potest uti hoc fomento molliente.

Recipe radicum altheæ incisarum
seminis fœnugræci
lini
sesamini } an.m.ii.
Florum maluæ
meliloti } an.m.iii.

Misce,& bulliant in sufficienti quantitate aquæ altheæ, uel maluæ,in aqua decoctione calida infundatur spongia, & locus sæpe madefiat ante unctionem, postea unge, & pone etiam emplastrum desuper,& procede per aliquot dies ita ut locus mollis factus sit:quo facto amouenda sunt mollientia & procedere oportet cum resoluentibus superius dictis.Quod si linimentum magis resolutiuum facere desideras,fac istud.

Recipe hyssopi ceroti
serapini
galbani
opopanaci } ana ℥.s.

Lapidis marchesitæ multotiens igniti, & in aceto extincti, postea in puluerem redacti ℥.i.
olei liliorum alborum ℥.i.
Succi cucumeris asinini quantum satis erit ad recipiendum formam linimenti & ducantur in mortario usque quo perfecte omnia incorporentur;cum quo locus tumoris ungatur: poteris tamen addere portiunculam aceti ad maiorem penetrationem ipsius linimenti:uel potest uti infrascripto fomento,fomentando ipsum locũ,quod est resolutiuum si maiori indigeret resolutione.

Recipe florum chamomillæ
meliloti
seminum cimini
baccarum lauri
radicum bryoniæ
altheæ. } an.m.ii.

Misce,& bulliant in sufficienti quantitate lixiuii suprascripti uidelicet facti ex cinere lignorum ficuum, uel sarmẽtorum uitis:in quo adde medietatem aceti albi, cum qua decoctione fomentetur locus,infusa scilicet spongia in ipsa calida.Sed quoniam locus est iunctura mandibulæ,in quo & chordæ, & nerui, qui ad musculos faciei procedunt sunt, ideo cauendum est a nimio usu

aceti

aceti:tametsi acetum sit ex maximis resoluentibus, quoniam ut dicebat Galenus xiiii.artis curatiuæ nocet neruis. Attamē in omnibus oportet obseruare mediocritatem, & potius ad mollientia descendere, q̄ ad ea, quæ nimium resoluunt. quod uidetur uoluisse Galenus secundo ad Glauconem. facta igitur fomentatione, ponatur emplastrum resolutiuum, quod superius scripsi. Et si eum uigorare desideras adde partem aceti in ipso: sed esto memor eius quod supra dixi: ne scilicet noceas loco neruoso: sed optimum erit in ipso emplastro addere aliquid medullæ crurium cerui, & mucilaginis altheæ. Et sic procedi usque quo incipiat apparere loci siccitas, & iterum reuertere ad mollificantia cum supra dictis mollitiuis medicaminibus, & resoluendo cum suprascriptis resolutiuis. Et iste est modus procedēdi in isto casu. sed quoniam laudauit Galenus suffumigium factum ex aceto per extinctionem lapidis molendini igniti, uel marchesitæ in ipso pluries: & omnes etiam alii egregii medici post ipsum laudant: ideo notare oportet, hic non posse conuenire hoc suffumigium pluribus de causis, quarum prior est quoniam non potest benè locus recipere huiusmodi suffumigium, ut ad sudorem deueniat, secundum quoniam nocet hoc suffumigium cerebro: tertio quoniam neruis, & chordis infert nocumentum, & ideo non est faciendum, & hæc satis sint dicta de modo resoluendi, & molliendi duritiem: qua resoluta etiam ponatur super locum per aliquos dies hoc cerotum.

Recipe bdellii
laudani
armoniaci
galbani } ana ℥.s.

Terantur in mortario, & pone successiue mucilaginis altheæ, mucilaginis fœnugræci, olei sesamini, olei liliorum alborum, medullæ crurium cerui an. partes æquales cum supradictis gummis in mortario cum pistello ducendo, donec perfectam ceroti formam recipiat. Hoc enim cerotum est mirabile in molliendo, & resoluendo ultimas reliquias, quæ in istis duriciebus remanent, & membrum debile confortat. Et hæc satis dicta sint. Deus autem omnium Creator sit ille, qui salutem corporis, & animæ donare dignetur. Vale. die primo Aprilis, M D XXXIX.

AD DOMINVM IOANNEM DE VLMO Nobilem Brixiensem de tumore in labio & etiam in pede dextero.

EPIST. XIIII.



STENDIT mihi præstantia tua Venetiis corporis loca duo extrinsecus affecta, uidelicet labiũ, & pedem dexterum: quæ loca cum sint sensui manifesta, non egent de sui esse speculatione cum affecta sint: sed posset quis quærere nunquid membrum aliquod sibi consentiat ægrotans, & hic tantum symptoma illius membri ægrotantis sit. Pro cuius dubitationis declaratione liceat mihi sic digredi; Dicebat nanque Galenus primo de locis affectis, ꝙ cognitio intrinsecarum passionum est quoddam medium inter ignorantiam, & certam cognitionem; sed quæ sensibus patent certissimam cognitionem habent. Quare de esse horum tumorum nullus posset medicus dubitare, sed causas antecedentes, & fouentes ignorare posset: cum intrinsecum quoddam sit. Audiui a dominatione tua quod passa fuit quosdam dolores iuncturarum a quibus soluta, successit febris diuturna, & ualida: qua sanata febre hi tumores apparuerunt: qui cum sint aliquantisper duri, & in colore rubei tendentes ad fuscedinem, non potest medicus iudicare, nisi materiam istam admistam esse a prædominio tamen frigidam: cui etiam consentiunt priores ægritudines materiales, dolores uidelicet & febris dicta. Nam de ratione materiei subtilis est, siue putrescat, siue alio modo corpus nostrum infestet, cito terminare aut ad bonum, aut ad malum. materia uero crassa, & frigida cum sit inobediens digestioni, & tardi motus causat ægritudines diuturnas, ut fuerunt illæ priores uniuersales: Et istæ etiam particulares nouissimæ, quas non possum medicè loquendo nisi apostemata appellare, quæ facta fuere uia permutationis ut ita dicam: cum non fuerit tota materia ægritudinum materialium, quæ præcesserunt euacuata àb arte, aut a natura rectificata, uel extra educta, quæ remanserunt reliquiæ uirtute præualente supra materiam morbi, permutatæ sunt ad istas partes extrinsecas, tanquam ad ignobiliores, & debiliores partes corporis; debebat certè natura non ad istas partes transmittere re

&c operãdo, sed cum sit debilis a diuturnitate morbi, fecit ex pos sibilibus, quod melius est, non ualens extra pellere: permutat saltim ad ignobiliora membra, ut est sententia Galeni in q̃ plurimis locis, & sic per paulatinam naturæ missionem congesta fuit materia in membris dictis, & causati fuerunt duo tumores: & cum quã doque possit particula aliqua corporis intumescere, & tamen nõ erit apostema, ut in ruptura inguinis est uidere: quæ loca tument quandoque omento ad locum descendente, uel intestini parte, aut uento, seu spiritu inflante: ideo isti, & similes tumores non dicuntur apostemata. Quoniam ad hoc ut tumor dicatur apostema ex sententia principis tria genera ægritudinum requiruntur causantia unam ægritudinem, ut sunt mala compositio, mala complexio, & solutio continui. Nunquid in istis tumoribus hæc sint uidere bonum est. in primis est tumor manifestus tam in labio, q̃ in pede, qui debitam compositionem tollit: subinde apparet & in qualitatibus uisiuis & tactiuis mutatio, nam rubent loca cum fuscedine tendente ad nigredinem, duriora etiam sunt loca affecta, q̃ pro naturali dispositione requiritur, & cum hoc non sit nisi ex materia mala imbibita in porositatibus membrorum faciente intumescere: Et cum materia mala non seruet propriam complexionem, dicendum est proculdubio mutatam esse complexionem membri ab ipsa: clarum est etiam ibi, & solutionem continui esse, quæ tria cum in unum sint, apostema uocare oportet. Sed cum apostema secundum duplicem sectionem diuidatur in calidum & frigidum ex sentẽtia Principis: scire necessarium est, quænam apostemata sint ista: nunquid calida, aut frigida: quod si quis calida apostemata ista statuere uoluerit, rationale non erit, cum sint secundum duas species sanguinea uidelicet & cholerica: Et sanguinei apostematis signa sunt tumor rubeus subitus eueniens cum aliquali mollitie, & pulsatione, & cum concomitatione febris. Cholerici autem signa sunt rubedo clara tendens ad citrinitatem, & tumor qui est ferè insensibiles, & febris concomitans, rubedo talis est, q̧ si quis apponat digitum euanescit, cito tamen reuertitur: neque ex istis composita dicere quis potest, cum signa sint in compositis ex istis composita: quare applicando oportet ut supra dictum est ista esse ex genere frigidorum: quæ cum sint multarum specierum: ne forte nimia speculatio legentibus tædiosa sit, dimissis aliis ad propriam speciem ipsa destinabo: præsuppo-

sita causa antecedenti superius dicta, quæ fuit reliquiæ materierum priorum ægritudinum, quæ ex multis frigidæ dictæ sunt a' prædominio. Hoc etiam quæ coniuncta est materia attestatur, cum sit dura non rubea rubore sanguinis: sed rubea liuida, quod melancholiæ conditionibus ascribitur non naturalis, quæ est ex sanguine, sed facta uia adustionis ex materia phlegmatica, & cholerica admista, neque propter hoc apostemata melancholica sunt appellanda, cum careant conditionibus talium apostematum, quæ sunt color fuscus, niger, terreus, & obscurus, & ad tactum duricies lapidosa, quæ est signum demonstratiuum cum siccitate, & asperitate, & caret dolore. Non .n. ista sunt huiusmodi ergo &c. sed numeremus, quæ in istis sunt, & sic facilius eorum essentiam cognoscemus, primum est tumor non lapidosus, neque mollis ex toto, sed medio modo se habens inter duriciem ultimam, & molliciem, neque priuatur omnino dolore, & sensu cum rubedine non clara sed fusca, & quoquo pacto liuida, nulla est pulsatio &c. ista sunt materiei admistæ phlegmaticæ, & melancholicæ signa, non melancholiæ fæcalis, sed factæ ex adustione choleræ crassæ cum aliqua admistione sanguinis. Talia igitur apostemata nominentur, his cognitis, ad libitum, cum dixerit Galenus ubique ꝙ cognita ægritudine per essentialia de nominibus fatuum est disputare. Sunt composita (ut dictum est) apostemata: sed diceret quispiam, quorsum tot, & tanta dicta fuere? Respondet Galenus imposibile est curare ægritudinem, nisi cognita prius fuerit, & ex essentia ipsius curæ rationes sumuntur: hoc etiam iuuabit nos in prognosticando futurum exitum: & maxime ista omnia melius perficientur, si naturalem complexionem hominis ægrotantis medicus cognouerit, quæ meo iudicio calida, & sicca est a prædominio, cum subdominio melancholiæ, ut ex præsentibus colligere potui: quæ secundum Galeni regulam secundo Techni, & Auicennæ facile ostendere potest: sed ne nimis sim longus, ut notissima relinquo: Ex dictis ergo habes ægritudinis essentiam per causas, & signa: sed antequam ad curam deueniam, non inutile erit scire, nunquid ægritudo sanabilis sit nec ne, & si sanabilis, nūquid cito sanitati posit restitui, an tempore quodam non dixero longisimo: sed non breui hoc facere medicus poterit: sed cum ex sententia Hippocratis & omnium illustrium medicorum prognosticatio sumatur a uirtute: & uirtus tuæ dominationis sit satis

bona,tum ratione complexionis,tum ratione ætatis, quæ iuuentutis est,& ex sententia Aristoteles ultima particula problematum iuuentus sit plena spei:ideo credendum est omnino applicitis canonice debitis,& necessariis instrumentis, q́ dominatio tua procul dubio sanabitur:nec huic nostro iudicio repugnat essentia ægritudinis sapientis quoquo pacto naturam humorum rebellium digestioni,& curæ,ut est melancholia, cum pro maiori parte humor crassus phlegmaticus peccet: neque terret me ex toto tempus principii huius morbi usque ad hunc diem,cum uer sanissimum ex sententia Hippocratis præsens sit;quare dico q́ sanabitur tua dominatio:sed hoc aliquod tempus postulat. Quomodo hoc perficiendum sit ex his,quæ sequuntur audies. Dicemus q́ res medicationis ex una trium rerum completur, una earum est regimen,& nutrientia.alia medicinarum exhibitio:Tertia est operatio manualis.Hæc sunt uerba Principis docentis modum processus in cura ægritudinum:quæ res cum summe sint necessariæ, ideo uolui huc ipsius uerba adducere: & dearticulabo ipsum secundum indigentiam tuæ dominationis. Quo ad primum regimen debet sumi contrarium ægritudini:quoniam ægritudo medicatur suo contrario, & conseruatur sanitas suo simili, ut dixit idem Auicenna.Et cum dictum sit q́ apostemata composita sunt, a prædominio tamen materia frigida ipsis dominetur,ne confundamus ordinem curæ:dicamus ipsam esse in statu: quoniam principium fuit,cum partes illæ sensibiliter cœperūt intumescere:auctaq; sunt usque ad certum tempus:nunc neque augentur neque minuuntur:et si uisum fuit a quibusdam medicaminibus applicitis dissolui secundum aliquam partem apostema pedis, cum fuerit id parum,& secuta non sit ulterior resolutio, dixerim ego, q́ illæ potius fuerint materiæ non apostematis, sed concomitantes, & alterius generis ex debilitate loci ibi transmissæ, causantes maiorem tumorem in superficie, non tamen attingentes locum ueri apostematis,cum natura exonerata, certe residuum aut resoluisset,aut suppurasset:& cum in statu omnia sint fortiora: ideoaudacter contrarium regimen debet dominatio tua eligere, non debiliter,sed secundum posse,quod contrarium sit,& simile, ut conseruetur etiam naturalis dispositio membri, & hoc respectu naturalis totius temperamenti,& membrorum patientium. Aer igitur in primis fugiendus est frigidus,& humidus,& loca habentia ta-

lem aerem ut sunt loca paludosa uentosa,nebulosa,terrena,humida,ut sunt ualles,& loca umbrosa,non tamen siccitas sit superflua. Habitare conueniens est domi partem uersus orientem positam; Et postquam Sol consumpserit uapores mali aeris, quod est per horam tertiarum aperiantur tunc fenestræ, ut aer talis ingrediatur: quod si tempus ut contingit sæpe pluuiosum sit, aut nebulosum,caliginosum non aperiantur fenestræ,sed accendatur ignis in cubiculo,ut quoquo pacto aer calefiat: & hoc cum paruo, aut magno igne secundum indigentiam temporis:Et quoniam caliditas excedens nocet,ideo tempore æstatis,& maximi caloris excessiui,non est malum refrigerare aerem, cum & compositio ipsorum apostematum hoc etiam postulet. Cibi sint eiusdem uirtutis tendentis ad caliditatem,& siccitatem temperatam,non generantes multas superfluitates,& benè nutrientes, ut panis benè fermentatus, mediocriter salitus,& coctus. Carnes hædinæ sunt laudatissimæ, uitulinæ non multum pingues, & castrati similiter duorum annorum:caponum iuuenum,pullorum paruorum,perdicum, phasianorum,turdorum,& merularum & inter cæteras aues, quæ uisco capiuntur optimæ sunt &c. Malæ sunt carnes porcinæ, agni, & istis similes,ut sunt anserinæ anatis &c. Oua sorbilia sunt bona, & sparsa in iure carnium,frixa,& dura sunt mala: caseus, & omnia lacticinia sunt mala,ut est Butyrum &c.Pisces omnes sunt mali, & ideo sunt dimittendi, quod si aliquando comedantur, sint squammosi,capti in aquis currentibus,ut sunt lucii,& trotæ conditi cum aliquibus aromatibus temperatis ut sunt cinnamomũ, macis,& similibus:Marini meliores sunt, & præsertim qui petrosi sunt,ut est scorpio,siue scarpena,sed melius est assare, quàm bullitione coquere:fercula optima sunt sicut far, & panatella in iure carnium benè cocta,borrago,fœniculus,buglossa,& similia, lupulus laudatur summopere,si loco salatucii,aut ferculi comedatur: placet etiam cappares,& hoc in cœna,sapores si qui sunt comedendi sint facti ex mentha, petroselino,amygdalis, & sacchara cũ pauco cinnamomi, & aquæ rosatæ, uel aliis rebus æquiualentibus, post cibum potest comedere Dominatio tua fisticos, grana pini, amygdalas recentes,passulas,coriandros,& ista omnia siue sint cũ saccharo,siue non parum refert cum non loco cibi sumantur: sed ut aiunt pro stomachi sigillatione:reliqui fructus sunt mali, ut cerasea poma,& crisomala. Vinum sit bonum non magnum, neq;

paruum, non acre, boni odoris, & boni saporis, & medii coloris, & potius tendens ad magnum, q̃ ad pauciferum uel acidum: Et cum causa dictorum omnium sit doctis medicis nota, breuitati studens dimittatur; ꝙ si uinum lymphare oportet, aut cogente cõsuetudine, aut aliquo alio, sit aqua in qua coriandri ebullierint, qui in aceto non fuerint infusi, ut communiter pro febrientibus præparatur. Et potus sit secundum cibi quantitatem, & qualitatem, neque bibat post comestionem, sed inter comedendum. Cœna sit breuior prandio, quoniam multum comedentes in cœna, abundant in multis superfluitatibus dicant in hoc alii, quicquid sibi placet. Neque oportet ad saturitatem semper comedere, sed ut dicebat Galenus cibandus est æger taliter, ut uirtus conseruetur, & non nutriatur morbus. Et cum ægritudo iam dicta sit materialis & de repletione: summopere fugienda est repletio; & mẽsura cibi uera docente Hippocrate: quare omnimodo minuendus est cibus a consuetudine paulatine: quod dico de cibo idem intelligere oportet de potu, & sic euitabitur repletio &c. præterea studendum est in expulsione consuetarum superfluitatum uidelicet stercoris, & urinæ, sputi, & aliarum: quod si hoc natura ex se expurgauerit satis est: sin minus adiuuetur uẽter clysteriis, & suppositoriis, uel cum pharmaco leui benedicto, ut sunt pilulæ masticinæ, quæ possunt sumi bis in hebdomada in mane per quinque horas ante prandium, quando uenter non flueret ex se, & quantitas sit secundum obedientiam corporis, puta, Recipe pilularum masticinarum ʒ.i. fiant pilulæ tres: quod si non mouerint, sit dosis ʒ.i.s. & fiant pilulæ quinque. urinam retinere malum est, & ideo urinet, spuat, & excitetur sputum in mane maxime: præter cætera, quæ conferunt sanis, & ægrotantibus, est: ut spiritus uiuificentur, superfluitates expurgentur teste Auicenna cap. de exercitio: & ideo cum dominatio tua patiatur in pede; & membra, quæ sanare intendimus (dicebat Galenus) egent quiete, non inconuenit dubitare nunquid exercitium sit cõueniens dominationi tuæ, & breuiter respondeo, ꝙ sic; sed non exercitium deambulationis, cũ q̃ plurima sint exercitia: exerciteтur ergo dominatio tua exercitio non deambulationis, sed secundum alia membra dilatando brachia in mane sursum & deorsum, hinc inde ducendo, fricentur manus, & palmæ motu ueloci, tendere arcum summopere confert, pectinare caput pectinatione longa uersus posteriorem par-

tem,quasi scalpendo ipsum,fricetur etiam pannis lineis asperis,ut superfluitates euaporare possint,lauetur lixiuio semel in hebdomada,ludere ludo aliquo domestico sedendo, ut baculum proiiciendo,& iaculum mittendo, ita ut corporeo motu calor excitetur:sunt & q̃ plures alii modi exercitationis, quibus dominatio tua uti poterit,qui sunt noti,quos dimitto,ut est pila lignea ludere:hora cõueniens est ante assumptionem cibi saltim per horam, neque sit ludus superfluus,ita ut sudorem moueat, sed ad sudorem exclusiue(ut dicunt) fricationes quæ locum exercitii tenent laudo per totum corpus præter q̃ in crure, in quo est apostema: & sic non transeat dies sine aliqua specie exercitii:quoniam quies nimia corpus infrigidat,& humectat: Et quoniam coitus non fit sine exercitio resoluente, ideo dimittendus, quoniam infrigidat resoluendo spiritus,qui sunt instrumenta Animæ. Somnus quieti assimilatur,ut dixit Aristoteles de Somno, & uigilia, ideo non sit nimius neque in die,neque immediatè post cibum,sit igitur in nocte,neque sit plus octo horarum, neque minus quinque horarum:cum dicat Hippocrates ꝙ somnus, & uigiliæ si modum excesserunt mala sunt & plurimum nocent:neque uigilare multum oportet,quoniam dissoluit uirtutes omnes:& somnus moderátus præstat corpori robur instaurando spiritus. Accidentia animi mutant corpus ab ea quæ est secundum consistentiam natura & ideo maxime mala: ideo cauendum est a tristitia,ab ira, a cogitationibus malis,& negociosis: Confert audire cantus, sonosq́ suaues, tractare res ridiculas,esse cum amicis caris, ludere cum matronis honestis in tripudiis,& ubi saliunt, fugiendi sunt mœsti, plorantes,& sepulturæ mortuorum,& similia: quoniam tristãt animam, & uirtutem sopitam reddunt,& hæc satis de regimine,& nutrientibus dicta sint:Medicinale regimen sic disponere oportet, cum ægritudo sit materialis,& causam habeat fouentem ipsam:in primis necesse est,ut placuit Galeno remouere unamquamque causam,deinde deuenire ad ipsam ægritudinem, materialem igitur morbum siue de plenitudine dicebat Hippocrates sanari euacuatione:sed admonebat nos medicari digesta,& mouere non cruda, & ista intentio est uera cura, per contrarium igitur digerantur materiæ malæ:quæ sub causa antecedenti stant in membris aliis cum isto syrupo in primis.

Recipe

Recipe syrupi de fumoterræ ʒ.i.
geleniabini saccharini ʒ.s
Aquarum buglossæ, lupulorum, absinthii } ana ʒ.i.

Misce: qui sumatur in aurora calidus, moreturq; per quinque horas antequam comedat : & sic fiat singulo quoque mane per quinque aut sex dies: ita q medicus ex urinis, & aliis cognoscat materiam præparatam euacuationi, quo facto euacuare oportet pharmaco benedicto leui, ut docuit Princeps in materia crassa: quod pharmacum sit tale.

Recipe electuarii lenitiui, diasenæ } ana ʒ.v.
agarici præparati ʒ.i.

Misce, & fiat bolus cum saccharo: q si libentius ipsum biberes, potes cum aquis fumiterræ, & absinthii potionem præparare, mane req; per quinque horas antequam prandium accipiatur, sequenti die utatur regimine pharmacati, uidelicet detur in aurora pro lauatiuo cyathus unus brodii cum pauco saccharo: & iterum accipiat suprascriptos syrupos per aliquos dies, puta sex: ut dictum est supra, & reiteretur idem pharmacum, si modestè prius eduxerit, q si exquisitissime eductum fuerit, detur tantum lenitiuum, & diasenæ dimisso agarico: q si fortè parum eduxerit, addatur ista secūda uice dosis agarici puta drachma semis, uel una ad plus, & in sequenti mane utatur regimine pharmacati dicto, uidelicet, sumat cyathum unum brodii &c. postea procedendum est cum fortiori digestione per aliquos dies, quæ sit talis.

Recipe syrupi de fumoterræ, de epithymo, geleniabini saccharini } ana ʒ.s.

Decoctionis epithymi Mesuæ ʒ.iii. misce, & sumatur calidus in aurora, & comedat per quinque horas post, ut dictum est: & sic continuare oportet per multos dies: deinde redire ad pharmacum, quod habeat eandem uirtutem cum maiori confortatione, quare detur hoc. Recipe rhabarbari electi, agarici optimi an. ʒ. i. schœnanthi gr. iiii. gingiberis ℈.s. oxymellis ʒ.s. decoctionis epithymi Mesuæ ʒ.iii. infundantur per octo horas, & facta diligenti expressione dissoluātur in ipsa electuarii lenitiui diasenæ; an. ʒ v.

& dulcoretur cum geleniabino saccharino, quae potio sumatur in aurora, & accipiat prandium per quinque horas post, sequenti mane accipiat cyathum brodii cum saccharo, ut supra dictum est: quod si iudicio medici adhuc indigeat euacuatione sumantur dicti ultimi syrupi suprascripti cum decoctione epithymi per aliquos dies, & postea suprascriptum pharmacum cum rhabarbaro. Et quoniam praeter euacuationem egemus etiam stomachi, hepatis, splenis, & capitis confortatione: bonum est factis quibusdam euacuationibus sumere rotulam diarhodonis Abbatis, triasandalorum, & aromatici rosati, uel ex speciebus istis componere unam confectionem, uerbi gratia. Recipe specierum triasandalorum, diarhodonis abbatis, aromatici rosati an. ℥. i. sacchari fini. q. s. misce, & fiat confectio in rotulis: de qua sumatur in mane una, uel duae rotulae. Sed cadit dubitatio cum dictum sit, quod materia est crassa a praedominio, nunquid conueniens sit sanguinis euacuatio. Respondeo quod sic; immo dico, quod est necessaria: & rationes sunt plurimae, tum quia dictum fuit, quod etiā aliquid sanguinis erat admistum, quod ostendit rubedo illa fusca in ipsis tumoribus. Praeterea non tantum necessaria est aliqua euacuatio sanguinis ratione materiae coniunctae, sed ratione materiae antecedentis, quando hepar transmittit etiam necessario: quoniam necessaria in quocunque apostemate etiam frigido pro diuersione est sanguinis aliqua missio, ut est uidere in Principe tertia quarti de apostematibus frigidis, ut sunt fugillae, scrophulae, & apostemata dura. Praeterea cum sanguis sit infectus humoribus malis, & natura ex intentione mundificandi ipsum sanguinem transmittat ad ista loca, & melior, & securior sanguinis rectificatio sit phlebotomia. Ideo ego ex istis omnibus ipsam laudo maxime in uere, ut est nunc. Quare dico quod facta prima euacuatione ex euacuationibus superius dictis accipiat per duos, aut tres dies post primam euacuationem syrupum in mane, & tertia, aut quarta die mittatur sanguis, hoc pacto, aperiatur uena si sanguis exierit clarus, rubeus, & bonus claudatur foramen, & non euacuetur, quod si exierit sanguis crassus, niger, & malus extrahatur usque ad sex, uel octo uncias secundum tolerantiam uirtutis: & hoc fiat ex nigra seu communi uena brachii dextri: per duas horas antequam accipiat prandium, & si uidetur malus posset reiterari dicta phlebotomia post decem, aut duodecim dies, ex eadem uena. Et quoniam emissio san-

guinis ex uenis hæmorrhoidibus si sponte appareant hæmorrhoides laudatur summopere in similibus: Et cum hoc etiam rationale sit laudarem ego apertionem illarum uenarum: si illæ uenæ ani quandoque ex se intumescant: & credo ꝙ ista esset ex melioribus euacuationibus in tali casu. Tertio loco dicamus de particularibus medicaminibus, & regulis istis apostematibus conuenie̅tibus, quod nō potest perfici, nisi manuali operatione hoc fiat: Et cum iā dixi, rationibusq; monstraui apostemata talia esse in statu, & in statu conueniat resolutio cum mollificatione: ideo talis sit processus. in primis fiat linimentum hoc modo cum quo labium liniatur. Recipe medullæ crurium cerui, pinguedinis anatis, olei de crysomalis, armoniaci, an. ℥. s. ducantur in mortario, tam diu, donec ad formam linimenti redigantur, cum quo sæpe in die labium inungatur, ꝙ si ex ista illinitione uideretur magis rubere, & inflammari addatur in dicto linimēto olei rosati ℥. s. & sic procedendum erit cum isto, donec appareat manifesta mollificatio: qua apparente fiat tale linimentum. Recipe pinguedinis cerui, olei chamæmelini: hyssopi humidæ, succi rutæ, an. ℥. s. serapini ʒ. ii. ducantur in mortario: & liniatur labium sæpe in die: & hoc erit medicamen resolutiuum residui materiei, quæ remansit: & quoniam in nocte non oportet dimittere locum sine medicamine; ideo aut madefiant panni linei subtiles in dictis linimentis, uel extendatur tale emplastrum super pannum, & apponatur desuper. Recipe unguenti de mucilaginibus domini Serapionis ℥. i. aromatici dissoluti in aceto, pinguedinis anatis, an. ℥. s. misce, & fiat emplastrum, & istud ponatur loco linimenti prioris mollientis; loco autem posterioris linimenti resoluentis ponatur tale.

Recipe diachulonis cum gummis ℥. i. armoniaci dissoluti in aceto, hyssopi humidæ an. ℥. s. misce, & pone ut dictum est. lauetur etiam labium cum uino decoctionis rerum mollientium, uerbi gratia. ℞ecipe radicum altheæ ℥. i. seminum lini, fœnugræci, foliorum maluæ, an. ℥. s. misce, & bulliant in uino dulci, & lauetur labium: & possunt addi etiam flores chamæmillæ, & altheæ, & erit magis resolutiua. In pede etiam procedere oportet isto calle: nam quandoque cum mollientibus, quandoque cum resoluentibus, & quandoque cum ambobus mistis, uerbi gratia. Recipe mucilaginis altheæ, fœnugræci. s. lini an. ℥. vi. farinæ fœnugræci, de. s. lini hordei, an. q. s. misce, & fiat emplastrum ad ignem: & in

fine adde pinguedinis gallinæ,anatis.an.ʒ.ii.s.misce,& fiat emplastrum:& pone supra pedem per totam duriciem & tam superius, q̃ inferius ungatur in primis cum ista unctione, Recipe olei amygdalarum dulcium,pinguedinis gallinæ,anatis.an.ʒ.i.armoniaci dissoluti in aceto ʒ.s.misce,& unge, & sic fac donec appareat manifesta tumoris mollicies: deinde redi ad resoluentia fortiora,quæ sunt ista. Recipe diachilonis cum gummis ʒ.i. hyssopi ceroti,Armoniaci dissoluti in aceto an.ʒ.s. misce & ponatur super locum ut dictum est supra, & adde in unctione olei liliorum alborum de chamæmilla,& hyssopi humidæ,& ducantur in mortario,donec perfectè incorporentur:sed quia pes est extrema pars corporis,& ratione complexionis ex cõponentibus,& longinquitate loci fit debilis calor in ipso: ideo si ista iam dicta emplastra, & inunctiones non conferent, oportet quibusdam fomentis ipsum coadiuuare hoc pacto. Recipe radicum altheæ, bryoniæ, an.ʒ.vi.seminum fœnugræci.s.lini,orobi,florum altheæ,chamæmillæ,meliloti an.m.ii.bulliant in uino albo, & lauet pedem in ista decoctione,sed non sit mora in ipsa decoctione: sed satis sit calefacere,& aperire poros,ut uirtus emplastri melius actuetur.quã do postea est intentio resoluendi,& est post mollificationem, bulliant res dictæ in tribus partibus uini albi,& una aceti: quoniam fortior fiet sic resolutio.Non tamen acetum in chordosis, & ligamentosis membris audacter administrare oportet, quoniam quãdoque maius est nocumentum iuuamento, docente Galeno.14. Methodi. Notare tamen debemus ꝙ oportet plus mollificando procedere,q̃ resoluendo,ut doctè dixit idem Galenus.14. Terapeutice,& ad Glauconem.Quamuis ipse dicat ad Glauconem, ꝙ debeamus ambas intentiones permiscere, posses etiam istis non conferentibus deuenire ad ulteriora, & fortiora remedia ut puta pro mollificantibus fiat sic. Recipe pinguedinis gallinæ ʒ.s.anatis ʒ.i.medulle cerui ʒ.ii.mucilaginis altheæ.s.lini.an.ʒ.i. armoniaci dissoluti in aceto ʒ.i.misce,& per multos dies ista unctione loca mollificentur,facta mollitione manifesta, resoluatur cum suffumigio aceti sparsi super lapidem molẽdini,uel marchesitæ, & igniatur & extinguatur aceto,ita ut sit imbibita multa quantitas aceti in ipso,& sic ponat membrum supra fumum,cooperiatur aliquo ingenio,ut fumus unitus melius possit agere in ipsam duriciem: cum tamen locus incipit indurescere,dimitte suffumigium, & re-

uerte ad mollientia. Nota ꝙ oportet habere plures lapides, ut infrigidato uno alius supponatur, ut uirtus resolutiua continuetur: Nam agens non agit nisi in tempore debito. in labio uero non laudarem istam suffumigationem propter caput, sed si opus fuerit fomentetur aceto calido, in quo bullierint res mollientes, ut est armoniacum, semina fœnugræci, lini, radices altheæ pluries in die, tamen oportet habere oculum semper, ne nimia fiat resolutio, & locus indurescat quod ut dictum est, cum apparet reuerte ad mollientia linimenta, & sic procede usque ad perfectam resolutionem, quod si dominatio tua desiderat medicamen commune, quod non permittat tumores crescere, & eos dissoluere, cum instent negocia plurima præsentia: quibus non uales quiescere donec perficiantur, fiat hoc medicamen in forma ceroti. Recipe bdellii, armoniaci galbani. an. ℥. i. terantur in mortario: & postquam cum oleo liliorum alborum, & mucilaginibus. s. lini, fœnu græci, & altheæ mollificatæ fuerint & redactæ sint ad formam ceroti, addatur in fine ℥. i. medullæ cerui, & fiat massa extensibilis, & pone super tumores, resoluit mirabiliter omnem tumorem in quacunque parte corporis, & maxime tumores antiquos, & hoc paulatine facit. Hæc uolui negociis q̃ plurimis medicinalibus impeditus currenti calamo ad te scribere pro restituenda priori sanitate suppliciter precans illum, a quo omnia pendent, & sine ipso nihil, qui est auctor salutis omnium, ut sit & tuæ sanitatis restitutor. Vale.

AD REVERENDVM DOMINVM SEBAstianum Bochassium. De dolore in latere sinistro & sputo sanguinis cum tussi.

EPIST. XV.



LEGI literas tuæ dominationis Reuerende Domine ac etiam collocutus sum cum domino Andrea nepote, ex quibus intellexi tuam dominationem iam antea incidisse in sputum sanguinis cum tussi & dolore in latere sinistro; & tametsi multa doctissimus ille medicus fecerit, ut dominatio tua ab hoc sputo sanguinis liberaretur; nihilominus adhuc dolor manet, tussis &

ſputus ſanguinis; quare per dictas literas petebas, ut tibi in ſcriptis remedia ſalutifera mitterem: Ego uero qui iam diu plurimũ tuam dominationem diligo,& obſeruo,non poſſum non tuis petitionibus parere:ſed quoniam medici omnes rationales ab eſſentia morbi curatiuas intentiones eliciunt, ideo primum ſcribam qualem iudicem te pati morbum, deinde quid futurum ſperem: ultimo quibus auxiliis liberari poteris:Morbus igitur ex ſcriptis, & relatis eſt ruptura uenæ in parte anteriori pectoris in latere ſiniſtro,& ꝙ hoc ſit uerum,ut paulo poſt declarabo,morbus hic eſt ſolutio continui, quod autem uerum ſit te pati rupturam uenæ declarat in primis ſanguis,qui per ſputum eiicitur:quoniam non datur ſanguis in animali,niſi in uenis:præter illum,qui in uentriculis cordis detinetur,qui non poteſt tuſſi uel alio modo extraduci;ſed ibi elaboratur & conuerſus in ſpirituoſam ſubſtantiam (ut ita dixerim) per arterias ad uniuerſum corpus tranſeuntem ad operationes omnes eſt inſtrumentum. Quod uero hæc uenæ ruptura ſit in partibus pectoris,& non in pulmonibus facilè poteſt demonſtrari,& primo ex dolore circa coſtas lateris ſiniſtri: nam dicebat Hippocrates ubi dolor,ibi morbus: Deinde ex uehementi tuſſi:etenim cum materia, quæ in pectore eſt per tuſſim educitur,natura magis laborat tuſſiendo,q̃ ſi eſſet in pulmonibus,cum coſtæ & membrana eas tegens ſint locus longinquior a canna pulmonis,ſiue aſpera arteria;q̃ ſint pulmones. Præterea ſanguis qui à pulmonibus egreditur ſubtilis,clarus,& ſpumoſus eſt; hic uero (ut audio)nec ſpumoſus,nec ſubtilis, nec clarus expuitur, ſed cũ aliquo lentore ſuſcedine,& ſine ſpuma:& quoniam ſanguis cum tuſſi expuitur,qui quidem cum non fuerit inſignis quantitatis,neceſſarium eſt dicere illum non a uena magna deciſum fuiſſe, ſed a ſatis exigua ut ſunt illæ,quæ coſtas nutriũt, quæ ſatis anguſtæ & paruæ ſunt.At ſi ulterius ratiocinando ut medici facere conſueuere procedere uoluero,& cauſas huius rupturæ aſſignare tentauero,quæ plurimæ quidem eſſe potuerunt, incipiam naturalia enumerando:noui equidem dominationem tuam iam diu, quæ ex habitu totius,cum ſis proceræ ſtaturæ, non pinguis, ſed mediam quandam teneas carnem cum amplitudine uenarum & corporis coloris ſuſcioris ad citrinitatem tendentis:quas conditiones poſſident, qui calidam, & ſiccam temperiem à principio generationis contraxerunt, quod comprobant operationes omnes, ut eſt

promptitudo ad motum, & reliquorum membrorum agilitas: nam & si a principio generationis claudus semper fueris, attamen miram uidi promptitudinem, & agilitatem in omnibus membris, præsertim dum sæpissime te uidissem ludere ludo tam paruæ, q̃ magnæ pilæ; mitto bonitatem ingenii, & multas naturales optimas operationes: Hæc quidem temperies, solet sanguinem plurimum subtiliorem gignere, qui non caret acredine: cum uero habitus quoquo modo gracilis corporis, & multitudo sanguinis calidioris & subtilioris coniunctus fuerit una cum malo regimine aeris, cibi, & potus, atque motus & laborum, & tempore anni faciente ad ebullitionem sanguinis; nam tunc temporis, in quo primo tua dominatio sanguinem expuere cœpit, erat æstus maximus, & fuit circa finem mensis Maii, in quo tempore ut audio & equitando sub radiis solaribus, & pedibus deambulando plurimum tua dominatio laborauit. Cum uero fessus ad tuam ecclesiam illa die, qua ecclesiæ sæstiuitatem celebrant, cantare cum clericis aliis diuina officia uoluisti factum est ut postridie cum tussi sanguinem expuere cœperis, huius igitur sanguinis sputi causæ omnes hæ fuerunt cum enim temperatura calida & sicca subtiliorem sanguinem generet præsertim unà cum uictu simili iuncta. cum enim & aromatibus, & salitis sæpe & aliis calidioribus comestibilibus usus sis, atque uina potentia, & meracia biberis, quæ omnia sanguinem subtiliorem & calidiorem reddere possunt. Præterea equitatio, & deambulatio plurimum potest corpus calefacere, & humores exagitare, subtiliareq̧, cum motus plurimum faciat ad totius corporis supercalefactionem, radii uero solares aeris nimia caliditate caput inflammare potuerunt, ita ut descendente, & destillante materia acri & corrosiua a capite ad membra supposita præpararunt ipsa ad hanc rupturam. Vltima causa fuit cantus in æde sacra qui non fit sine pectoris labore, sicq̧ rupta fuit in illa parte uena una, uel plures ex paruis, costas uel musculos inter costales nutrientibus. His itaque prælibatis in considerationem uenit, nũquid malum hoc in se habeat aliquid discriminis, & an cito, uel tarde sanari possit. Cui quæsito facile respondere possum morbum in primis, cum solutio continui in membro nobili scilicet in pectore sit non carere discrimine, præsertim cum habet causam fouentem materiam a capite destillantem; sed cum postea fortitudinem omnium uirtutum considero,

& ætatem, & temperaturam, & uniuersi corporis robur spero equidem tuam dominationem procul omni dubio pristinam sanitatem consecuturam. præsertim cum ex dictis, & uisis ea uena quæ fracta est ex illis paruis esse iudicetur, quæ costarum musculos nutriunt, neque enim illam in pulmone esse credam rationibus dictis; Quare ea remedia quæ huic dispositioni conueniunt subscribam. Et quoniam id quod in causa huius mali existit est fluxus, siue destillatio a capite materiæ acris & subtilis, & morbus est soluta in pectore continuitas; ideo studendum erit in prohibendo fluxum extinguendo, & inspissando humores, deinde solutæ uenæ continuitati opitulando. Incipiendo ergo a regimī ne rerum nobis necessariarum, & primo ab aere dico, morandum esse in loco in quo aer temperatus sit, ita ut nullo pacto excedat super nimiam caliditatem ut facit hypocaustum, siue euaporatorium, aut thalamus clausus in quo sit ignis locum plurimum calē faciens, quoniam ex caliditate tali eliquantur materiæ in capite, quæ postea descendentes ad pectus fouent primum morbum: nocet præterea aeris frigiditas, & similiter aer ille, qui a uentis septentrionalibus refrigeratur, uel a niuibus, quoniam auget destillationem constringendo, præter id etiam quod nocet capiti, refrigerando, caloremq; imminuendo, similiter & nocturnus aer plurimum nocet & nebulosus, siue caliginosus, & ideo locus sit ille, qui non sit calidus, nec frigidus, uentosus, aut caliginosus, neque clausus, sed mediocris, & temperatus. Deinde cibi sint illi, qui & sanguinis caliditatem, & subtilitatem aliquo modo remittere possint, non uaporosi, ne caput replendo destillationem adiuuent, ut sunt carnes uituli lactentis, uel hædinæ elixæ, in quarum iure fiāt fercula ex farre, oriza, ouis contusis, fiat etiam panatella ex pane triturato, aut panis lotus, sed inter omnia summopere laudo iuscula hordeacea in dicto iure facta, & præsertim in cœna: oua etiā in iure contusa optima sunt, pullorum gallinaceorum carnes elixæ optimæ sunt, sed cum ipsis bulliant portulaca si uiridis haberi potest, uel eius semina si uiridis non reperitur, erit quoque ex usu si acetosa bullierit cum dictis carnibus, uel eius semina: posset etiā aliquando dominatio tua castratorum bimorum carnes elixas comedere, & cum suo iure dicta fercula præparare & herbas & semina bullire; oua etiā sorbilia sunt optima, uel in sartagine aperta & decocta, & non indurata, sed tremula, ut dicunt cum saccharo, &

ro, & inter lacticinia secundarius ille caseus, quem uulgò puina uocant, & recens ille mollis, non salitus aliquando comedi potest. Pisces marini præterea possunt comedi, super craticulam assi, uel in aqua dulci cum modico sale elixi, ut sunt auratæ, uarioli, arbores, scombri, dentales, scorpiones, menæ, sardæ, gobii, passeræ, & similes, & etiam fluuiales sunt ex usu, ut sunt trotæ, temuli, lucii, & huius generis Abstinendum est à malis carnibus pinguibus, ut est caro porcina, agnina, & aliæ similes; ac etiam ab aquaticis, ut sunt anseres, anates, & aliæ similes in aquis degentes. Fructus etiam omnes molles nocent, ut sunt poma, ficus, uua, melones, cucumeres, & similes, & olera similiter mala sunt, ut est brassica, blitis, spinachia, & reliqua humida. Portulaca tamen semper comedi potest: etenim habet quod inspisset, conglutinet, & refrigeret: similiter & acetosa comedi potest cum plurimum ualeat remittendo sanguinis ebullitionem. Nocent præterea acetaria, & salita omnia, & omne genus leguminum. Potus uero sit uinum medii coloris & saporis, nullo modo acidum, quod diluatur cũ decocto seminum sumac, quod alio modo uocatur rhus obsoniũ in aqua, in qua prius chalybs ignitus pluries extinctus fuerit: uel etiam in dicta aqua bulliant caules portulacæ, uel eius semina, aut decoquantur dragachantum & gumma Arabica, & tali aqua uinum diluatur. Hora uero comedendi sit in mane secunda uel tertia sitq; spacium inter prandium, & cœnam octo uel decem horarũ, cœna uero sit leuior prandio neque tamen a prandio, & cœna bibere conducit, præsertim uinum, quoniam euaporat ad caput, & auget destillationem: Cum uero tua dominatio scribat uentrem inferiorem sponte quotidie excrementa euacuare illud optimum erit, quod si forte suppressa aluus fuerit cienda erit aliquando clystere communi: cauendum erit a somno diurno cum caput repleat, dormire igitur conducit nocte duabus horis à cœna, & sit capite supino: puluinar uero sit ex re non calefaciente, & aliquo modo exiccante, ut puta sit ex palea minutim incisa, neque in dorsum dormire conuenit: quoniam plurimum ad euaporationem facit: sed dormiendum erit modo super unũ, modo super aliud latus. Vigilia si nimia fuerit nocebit, quia sanguinem exacuit, & subtiliat, & corpus inflammat, & exiccat. Mane uero cum è lectulo dominatio tua surrexerit, & cum indutus uestimentis fueris leuiter deambulare te admoneo, dixi leuiter,

pilularum fortiter,& uiolenter educentium. Tales enim sanguinem exagitare,& exacuere atque corpus calefacere consueuerũt, sicq; sanguine subtiliori exagitato,& corpore supercalefacto sanguinis sputum maiorem excitabit;At si necesse fuerit educere excrementa,quæ in uentriculo, & uiis propinquioribus intestinis sunt ea,quæ sanguinis acredinem obtundunt, & cæteros humores facillime educere possunt,sumenda erunt,qualis est cassia, una cum rhabarbaro,hoc modo. Recipe floris cassiæ ℥.i.rhabarbari maturi puluerizati ℥.i.misce & fiat bolus cum saccharo, sumaturq; mane per unam aut duas horas ante cibum, & hæc erit medicina mitis habens omnes intentiones; Cum præterea ex literis tuis audiam adhuc destillationem,dolorem, & sanguinis sputum manere, ea de causa dominationem tuam admoneo, ut singulo quoque mane in aurora hunc subscriptum syrupum accipiat uidelicet. Recipe syrupi myrtini ℥.i. uiolati ℥.s. aquarum portulacæ,caudæ equinæ,plantaginis.an.℥.i. misce dormiat, uel quiescat per duas horas dominatio tua post. Inter diem uero de infrascripto electuario sæpe coclearium unum assumere oportet lambendo,quod est.

Recipe diadraganti
diacodionis } an.℥.s.
penidiarum
boli armeni orientalis ℥.i.s.
seminum plantaginis
portulacæ } an.℥.ii.
sumachi
Syrupi myrtini,de papauere an.q.s.

Misce,& fiat electuarium sumendum ut supra dixi:Quod si sputum sanguinis abundauerit fiat electuarium hoc modo.

Recipe boli armeni orientalis ℥.ii.

Albuminis ouorum optime cõtusorum, & conquassatorum. q.s. ducantur simul donec perfecta fiat incorporatio, & mistura ad formam electuarii,de quo sæpe cochlear unũ in ore tenere oportet,& lambendo sensim deglutire:sed quoniam hic sanguinis sputus diuturnus est ut audio,si ergo his omnibus factis adhuc tuam dominationem molestauerit, necessarium erit ad fortiora remedia & localia deuenire; posteaquam iam dictæ diuersiones, euacuationes,& humorum calidorum & subtiliorum refrigeratio-

nes factæ fuerint: quare sumantur pilulæ infrascriptæ quæ mirum in modum omnem fluxum sanguinis sistunt. Recipe trochiscorum de Karabe ℥.i.fiant pilulæ tres aut quinque cum aqua plantaginis, sumanturq́; in aurora, post quarum assumptionem dormire optimum erit. At si non ex toto sanguis ex hac pilularum assumptione supprimetur, iterum post duos, aut tres dies sumantur usque ad pondus duarum drachmarum: sunt & alia q̃ plurima simplicia medicamina, quibus medici utuntur; Et ego expertus ea sum, & inter cætera, si oportuerit, fiat hic puluis. Recipe corticum ouorum gallinarum, a suis pelliculis, & membranis emundatorum ad eam quantitatem, & numerum quem uolueris, & pone in olla noua, cooperiatur coopertorio aliquo mẽbraneo, ut minime spirare possit: ponaturq́; olla in clibano per noctem, postquam panis ab eo extractus fuerit, ut omnis humiditas dictorum corticum exiccetur deinde pistentur in mortario, ita, ut in subtilissimum puluerem conuertantur: de quo puluere ad pondus unius drachmæ cum decocto plantaginis, uel seminũ sumachi mane exhibeatur quatuor, uel quinque horis ante prandium; erit quoque ex usu continuè diadragantum rubeum ex bolo armenio orientali in ore detinere. Hæc sunt Reuerende domine, quæ in præsentia tuis respondens literis tibi consulere in hac tua præter naturali dispositione uolui. Spero equidem his factis omnia in melius processura, ita ut optimam in futurum ualetudinem habeas: quam Deus maximus tibi concedere dignetur. Vale.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM DOminum, dominum Albertum Coruinum Regni Poloniæ Ducem: De uentriculi imbecillitate & urinæ difficultate Consilium.

EPIST. XVI.



EA quæ pro præsenti stomachi debilitate, & Vrinæ difficultate in hoc itinere a me Illustrissime Princeps expostulas, breuiter hæc erunt. Caueat igitur in primis dominatio tua a frigore, & etiam nimia aeris caliditate, ita, ut dum in naui

eris, aut in itinere equitabis, neque uentis, neque ardenti soli, nisi indutus idoneis uestimentis, & caput pileo, uel aliqua alia re cooperto te exponere oportebit. Deinde ut leui quodam ante prandium & cœnam exercitio utaris tibi consulo, qualis esset leuis deambulatio, uel equitatio, quæ corpus laxare minime possit. studere etiam oportet, præsertim horis matutinis, quotidianæ, per secessum excrementorum subductioni. Prandium uero si fieri poterit, sit ex optimis carnibus. quales sunt pulli gallinacei, uel sint carnes hædorum, uel Vituli, uel ueruecis, aut auium nemoralium si haberetur. Fiantq; fercula ex hepatibus gallinarum, caponum, uel pullorum, cum cinnamomo, & parua aceti portione. Vel fiat ferculum ex amygdalis, pineis cum aqua rosacea, succo uuæ acerbæ. detur panis in iure carnium lotus, uel panis in iure coctus, cum amygdalis tritis, cum saccharo, & aqua rosacea, & succo uuæ acerbæ conditus, atque eo pacto, quo præparare solent optimi coqui, præparatus. Dentur etiam pro acetariis cappares cum aceto conditi; uel dentur acetaria ex herbis, ut est menta, borago, buglossa, melissa, fiantq; salsamenta ex petroselino, menta, cum amygdalis, cinnamomo, & gingibere, & aliqua aceti portione. Comedat post alia cibaria fisticos, uel etiam antè. Bibat optimum uinum, odoriferum, non acerbum, sed stipticum, medii coloris, & optimi saporis, non potens atque uinosum, sed medium inter aquosum & uinosum. Vtatur conditis, quæ stomachum roborant, qualia sunt citria, cytonia aromatizata, & antè cibum, & post cibum. Dormiat in nocte præsertim, & horis matutinis, nam somnus omnes uirtutes instaurat, & mirum in modum stomacho subuenit. Somnus etiam à prandio, si sit assuetus, ad stomachi imbecillitatem plurimum confert; sed sit breuis, non profundus, ne capiti obesse possit. Gaudeat, & lætetur, speret, Deo in primis nobis opitulante, & auxiliis medicinalibus, futuram sanitatem.

His sic prælibatis, stomachi confortationi attendere oportet, & in primis mihi summopere placeret, si singulo quoque mane antè prandium rotulam unã infrascriptæ confectionis assumeret.

Recipe specierum aromatici rosati,
diarodonis abbatis
triasandalorum } ana ʒ.i.

Sacchari finissimi quantum sufficit, fiat ex eis in rotulis confectio cum aqua rosacea, & eo pacto quo dixi sumatur: nam præterquã

quod ſtomachum roborat:ſolet etiam aliquando hepatis calidi-tatem remittere. Conducerent etiam abſque dubio cochlearia duo,uel uncia una ſyrupi de abſinthio, ſi ſingulo quoque mane aſſumeretur,quoniam ſine controuerſia uentriculum roborat, ac appetitum reſtituit,præterea eſt medicina mirabilis,ſtomacho,& hepati ſuccurrens. Exterius etiam præter fomenta quibus utitur Illuſtriſſima dominatio tua, ſi partes ſtomachales iſto unguento ante cibum inungerentur optimum erit.

Recipe oleum de abſinthio
nardini
maſtichini
roſacei } an.ʒ.iii.
Specierum aromatarii roſati ʒ.i.s.
Corallorum rubeorum
Florum lambruſcæ } pul. } an.ʒ.s.
ceræ parum.

Miſce & fiat unguentum,cum quo ante prandium,& cœnam calido ungantur.


Facilitanda quoque eſt urinæ egreſſio, non illis, quæ per os ſumpta urinam ciunt,ſed cum his quæ pectini applicita eius exitum facilitare poſſint. quare ad hoc fiant leues unctiones, quæ pro ratione itineris hoc pacto fieri poterunt.

Recipe oleum ſcorpionnm ℥.i.
anethini
amygdalarum dulcium
uiolarum } ana ℥.s.

Miſce,& inungantur pecten,& partes inter anum & teſtes poſitæ,idq; pluries in die, nam ſubtiliat,mollit,& aperit.
Partes uentris inferioris ab umbilico infra, optimum erit oleum de abſinthio,& uiolaceo,ante prandium & cœnam inungere; ut præter ſubtiliationem, ſit etiam aliquid,quod ad urinæ ardorem faciat. Hæc itaque tibi diſcedenti, & mihi a q̄ plurimis negociis detento,pro temporis breuitate, tumultuarie dicta ſufficiant. Deus igitur opt.Max.in hoc itinere, & ubique ſemper tibi præſto ſit,qui ſua ineffabili bonitate tibi etiam ſanitatem largiri dignetur.

CONSILIVM PRO ILLVSTRISSIMO DOmino Valeriano de ulcere intestini recti, post fluxum iecorarium,& antiquissimos dolores iuncturarum.

EPIST. XVII.



Vmmopere petebas Valeriane Illustrissime, ut nos ea omnia,quæ in futurum tuæ iam antiquatæ ægritudini conducerent claré,& enucleaté scribere pro uiribus eniteremur: ut scilicet si fieri potest sanitati restituaris,meo quidem auxilio, & ope adiutus:ad quam rem perficiendam, cum in præsentia nobis, a publicis negociis satis ocii concessum sit,quæ uidebuntur necessaria non prætermittemus. Dispositio igitur,ob quam in Italiam profectus es(dimissis antiquioribus articulorum doloribus) est fluxus uentris,& is quidem(ut aiunt medici)iecorarius uná cum satis insigni exulceratione recti intestini: quæ quidem iecinoris mala dispositio ad optimum propé statum, & ualetudinem (ex factis á nobis remediis)deuenit,ita ut nunc maxima pars intentionis curatiuæ ad ulcus recti intestini se teneat: quod ulcus cum adhuc foueatur ab imbecillitate antiquæ iecinoris dispositionis, nõ ex omni parte iecori corroborantia medicamẽta omittenda erũt: Et quanquam ulcerum intestinorum curandi ratio semper omnibus tam antiquis,q̃ modernioribus medicis difficilis fuerit ex q̃ plurimis causis:quas, ne nimis prolixus sit noster hic sermo, dimittemus: nec propterea uelim mi Domine te eam dimittere. Quare ad curam dictarum dispositionum deuenio á regimine sex rerum necessariarum exordiens. Primum igitur cauere oportet ab omni aeris qualitatum excessu,ita ut si fieri potest aer semper temperatus sit,& præsertim in caliditate,& frigiditate: non tamẽ siccitas,& humiditas superflua sit, cum altera scilicet siccitas calorem acuat:altera humores ad putredinem paret, præter q̃ quod sæpissime si humiditas superflat corpus refrigerare potest. Euitandus est itaque omnis pluuiosus aer & fuscus, & nubibus obumbratus,nocturnum etiam aerem plurimum in casu nocere posse arbitramur. Eodemq; modo ab æstuoso & sicco cum plurima caliditate immisto cauendum erit; præsertim in diebus canicularibus,& maximi caloris, cum uires omnes eo tempore imbecil-

tusum optimus est cibus,sed qualescunque fuerint carnes,quæ eli xantur,illæ elixentur in aqua chalybeata, ignito scilicet chalybe, & in ipsa extincto.Ex fructibus utatur passulis, & amygdalis recentibus,atque etiam fisticis:sed citonia decocta sub cineribus, & ante,& post cibum ad roborandum uentriculum conducunt: reliqui fructus cum sint duri ad concoquendum ut sunt mespila, quæ facillime in imbecillo uentriculo putrescunt,& in flatum cõ uertũtur.& poma q̃ plurima,& id genus alia dimittes.Hora uero comedendi sit mane post ortum solis tertia,aut quarta.Cœna uero non sit,nisi à prandio transierint octo,aut decem horæ,& quãtitas tam cibi, q̃ potus sit minor q̃ in prandio . Quicquid sit semper in hoc casu parcè comedere,parceq; bibere:nõ nisi plurimum iuuabit.Potus uero sit uinum mediocre medii saporis, & caloris: quod non dulce sit,neque acidum: si uero diluere oportuerit diluatur cum iam dicta aqua chalybeata, neque plurimum bibere (ut dixi)conducit : sed quantum ad distributionem ingesti cibi faciat,similiter tam inter prandium, & cœnam , q̃ in nocte minimè esse bibendum censeo . Et quoniam(ut audio) non semper ui norum optimorum,neque eorum,quæ mediocria sunt in Polonia suppeditat copia:cum raro talia uina ad uos asportentur , hac de causa petebas , nunquid ceruisia posset tuto bibi: quam, cum eo tempore quo Venetiis esses,tibi dicebã non esse ex usu;uentriculo enim & uisceribus plurimum nocet:Ideo si forte fortuna carueris iam dicto uino, in hunc modum potum componere excogitauimus, Recipe fructus berberorum ʒ. viii. cinnamomi optimi ʒ.iii.aquæ fontis chalybeatæ libras duas, bulliant ad consumptionem quartæ partis, & coletur , in qua colatura adde syrupi de corticibus citri sine musco:syrupi geleniabini saccharini, an.ʒ.ii.misce & utere hoc potu tam in prandio,q̃ in cœna : gratus enim primum erit palato,deinde uentriculum,intestina , & iecur plurimum roborabit : item omnis repletio ut paulo antè dixi tam cibi,q̃ potus fugienda est,cum plurimas superfluitates generet,& uentriculo,& intestinis noceat. Antè cibum inungatur uen triculus isto linimento. Recipe olei de absinthio masticini , rosati.an.ʒ.i.specierum diarhodonis abbatis ʒ.i.s. specierum triumsandalorum,corallorum rubeorum. an.ʒ.i.ceræ parum, misce & fiat unguentum.studendum quoque erit,ut somnus sit in tempore congruo uidelicet nocte transactis duabus horis post cœnam;

neq; in die nisi forte lōga consuetudo dormiendi in die sit. quod si forte id continget, sit á prandio duabus horis. Nocte uero dormiat ad libitum, usque ad decem horas plus minusve secundum temporis necessitatem. id enim dico, quoniam quibusdam temporibus dormire maximé conducit, ut est in hyeme, & uere, & etiam quando uel dolor aliquis, uel aliud quoddam accidens expostulauerit. Semper tamen in hoc casu somnus proficuus est, dormire enim melius erit, quám nimium uigilare: cum per somnum uirtutes omnes fortitudinem acquirant. Et quoniam uigiliæ contrariantur somno, cauendum erit á nimia uigilia: cum per longam uigiliam spiritus resoluantur & corpus inflammetur, atque ad putridas febres ex cibi mala concoctione præparetur. postremo ex sententia omnium antiquorum medicorum perturbationes animi corpus nostrum plurimum á naturali dispositione mutant: ideo cauendum ab omnibus animi perturbationibus erit, ut est ira, timor, solicitudo, impetus, mœror: aliiq; animi tristes, & horribiles conceptus: quod facile fiet, si cum caris amicis colloquium de rebus iucundis erit: itaque loca amœna incolantur, ubi sint uiridaria, & alia, quæ lætitiam inducere possunt, ut cantus, & pulsatio instrumentorum musices: longe enim harmonica proportio animum hilarem, & iucundum reddere potest: similiter inspectiones rerum pulcherrimarum plurimum animum exhilarant: quippe cum sensus exteriores animi ministri, & nuncii sint: in qua parte aspectus pulcherrimarum matronarum, atque honestarum maximé animum oblectant. non præteribimus etiam uenereos complexus, qui licet & animum hilarem reddant, & corpus etiam leuet: tamen hoc in casu non uidentur conducere, cum uires deiiciant, exiccentq; corpus, & refrigerent: atque ad senilem tabem dirigant, præsertim in conualescentibus, sed cum dixerit Hippocrates dandum esse aliquid ætati, consuetudini, tempori, & aliis: ideo cum iuuenis sis, tametsi morbus diuturnus non consentiat, aliquando sit (postulante plurima materia seminali) amplexum uenereū, non tamen te excitatum esse blandiciis oportet, & hic neque frequens sit: semper enim talem complexum, si nō modestus fuerit, perniciosissimum esse, tam antiqui omnes, quám moderni medici arbitrati sunt. Istis sic prælibatis ad remedia medicinalia sermonem conuertam: Et quoniam ut superius dixi dispositiones præter naturam, quæ in præsentia te plurimum mole-

ſtant,paſsiones inteſtinorum,& naturalium membrorum ſunt,cũ prima paſsio fluxus iecorarius fuerit, qui, per excrementa alui, quæ ueluti lotura carnis,& fæx aliquando uini erant, ita manifeſte patet:ut nullo alio, mea quidem ſententia, teſtimonio indigeat; ideo ab ea paſsione à qua ſubſequuta eſt hæc exulceratio: quæ non dum ſanitati ex toto reſtituta eſt incipiam: quanquam melius tam hepar,quàm ulcus ſe habeat: Eſt igitur ſecunda hæc paſsio,ſeu morbus ulcus ſordidum antiquum inteſtini recti,& illud quidem ſatis inſigne:cum ab eo plurima ſaniei pars deſcenderit,& in præſentia etiam aliqua deſcendat: ſed non tam mala ut prius neque in tanta quantitate,nec cum tanto ſenſu, ſeu dolorifica egerendi uoluntate:quæ omnia illud iam te melius habere,& uerſus ſanitatem tendere clarè oſtendunt,atque futuram omnino ſanitatem promittunt;quanquam dixerit Hippocrates inteſtinorum ulcera difficillima ſanatu eſſe. Incipiam igitur à remediis, quæ iecinoris,& uentriculi malam temperiem contrariam remouere poſſint;Cum ſtomachi imbecillitas plurimas ſuperfluitates crudas adgeneret:Et iocinoris temperies calida humorum exuſtorum cauſa fuerit,atque inteſtini recti exhulcerationis, quando ſua caliditate humores aduſtos plurimos gignat, qui iam dictam exhulcerationem fouent. Primum ergo præter regimen ſuperius dictum ſic procedatur cum regimine medicinali accipiendo ſyrupos ualentes ad omnia ante dicta,qui erunt iſti, Recipe ſyrupi de cichorea ſimplicis ℥.i.roſati ℥.s.decoctionis cichoreæ,pentaphyllonis,& plantaginis ℥.iii.miſce, & ſumatur mane in aurora:& quoniam morbus antiquatus eſt, egens fortioribus: ideo poſtquam per aliquot dies ſuprafcriptum ſyrupũ mane ſumpſeris,& aliquo leui medicamine ſemel, aut bis euacuante materias aduſtas, præparatas a ſyrupis expurgabis: Et hoc facile fiet cum hoc leui. Recipe diacatholiconis unc. i. rhabarbari maturi electi puluerizati drach. i. miſce, & cum ſaccharo.f. b.aut cum ſuprafcripto decocto ex cichoreo pentaphyllone, & plantagine fiat potus,& ſumatur mane ante prandium quinque horis: uel ſi alius modus euacuationis magis gratus fuerit,in iam dicto ſyrupo infundatur ʒ.i.rhabarbari maturi electi, & mane ut dixi exhibeatur,poſt primam leuem iſtam euacuationem,quam omnimodo noſtrum eſt conſilium fieri in ultima æſtatis parte: ubi aer mitior factus erit,& poſt caniculares dies uenti placidi, & aura ſua-

uis ſpirare cœperit. Iterum dico ad maiorem uentriculi, & iecino ris rectificationem, & robur ſyrupos ualentiores ſumere optimũ erit, hoc modo, Recipe ſyrupi de cichorea cum rhabarbaro, de ſcriptione Nicolai Florentini ℥.i. de berberis, de ribes. an. ℥.s. deco ctionis plantaginis, cichorei, pentaphyllonis, & petroſelini ℥.iii. miſce, & ſumantur in mane, in aurora per aliquot etiam dies, ut & uentriculus, & iecur roborentur, atque iecinoris caliditas con temperetur, ne humores adurat, poſt quos ſyrupos laudarem ite rum ad ultimam euacuationem iſtarum materierum, quæ in dies gignuntur, ut ſupradicta leuis medicina ex diacatholicone, & rhabarbaro maturo ſumeretur in forma boli aut potabili, quod mihi magis placeret: cum facilius ſi potetur ad uenas uicinas eius uirtus, & ſubſtantia diſtribui poſsit, uel ſaltem ſumendus eſt ſyru pus poſtremo deſcriptus, & in eo infuſa ℥.i. rhabarbari maturi optimi. poſt quam leuem bis adminiſtratam euacuationem, po ſtremo quæ ſtomachum, iecur, & inteſtina roborare ualeant ſu mere optimum erit, ne in recidiuam incidas: nam ubi morbus, ſeu morbi diuturni facti ſunt, membra langueſcunt, atque facile ad antiquam diſpoſitionem morboſam inclinant: quæ ſæpisſime deterior priore eſt, & difficilior ſanatu, ob iam dictam membro rum imbecillitatem. Quæ autem dicta membra roborare poſ ſunt, hæc ſunt, confectio diatrium ſandalorum de qua ſingulo ma ne unam aut duas rotulas quatuor horis ante prandium ſumere optimum erit. Item ſaccharum roſaceum duorum annorum ad dimidiæ unciæ quantitatem cum drachma media ſpecierum dia rhodonis Abbatis optimè uentriculum, & iecur in hoc caſu robo rare poteſt, ſi mane quatuor horis ante prandium ſumatur. Item comedere paſſulas tam antè cibum, quàm cum cibo, & poſt cibũ plurimum laudo ex ſentẽtia omnium medicorum, & præſertim Galeni ex octauo de medicinis ſecundum locos, ubi deſcriptionẽ electuarii cyphi poſuit ex authoritate Andromachi: quam deſcri ptionẽ Auicen. etiã probat tertio canonis cap. de Iecinoris debili tate: hanc igitur cõfectionem laudarem & ego tempore hyemali cum poſsit præſeruare a futura iecinoris ultima imbecillitate, a qua ſæpisſime ad aquam intercutem patientes incidunt: ꝙ ſi ex ingredientibus caliditatem in ipſa timerem: Ego una cum dicto electuario ſtafidis tantundem ſacchari roſacei ad contemperan dam caliditatem permiſcerem, & ſic permiſtum exhiberem ſingu

lo mane: sunt & aliæ confectiones usuales, a domino Mesue descriptæ, quæ in casu, & a præseruatione futuræ aquæ intercutem plurimum ualent, & expertæ sunt, ut est confectio dialacæ, confectio diacurcuma: quibus cum si timerem eorum caliditatem saccharũ dictum rosaceum cõmiscerem: & mane quatuor, aut quinque horis ante prandium assumerem: sunt condita; quæ post cibũ etiam sumi possunt, ut est diacytonitẽ cum speciebus, & sine speciebus & etiam cytonium cum saccharo conditum post cibum potest sumi. Et hæc de primario morbo ad præcauendum tam ab ipso, quàm ab aliis quæ possent post ipsum sequi satis dicta sint. Reliquum est ut de cura ulceris sordidi in intestino recto scribam, sed cum plurima quando ad particularem tuam curam intendebam, iam a nobis facta sint, quæ omnino plurimum contulerunt, ita, ut per signa sumpta, a saniei quantitate, & qualitate sine hæsitatione dicere oporteat, ipsum in declinatione esse: ideo ea remediorum factorum rememoratione dimissa, quæ futura salutifera remedia ad ulcus propinari debeant scribam, quæ remedia erunt per supposita clysteria, quæ partim tergant ulcus, partim exiccent, partim intestina roborent. Primum igitur quod per clystere intendere oportet, est saniem tergere dolorem lenire, atque intestini robur conseruare: hæc omnia facies clysteribus infra dicendis. Clyster in quo uirtus est tergendi, & dolorem leniendi relinquens in intestinis confortationem tale est. Recipe intestinorum hirci, seu ueruecis, aut uituli quantitatem quam uolueris, decoquatur optima decoctione, deinde, Recipe dicti iuris l.iiii.hordei cum suo cortice ℥.iii.pentaphyllonis radicum, & foliorum.m.ii.florum chamæmillæ.m.i.mellis optimi ℥.iiii. bulliant ad consumptionem quartæ partis, & coletur: de qua colatura supponatur per clystere bis in die ad uncias octo, ante prandium, & cœnam per aliquot dies, si res & sanies iudicio clarissimorum illorum medicorum ita postulauerint, uidelicet si non fuerit substantia æqualis, & lenis in ipsa; & postquàm æqualitas, & lenitas uidebitur, mutetur intentio ad exiccationem maiorem: non propterea dimissa intentione tergendi ulcus, & hoc fiet hoc clystere a Galeno descripto nono de medicinis secundum loca: quæ ego in consimili casu expertus sum. Recipe cineris chartæ combustæ ℥.iii.auri pigmenti, gallæ an.℥.i.sandarachæ, calcis uiuæ, bituminis, sulphuris an.℥.i.s. fiant ex eis trochisci cum succo

plantaginis, & conficiatur clyster hoc modo. Recipe hordei, plantaginis, pentaphyllonis, cimarum rubi. an. m. i. bulliant in iure intestinorum: de quo decocto accipe ℥. vi. dictorum trochiscorum. ʒ. i. uel ad unam cum dimidia, & dissolue in ipso decocto, deinde impone cum clystere: quod si aliquis sensus dolorificus sequatur fiat iterum clyster ex decocto intestinorum, & hordei, uel fiat clyster ex lacte ouino, aut uaccino modestè calido: & si dolor fuerit intensus, fiat clyster ex succo plantaginis, solatri, in quibus bulliãt ʒ. ii. iusquiami, uel dissoluatur in uini dulcis cyatho ʒ. s. philonii, uel zazeneæ descriptæ a diuo Mesue sed inter reliqua, quæ plurimum ualent in ulceribus antiquis, & sordidis, & fistulosis est collyrium Algarab descriptum a domino Rasio nono ad Almansorem cap. de fistula lachrymali: de quo collyrio accipiat. ʒ. i. & dissoluatur cum ℥. iiii. sapæ & fiat ex eis clyster: cum uero apparuerit signum mundificationis, quod cognoscitur, ut superius dixi per lenitatem, & æqualitatem egestæ saniei cum aliqua leui rubedine: tunc optimum erit administrare clysteria, in quibus ea, quæ carnem aggenerent, & ad ulceris ultimam consolidationem faciant, quæ cicatrizatio a modernis dicitur; clysteria talia sint.

Recipe centaureæ minoris, caudæ equinæ, plantaginis, cimarum rubi an. m. i. bulliant in uino stiptico paucifero ad consumptionem tertiæ partis: deinde, Recipe dictæ decoctionis ℥. iiii. boli armeni orientalis ʒ. i. sarcocollæ nutritæ in lacte ʒ. i. s. sanguinis draconis ʒ. ii. misce, & fiat ex dictis clyster: quod si maiori egueris exiccatione ad ulceris consolidationem addendum erit scrupulos duos uel ad drachmam ex iam dicto medicamine descripto a domino Rasio in capite de fistula lachrymali, & ab Auicenna tertio canonis cap. de Algaraba: Et ut omnia præ manibus habeamus scribam medicamen ipsius Rasis hic ad literam sicuti iacet: quod sæpissime expertus sum. Recipe aloes thuris sarcocollæ, & sanguinis draconis, balaustiæ: Antimonii, aluminis, omnium partes æquales ziniar quantum est quinta pars unius fiant ex eis sic &c. Postremo ad conseruationem, & intestini robur, optimum erit si alternis diebus post quam omnia hæc perfecta fuerint, & ulcus sanitati restitutus, optimum dico erit uti clystere, ex decocto cimarum rubi, & corticorum granatorum dulcium in uino pontico mediocri cum ʒ. ii. boli armenici puluerizati, & hoc saltem per duos menses post continuare conducit: cum periculum sit; ne ex

nouo defluxu materierum, iterum intestinum exhulceretur. Hæc sunt clarissime domine, quæ pro temporis angustia, & negociorum meorum frequentia, in hac tua antiqua, & difficili præter naturam dispositione scribere uolui. Deus optimus maximus qui solus languores sanat pristinam (sicut optas) tuam sanitatem tibi restituat. Vale.

AD EXCELLENTISSIMVM LEGVM DOctorem Dominum Hieronymum Cæsanum. De imbecillitate uniuersi corporis, præsertim iuncturarum & lacertorum, & impotentia motus uoluntarii, cum tremore uniuersi.

EPIST. XVIII.



LEGI uir excellentissime, quæ ad magnificum & clarissimum equitem Bollanum scripsisti, cui me plurimum debere fateor, atque de illis cum excellentissimo ac doctissimo Hieronymo amalthæo collocutus sum, qui omnia tam dicta, quàm facta diligentissime exposuit; de quibus ego etiam a clarissimo equite rogatus ex ordine ad te scribam. Et primum considero antiquam neruorum & lacertorum imbecillitatem, tremorem, atque impotentiam functionum membrorum in uniuerso corpore a plurima materia pituitosa primum in uentriculo genita, deinde a capite ad neruosa membra transmissa, ita, ut primum transitus spirituum ad neruos à nuca ortos prohibeat, deinde sua multitudine ea humectet, ex quo fit ut ægrè brachia, crura, atque uniuersum corpus moueri possint. Demum audio tuam excellentiam cecidisse supra latus dexterum ex quo facta fuit cõtusio illius partis & loci, quam Latini coxendicem, Græci ischiam uocant, quo quidem in loco illico ingens dolor subsequutus est, qui adhuc manet, manent etiam tremor, & motus uoluntarii impotentia seu imbecillitas. Quæ omnia si in suas causas redigere uellem longa esset orationis huius progressio, hoc tamen unum non præteribo, scilicet omnes dispositiones præter naturam primam originem contraxisse ex refrigeratione quadam uentriculi aggenerantis plurimas (ut aiunt Medici) cruditates, siue pituitosas superfluita-

tes,quæ cum non potuissent a iecinoris caliditate corrigi, uniuersum corpus occuparunt,& cerebrum maxime, non solum per uenas nutrientes,sed etiam per continuam euaporationem, unde facta est temperies frigida & humida toti communicata cum præsentia multarum materierum pituitosarum,una cum sanguine & aliis humoribus permistarum.Quales autem fuerint dictæ dispositionis causæ procatarcticæ cum nec sint præsentes, neque etiam per earum remotionem ad rectam auxiliorum administrandorum methodum deuenire posimus in præsentia silentio præteribo.Hoc tantum dixero casum ad sanandum difficillimum esse, non modo absenti medico uerum etiam præsenti, quotidieq; uisitanti,& cuncta uidenti,& ratione examinanti, quicquid tamen sit,quæ in casu agenda mihi uidentur breuibus scribam.

Erit igitur prima intentio,& à qua inchoandum erit aeris per contrarium alteratio,uidelicet ut declinet per calidum & siccum, & quoniam hyems est, & locus habitationis frigidus ideo in cubiculo sit semper ignis accensus, ita ut frigus aeris remittatur, & locus exiccatus conseruetur,nec ex usu esse potest cubiculi calefactio per euaporationem hypocausti, cum talis caliditas repleat caput,atque etiam eliquet materiam in eo contentam,quæ ad neruosa membra descendit,sit ergo aer cubiculi moderate calidus & siccus ex ignis accensione. Exercitatio quidem plurimum conduceret,sed cum non detur facultas ob membrorum imbecillitatem,& tremorem,satis sit dixisse illam posse prodesse si membrorum conditio sustineret;ad uictus rationem modo descendam.

Victus parcitas seu attenuatio in frigidis & diuturnis morbis quantum posit testatus est Galenus in libro de Victu attenuante,ut enim ille dixit & ratio atque quotidianus usus comprobāt, Diuturni morbi non pauci sola uictus attenuantis administratione sublati sunt sine aliqua medicinarum exhibitione; etenim crassos humores frigidos dissoluit,disipatq;,quare in primis fiat panis ex farina optimi tritici non omnimodo ab surfure mundata, in eoq; semina anisorum uel fœniculi contusa ponantur,sitq; optime salitus,fermentatus, & coctus. Carnes sint, ex uolatilibus, ut sunt phasiani,perdices,& aues illæ,quas uulgares coturnices uocant,turtures, merulæ, turdi, passeres, & reliquæ huius generis aues;capi præterea non pingues currunt ferè eodem cursu; sed quæ in aquis aut paludosis locis degunt,ut sunt anseres,anates, &

similes

similes interdicantur cum crassum generent alimentum ex quadrupedibus hædinæ carnes laudantur, post quas est leporis iuuenis caro, quod si uitulorum carnes comedantur bulliant cum illis radices petroselini, fœniculi, apii, & similium, uel eorum semina, in quarum carnium iure cum radicibus uel seminibus decoctis fiat ferculum ex pane trito, panatellam uocant, aut fiat panis ex dicto iure lotus, uel in eo ouum contundatur; far etiam cum dicto iure decoctum optimum erit ferculum; assentur etiam dictæ carnes & aspergantur aromatibus in puluerē redactis, ut est cinnamomum, macis, garyophyllorum, fœniculi & anisorum semen. Ante prandium uero portionem radicis gingiberis conditi (uiridem dicunt) mandere optimum erit, uel dimidium nucis muscatæ conditæ, aut radicis galangæ, uel calami aromatici conditi; quod si ouum sorbile deuorare uolueris portionem piperis pulverizati commiscere conducet. A' prandio semina fœniculi aut anisorum ex saccharo albo condita comedas, uel grana pinearum aut phisticorum. Tempus cœnæ sint ad minus octo horæ post prandium, quæ sit parca, uerbi gratia comedat antè cappares cum oxymelite conditos, mox panatellam ex iure cum dictis radicibus uel seminibus cocto; quod si portionem perdicis assæ uel alterius auis assæ ex dictis comederis non plurimæ quantitatis optimè facies. A' cœna iterum semina fœniculi, & anisorum, uel grana pini aut phisticorum sumantur. Pisces omnes & alia cibaria humectantia, & caput replentia, ut sunt pleraque legumina, lacticinia, & fructus, & olera dimittantur. Potus uero sit aqua mellis cum granis piperis decem contusis decocta; uel sit aqua betonicæ decocta cum melle; Vinum etenim nocet quoniam caput replet & materiam frigidam ad neruosa membra penetrare facit; nocet etiam quia in uentriculo multis pituitosis humoribus referto facilè in acetum conuertitur; acetum autem nocet cerebro & neruis primò & per se; at in uera declinatione, quæ cognoscitur ex minoratione tremoris, & meliori membrorum in motu uigore uinum antiquum non acidum, nec dulce, sed aliquo modo potens, mediocriter bibendum erit, neque plurimum comedendum præsertim horis uespertinis in cœna. Studendum etiam erit in lenitione uentris si non sponte egeruntur feces clysteria subministrando, & decocto foliorum maluæ, blitis, betonicæ, chamæmilæ, quæ bulliāt in aqua communi, ex quo decocto accipe lib. unam,

olei liliorum alborum,uel amygdalarum amararum, mellis rosati ana ℥.iii;hieræ picræ ℥.s. hieræ logodium ʒ.iii. salis communis ℥.i.misce,& imponatur mane ante prandium, quarto quoque die,uel etiam alternis diebus. Cauendum est a nimio & longo somno,qui non sit maior spatio septem horarum, neque dormire incipias nisi duabus horis a cœna;at si somnus plus dicto prorogetur excitandus erit,quoniam longi somni caput replent & uniuersum corpus refrigerant: Vigilia autem contrarium facit, siccat enim & calefacit, studendum erit ergo ut quàm fieri potest somnus uitetur præsertim diurnus.Postremo cum animi passiones corpus a naturali constitutione plurimum mutent, ideo fugienda est tristitia,mœror, solicitudo,atque omnes malæ cogitationes,læta meditando,beneq; de salute sperando,& ea, quæ gaudium mouent uerbis & opere tractando, atque cum caris amicis gaudendo.His itaque de regimine sex rerum necessariarum prælibatis reliqua ingenia medicinalia facienda subiungam.

Erit siquidem prima intentio malam temperaturam frigidam & humidam corrigere,si prius materiam, quæ in uentriculo & uiis communibus residet,& quotidie generatur,quæ impedimẽto alterantibus medicinis esse potest, euacuabimus in hunc modum. Recipe electuarii lenitiui unciam unam, cum ʒ.ii.s. specierum hieræ,assume mane quatuor horis ante prandium; deinde sequenti mane ad præparandum residuum materiæ,& ad alterandam temperiem præter naturam frigidam hunc syrupum accipies. Recipe syrupi de stœchade, mellis rosacei ana ℥.i.diluãtur cum decocto betonicæ, iuæ, & saluiæ ana ℥.ii. uel cum aquis stillatitiis dictarũ herbarum sumatur bis in die, mane scilicet ante diem & uesperi ante cœnam per aliquot horas,& similiter per aliquot dies illum accipies usquequo aliqua crudorum humorum præparatio in urinis apparuerit, qua apparente expurgandum iterum erit uentrem cum infrascripto medicamine, uerbi gratia, Recipe electuarii lenitiui ℥.i. hieræ pachii descriptione Scribonii,uel hieræ logodion Nicolai ʒ.iii.diluantur cum supra dicto decocto & sumantur mane quinque horis ante prandium, sequenti uero mane sorbeas dimidiam ut ita dixerim scutellam iuris capi,in quo decocta sit betonica & iua, cui adde ℥.ii. mellis rosati;deinde post dictam euacuationem per aliquot dies supersedendum erit ab euacuationibus medicinarum soluentium; sed

ſingulo mane ante prandium per duas ſaltem horas accipias co-chlearia duo iſtius ſyrupi de abſinthio, de ſtœchade, ana ℥.ii. oxymellis ſcilitici ℥.i. miſce & utere; interim uentrem clyſtere iam dicto bis in hebdomada ciebis: & ante cibum regionem uentriculi lenies iſto linimento, Recipe olei de ſpica, de abſinthio, maſtichini ana ℥.s. ſpecierum diagalangæ ℥.i. garyophyllorum, cinnamomi ana ʒ.s. ceræ parum miſce & fiat linimentum; tranſacta autem hebdomada poſt ſecundam euacuationem has pilulas per ſex horas poſt cœnam accipies, Recipe pilularum cochiarum ℈.ii. de euphorbio ℈.i. fiant ex eis tres ſumēdæ ut ſupra; quod ſi unà cum iam dictis pilulis ſyrupum ſuperius annotatum biberis, operationem fœliciorem expectabis; His itaq; factis localia quædam ad principia neruorum adminiſtranda erunt, & primum incipiendo a leuioribus ſpina uniuerſa ungatur oleo liliorum alborum calido per aliquot dies; deinde huic oleo addatur oleum de coſto, aut de piperibus, uel uulpinum, de iunipero, irinum, aut cõſimile; ungaturq́; locus contuſionis hoc linimento. Recipe unguenti dialtheæ, olei laurini, de lumbricis ana ℥.i. miſce & utere calido, locum & partes circumſtantes bene ungendo; uel fiat hoc emplaſtrum. Recipe florum chamæmillæ, betonicæ, ſtœchados, baccarum lauri, coſti, ſaluiæ pulueriꝫentur, & defruto, quod ſapam uocant fiat emplaſtrum, ponaturq́; calidum poſt illinitionem cum præfato linimento ſuper locum doloris; quod emplaſtrum ſi ſuper ſpina dorſi poſitum fuerit poſt illinitionem maximum erit auxilium. Neque prꝛterea deſiſtere debemus ab illis, quæ uentriculum & caput roborant, atque malam temperiem frigidam & humidam corrigunt, ſumendo ſingulo quoque mane aliquam confectionem ex dicendis, inter quas pliris arcoticum ſi mane ante cibum, & etiam poſt, unam aut duas rotulas ſumes, plurimum conducet; ad hoc etiam mirabilis eſt confectio trium pipereum, cum uentriculum roboret, & caput atque materiam pituitoſam attenuet; laudo quoque confectionem diagalangæ, & diamuſci, & diaambræ; ſed inter cæteras confectio mithridati, & theriacæ in roborando uentriculum, caput, neruos, & uniuerſum corpus principatum obtinet: quare prædictis euacuationibus humorum ſuperabundantium adminiſtratis & reliquis tam intus quàm extra alterantibus factis utere indifferenter mithridatica, uel theriacali confectione, mane per aliquot horas ante cibum ad

quantitatem dimidiæ drachmæ aut duorum scrupulorum; cauendum tamen est ne cum nimis calidis exiccãtibus procedatur, quare si cognosces ex dictis te plurimum intus calefieri, quod scies ex siti uehementi, aut ex inquietudine & insomnietate, supersedendum per aliquot dies ab eorum exhibitione erit, & loco illorum syrupi de betonica cochlearia duo sumes. Neque te mirari uolo si scribens de euacuatione, sanguinis euacuationem silentio præteriui, etenim tametsi multi credant apertionẽ uenarum ani, quas mariscas uocant in tali casu & affectu præter naturam prodesse posse, equidem eam nunquam in tua excellentia laudarem iudicio sumpto tum a morbi essentia, tum a multitudine humorum crudorum, quibus abundas, tum etiam a longitudine morbi. Postremo id, quod fortassis excellentia tua scire magnopere desiderat, non præteribo, & est nunquid decoctum ligni indici (guaiacum uocant, ab insula a qua ad nos apportatur) nunquid inquã aliquo modo factum, uidelicet ex aqua, aut ex uino, cum sui corticis insigni quantitate ex usu tibi esse posSit & aliquo modo tuæ dispositioni præter naturam auxiliari ualeat, & an etiam potus aquarum thermarum sulphurearũ, nitrosarũ, & aluminosarũ, aut lauatio in eis, & gucia, (ut uocant) super caput in futurũ prodesse poterunt, quibus quæsitis ne te obtundã breuibus sic respondeo, lignũ indicũ mira quadã sua uirtute tam complexionali manifesta quã substantiali abdita morbum gallicum sanare, & quosdam etiam morbos affines illi; non tamen omnes frigidos morbos sanat, cum ex Aristotelis sententia non quodlibet agat in quodlibet sed determinatum in determinatum cum modis, legibus & quibusdam determinatis conditionibus ad materiam patientem, uel qualitatem spectantibus; Modo temperamentum præter naturam per multos annos acquisitum, causæ & materia atq; membrorum tremor & imbecillitas, & membrum in quo generatur, similiter & accidentia sequentia, atque alii affectus non habent ut posSint cum morbi gallici temperamento, causa, materia, & reliquis accidentibus & affectibus comparari, ita, ut ligni uirtus & usus posSit illis communis medicina esse; Præterea modus præparationis, præsertim cum uino, uidetur nocere membro, quod plurimum fauet tremori & impotentiæ membrorum, uinum etenim nocet cerebro, & nucæ, atq; neruis, & origini neruorum per se, præter id quod dixi ipsum esse aptum in uentriculo refrigera

tò facilè in acetum conuerti, ut postea sit uehiculum ducens materiam ad intimas neruosorum membrorum partes: Neque, ut audiui, persuadendum est ut uirtus uini per ebullitionem minuatur, cum contrarium experientia testetur, ut est uidere in decocto uino, quod defrutum uocant, & est quidem potentius, & magis caput lædens. Neque etiam ex aqua decoctum lignum conferre potest cum in ipso non sit uis ita calefaciens, attenuans, & exiccans ut possit pituitam diuersam substantia, scilicet aquosam, uiscidam, nullam in se caliditatem habentem mutare, uel ad benignum reducere, ut ea mutata possit habituata temperies frigida & humida ad temperamentum conuerti; quare dimittenda erit omnis de ligni indici decoctione exhibenda in futurum cogitatio. Dicta satis essent nisi audiuissem tuam excellentiam aquam thermarum Aponensium bibisse, corpusq; uniuersum in ea lauasse, atque guciam (ut aiunt) super caput recepisse, ita tamen inordinatè, ut pudeat me a medico famigerato id factũ fuisse; quicquid sit de hoc, bonus quandoque dormitat Homerus. Dicerem equidem aquas Aponenses, si debito ordine & tempore administrentur, plurimum prodesse posse; sed cum in præsentia nec tempus, nec alia multa eius usum admittant, hæc dicta satis erunt. Deus optimus maximus, qui solus sanat languorem te ad optatam ualetudinem perducere dignetur. Venetiis, M D L V I. Die X X I I I. Nouembris currenti calamo ex morbo ualetudinarius Nicolaus Massa.

CONSILIVM PRO REVERENDISSIMO domino Ioanne Laimiger Vilachi Archipresbitero de morbo Gallico.

EPIST. XIX.



Euerendissimus utriusque Iuris Doctor, D. Ioannes de Lairmiger Vilachi Archipresbyter cum in iuuenili sua ætate morbum quendam cum pustulis, & doloribus passus esset, ab eo sanatus fuit. Sed materia à capite ad alia membra defluxa, ut ipse refert morbum denuò suscitauit; & pustularum loco tumores quidam duri, & maligna atque sordida ulcera apparuerunt.

Et cum iuncturæ,& per uniuersum corpus musculi & præsertim spatularum: & brachiorum plurimum dolerent cum non nullis ulceribus,& apostematibus duris præter dolores tumores & ulcera ex aquarum thermarum patauinarum assumptione, & manuali operatione,& aliorum super tumores,& ulcera medicaminum appositione adleuatus sed non liberatus fuit;& tametsi naturales operationes his factis meliores satis sese habere uideantur. non tamen a doloribus,tumoribus, & ulceribus ut dixi omnino liberatus fuit,cum aliquando aliquos paruos dolores sentiat, & adhuc duriciei uestigia adsint, & ulcera non penitus consolidata maneant.Ideo dominatio sua dubitat & quærit, an ex toto ab ista ægritudine liberata sit,quare dico,ꝙ stantibus superius dictis, non est omnino liberata.sunt enim adhuc materiei reliquiæ, quæ ab aquis balnei non euacuatæ,neque resolutæ fuerunt neque iecinoris temperies mala ex toto mutata est quod ex illis paruis doloribus,& duriciei & ulcerum reliquiis facile coniicere possum. igitur cum ægritudo quæ est mala temperies frigida iecinoris nõ sit penitus remota,eget adminiculo,atque curatione. sed cum Medicus semper tria moliatur cum uel ab ægritudine homines præseruat,aut ipsos ægros pristinæ restituit sanitati, aut eosdem sanos conseruat illud idem facere tentabo, primum ægritudinem, & morbi essentiam per suas causas describam deinde ad remedia curatiua descendam,Galenum imitando, qui in primo regiminis acutorum dicebat,ægritudinem,quæ sit prius esse cognoscendam ante quam ad eius sanationem nosmetipsos accingamus, hoc etiã multis aliis in locis,sed diuersis uerbis ab eodem scriptum esse inuenitur.Et Auicenna quoque quarta primi talem protulit sententiam.Non potest eligi Medicina, nisi per ægritudinis cognitionem.sed quoniam ægritudines in multiplici sunt differentia,quæ sit ista ab aliis per sua accidentia distincta inquiramus. Inquit.n. Aristoteles primo de Anima accidentia ad cognoscendum quod quid est magnam partem conferre.Dico igitur in primis, ꝙ ægritudo ista cum sit radicitus in hepate, & toti corpori communicata,quantum ad suam essentiam uniuerso communicatam est uniuersalis;quia per malam affectionem frigidam generantur multæ materiæ,quæ crudæ transmittuntur per uenas, arterias, & poros cutis,ad totum corpus, & a caliditate non naturali, sed extranea membrorum aliquando aduruntur,sic ægritudo, quo ad eius cõ-

munitatem pertinet, uniuersalis dicetur. Et quamuis dolores, & pustulæ, & apostemata, & ulcera per se sint ægritudines, tamen quia pendent ab ista mala, siue diminuta hepatis operatione accidentia sunt. Neque est inconueniens, ꝙ respectu diuersorum una eádem res sit ægritudo, & accidens. Modus autem istarum pustularum generationis (ut in primis loquar de ipsis) est a materia subtili cholerica, cum humore crasso frigido admista, à quo fit etiam debilitas siue malignitas uirtutis membri assimilatiuæ. quare uirtute forti existente fit ad partes cutaneas expulsio, & istæ pustulæ secundum materiei crassæ cum subtiliori admistionis diuersitatem modò maiores modò minores apparent. Notare tamen operæprecium est, ꝙ non solum cholericæ materiæ admiscentur, sed aliæ quoque ut melancholicæ, & sanguineæ, ita ut sit talis intricata mistio, quæ doctissimos medicos aliquando decipiat. Quod si quis quærat, si adest in hepate diminuta digestio, quomodo humores cholerici, qui per ultimam sanguinis decoctionem fiunt, generari possunt? huic respondendum esse arbitror non ablatam propterea esse digestionem sed diminutam, & uitiatam aut malignitate quadam affectam esse: Et ideo possunt generari multi cholerici humores, diminutè tamen, qui respectu sui corporis non sunt boni, sed mali, & sanitati contrarii. Possem & aliter soluere, sed hæc breuiter dicta sufficiant. Multas enim in hac ægritudine opiniones de causis efficientibus esse non me latet, quas in præsentia recensere non est nostrum institutum & illam præsertim, quæ nulla assignata causa naturali sensitiua, superioris facultatis affectionem esse pronunciat. quæ causæ per sensitiua signa sunt uenandæ, ut benè docuit Galenus secundo Thechni dicens omnia hæc sensu, & non secundum rei naturam iudicare oportet, aliter enim sempiternæ passionis esset periculum. Dimitto etiam illam quæ cordis primò passionem calidam & siccam hunc morbum esse pronunciant, quoniam nullo modo meo quidem iudicio, sustineri potest. Illa præterea dimittatur opinio, quæ eam esse elephātiasim ponit, quoniam falsa est omnino, nam & si in hoc morbo Gallico plurima signa, & accidentia illius morbi adsint, non tamen omnia, & quandoq; plura, quandoq; pauciora elephantiasis signa apparent. Non defuere etiam qui hanc affectionem à caliditate & humiditate prouenire assererent, quod ego credere nō possum, quia frigidis & siccis curantur, cum tamen calidis & ab-

dictis temperiei cuiusdam medicamentorum potius tollatur. Sed quoniam hic contra aliorum opiniones disputare non intelligo, sed tantum per accidentia,& causas morbos inuestigare, ideo eas in præsentia missas facio & scita causa pustularum ac tumorum, siue apostematum durorum generationis,quæ secundo loco post pustulas apparent,declarationem ueniamus.quæ uirtute expulsiua forti existente,à crassa materia fiunt, qui tumores superuenien te calore uel admista aliqua calidiori materia & retenta putrescunt,& uti sensu uidemus exulcerantur. sunt præterea dolores iuncturarum,neruorum,& musculorum, qui à materia crassa,uirtute expulsiua debiliori existente fiunt,cum natura faciat semper (cum potest)id quod melius est.Hæ dictæ pustulæ,tumores, dolores,exulcerationes sunt signa,siue accidentia,hanc ægritudinem declarantia,& ab omni alia distinguentia, quæ ægritudo una est quia ab una origine prouenit.Pustulæ uero apostemata,ulcera,& dolores sunt accidentia hunc morbum comitantia,non ꝙ omnia ista sint necessaria,sed sufficit,uerbi gratia ut in pauca materia cũ subtili admista appareant pustulæ,& sic in aliis secundum diuersi tatem admistionis,& uirtutis,ut aliquando dolores aliquando tumores,& omnia aliquando simul secundum dictam admistionis diuersitatem, & uirtutis fortitudinem appareant. Vtrum uero ægritudo sit antiqua,uel noua,scire non refert, sed ea quæ de eius essentia dicta sunt,in præsentia sufficiant, quæ uidelicet est mala hepatis dispositio ad frigiditatem & humiditatem, toti corpori communicata à qua proueniunt pustulæ malæ,apostemata dura, ulcera maligna,dolores iuncturarum,neruorum & musculorum. & aliquando adsunt omnia ista, aliquando uero,dolores, aut tumores soli,sine aliis & alii sine his apparent. Et ꝙ humores facientes talia accidentia,sint frigidi indigesti à prædominio nullus ambigit,tum propter albedinem, tum propter duriciem, & eius diuturnitatem,ac etiam horam motus affectionis dolorum,qui in occasu solis affligere solent,& propter etiam raram & paruam fe brilem alterationem,quia nunquam, aut raro est cum febre talis morbus,& tandem ut uno uerbo dicam, si a iuuantibus & nocen tibus licet argumentari,a calidis iuuantur,nõ tamen dicimus materiam istam ita frigidam & synceram esse quin aliquid humoris calidioris habeat permistum,ita ut eam euaporare aliquando faciat,quæ euaporatio in causa est,ut morbus sit contagiosus. Mul-

tæ sunt

tæ sunt ut dixi difficultates hac in re, quas ad maiora properans dimitto. nota igitur morbi essentia ad particularem Reuerendissi mi uiri complexionem declarandam deuenio, quod summè necessarium erit; quam complexionem cholericam esse duo cum ali quali accidentalis frigiditatis subdominio, & hoc apparet manifestè, membra eius principalia cōsiderando. Nam caput cum respectu sui corporis satis magnum sit, dominium caliditatis denotat. Et quoniam in agibilibus, & circa intellectiuum discursum, est multum solers, & ingenio præditus atque boni iudicii, hoc etiam à calido temperamento prouenire certum est. Formositas, & in ipsius capitis partibus proportio eandem temperaturam ostendunt. Color, & capillorum & pilorum barbæ, ad nigredinem cū aliquali rubedine tendens idem facit iudicium. Præterea principalissimum membrum quod est cor, calidæ (ut apparet) & siccæ est complexionis. hoc declarat pectus satis amplum, animi magnitudo, liberalitas, agibilitas in motu, & promptitudo, & uelocitas; quia ferè semper est in motu. hoc non nisi à sanguine subtili & non multum pingue prouenire potest. Pili etiam non multum extensi in pectore hoc attestantur. Hepar uero calidæ & siccæ cōplexionis habet, nam declarant hoc membra omnia benè extensa, & non pinguia; & uenæ totius corporis similiter, quæ sunt magnæ, stomachus uerò est satis temperatus, quia est satis carnosus, & benè digerit, neque eructationem sentit, aut effumationem. Quare concludendum est, ipsum à temperamento iustitiali, per caliditatem & siccitatem declinare. subdominium uerò accidentalis frigiditatis, à superflua capitis humiditate accidentali caliditatem contundente prouenit. Vnde applicando dico, ꝙ cum per mensuram naturalis temperamenti, quantitatem ægritudinis ut docuit Galenus cognoscamus; ideo ratione complexionis, cum ægritudo natiuo temperamento non sit proportionalis est uerenda, & magis ad curandum difficilis; quamuis (ut dicemus) ratione ætatis, & temporis anni minoris sit timoris, ex sententia Hippocratis, Galeni, & Auicennæ.

Aetas, cum sit consistentiæ, est pro omnibus operationibus ualidior, stante animalis, uirtutis, & uitalis bonitate, & naturalis, si non penitus, bona saltem ex parte; neque enim ex animo decidit; ꝙ hepar mala qualitate frigida affectum esse diximus. Quare & si ægritudo ratione suæ malignitatis, & uniuersalitatis, & dis-

proportionis sit timenda, ratione tamen ætatis, & bonæ uirtutis, ipsam curatu faciliorem esse dicere debemus. Et hæc de cogitatione ægritudinis, causarum, accidentium, & prognostici dicta sufficiant; essent multa problemata, multæq; difficultates soluendæ, quæ omnia breuitati studens dimitto.

Vt ergo ad regimen particulare me transferam, in primis cum aer sit nobis adeo necessarius, ut dixerit Aliabbas Theoricæ quinto, aerem summopere esse considerandum, quia uelimus nolimus, ipsum ægrotantibus concedere oportet, & ad corporum mutationem plurimum confert. Quare dico q aer in caliditate, & siccitate temperatus, est multum conueniens, ut est pars illa ueris quæ æstati est propinqua, ut testatur Auicenna in cap. de Aere dicens, & aer quidem dum est temperatus & clarus, nec substantia extranea, complexi spiritibus contraria et admiscetur, est sanitatis effectrix atque conseruatrix. In aliis uerò temporibus alteretur, ut in hyeme cum igne, in æstate cum iis quæ aliquo pacto ei in nimia caliditate contrarientur. In Autumno uero, qui sapit aliquando Aestatis, aliquando hyemis naturam, ideo eo pacto quo superius de Aestate, & hyeme diximus aer thalami alteretur. nullo autem pacto ad frigiditatem declinet, quæ est uitæ inimica, et uitæ operationibus, & morbo fauet. Moretur (si fieri potest) in domo libera, soli exposita, & parti orientali, uel si talis haberi non possit, sit saltem procul a paludibus & aquis non currentibus. Præterea domo aut extra ciuitatem exiens, sit uestimentis secundum temporis opportunitatem indutus, ut in hyeme uulpium pellibus, aut his æquiualentibus, & sic secundum temporum necessitatem procedat, modo frigus omni cura atque diligentia procul habeatur. Præterea domo exire non est bonum, nisi postquam sol per horam saltim super terram fuerit, ut sit facta aeris purificatiõ a radiis solaribus. In aere similiter nocturno morari est perniciosum, & ideo se domum ante solis occasum per horam recipere est bonum, nam declinante sole aer impinguatur, & fit crassus, & caput multis crassis uaporibus implet, qui postea à capite ad alia mẽbra descendentes multa eaq; mala accidentia causant. Quare semper aerem ad calidum & siccum declinare oportet neque si stufa eligatur, sit illa quidem multum ignita, sed mulcebrem habeat caliditatem, quod fieri poterit, per modicã quantitatis ignis appositionem, ut curatio per contraria fiat, ut uoluit Auicenna dicens

ægritudini suo medemur contrario, & sanitatem suo simili conseruamus.

Cibum etiam & potum secundum debitam qualitatem & quantitatem,& tempora sumere oportet. Quoniam dicebat Damascenus in Aphorismis,Diæta est primum curæ instrumentum sine quo alia instrumenta sunt uana.Panis igitur in primis sit mediocriter coctus, & bene fermentatus qui saltem per diem postquam coctus fuerit quieuerit. Carnes uero sint ex uitulis, hædis, unius anni ad minus,ex castratis.Bonæ sunt etiam gallinæ, capi, pulli gallinacei,perdices,phasiani,turdi, merulæ, aues nemorales, quæ uisco capiuntur,& consimiles. Caro bouina quamuis ex toto non sit mala,quoniam tamen est crassa,& sanguinis melancholici generatiua,non est laudabilis.Carnes similiter leporinæ,ceruinæ, hircinæ, & consimiles quæ uenando capiuntur sunt malæ. Porcina tam recens q̃ salita quia sua humiditate stomacho obest semper est mala.Omnes similiter carnes, & cibaria salita quia hepati nocent sunt relinquenda. Omnes aues tam domesticæ q̃ syluestres in aquis & paludibus degentes sunt fugiendæ: Vt anseres, anates,& consimiles,quoniam malam carnem, melancholicam.s. & duræ digestionis habent.Palumbi etiam, quoniam in sanguine ebullitionem faciunt sunt fugiendi. Et si aliquando carnes inter uenandum captas comedere lubet, sint ex cuniculis, & ceruis ualde iuuenibus, sed quoniam humores melancholicos generāt, meo quidem consilio sunt dimittendæ. Laudo etiam sorbilia oua succo uuæ acerbæ aspersa,quod ea à putrefactione conseruat. Vel si alio modo comedantur sint tremula nō indurata,& aspersa agresto,uel aranciorum succo.Caseus uero non placet,quia duræ est digestionis & humores uiscidos generat, ideo dimittatur. Lacticinia similiter omnia propter eorum uiscididitatem, sunt mala,quare omittantur.ꝙ si caseum aliquando comedere libet,sit ille uetus,& parum salitus.Pisces omnes mali sunt, & ideo fugiendi,ꝙ si aliquando ex his comedere libet,sint ex illis, qui in aquis claris degunt,ut lucii,& consimiles.notare tamen conuenit,meliores illos esse in hoc casu qui in aquis dulcibus degunt, q̃ hi qui in salsis;& meliores sunt assati,q̃ elixi;quoniam inter assandum consumitur pars humida quæ difficilis est digestionis. Marini autem si comedantur,sint squammosi,& sine uiscositate, ut sunt auratæ, barbi,& consimiles;eorum tamen usum dimittere melius erit.

Fercula sint ex farre cum amygdalis, & ex brodio carnium. brodium etiam cicerum rubeorum, & dictarum carnium, siue simplex siue cum ouorum uitellis mistum, & cum agresto cõtusum, plurimum etiam laudo. Orizam aliquando etiam (sed raro) comedere poteris, sit tamen illa optime decocta, ut eius tollatur uentositas, nam eam flatuosam esse peritissimi quiq; dixerunt. Ex oleribus autem spinacia, blitæ cum endiuia, buglossa, boragine, & foeniculo, sunt bona. Omnia alia fere fercula ex oleribus, atque leguminibus, sunt mala. ut sunt phaseoli, fabæ, caules tam albæ, q̃ uirides, & rubeæ. Cappares etiam sunt boni. Condimenta, siue sapores ex cytoniis, amygdalis, cerasis acetosis, petroselino, cum parua cinnamomi quantitate aspersi sunt boni. Alii uero ex sinapi, alliis, & nucibus facti, & pipere, & gingibere omnes sunt mali, & ideo dimittendi. Vsus uero specierum gingiberis, & piperis & consimilium non est bonus. sed utaris si opus fuerit cinnamomo simplici, quoniam stomachum, & hepar confortat, uirtutem digestiuam auget, opilationesq; aperit. Confectiones uero sint, ut amygdalæ, coriandri, pineæ, anisi, & marciapani. Condita sint ex pinis, citris, myrobalanis chebulis, & consimilibus.

Fructus non sunt ullo pacto boni. quoniam facile in stomacho corrumpuntur: qui tamen ex eis sunt meliores, sunt pira assata, pruna damascena, amygdala, cerasa acetosa, cytonia assata, mala granata dulcia, & mitia, fistici, & passulæ: auellanæ uero quia duræ sunt digestionis, & quoniam caput malis uaporibus repleat, una cum persicis, crissomalis, & ficubus nõ placent. Vsus limoniorum propter eorum frigiditatem stomacho nocet, arancia acetosa in multa quantitate assumpta idem faciunt. Compositiones aliæ, ex ouis, caseo, lacte, butyro raro sunt comedendæ, quoniam propter eorum uiscositatem maxima cum difficultate digeruntur. q; si comedantur, sint illa tamen in parua quantitate.

Notabis insuper, q; nihil, teste Auicenna in cap. de eo quod comeditur, & bibitur, tam digestioni, stomacho, & uirtuti nocet, q̃ cibaria diuersarum uirtutum unica mensa assumpta, quoniam inter se pugnant, & stomachum fatigant, & ideo quanto simpliciores sunt comestiones eo sunt meliores, & unico (si potes) cibo sis contentus. Omnes præterea cibi optime masticari debent, quoniam masticatio est quædam ad primam, quæ fit in stomacho, digestionem præparatio. Hora uero prãdii, sit tertia diei hora, cum

comedendi desiderium insurgit, potest etiam prandium cœna esse plenius, quoniam in mane stomachus est melius dispositus, quia calor tempore noctis concentratur, digestionemq; complet, & cum calor nondum sit sparsus ideo melius digeret, quia ut est Aristotelis sententia, uirtus unita est fortior se ipsa dispersa; & cœna sit ad minus per octo horas a prandio; & quoniam consuetudo est altera natura, ideo secundum domesticam & patriam consuetudinem cibum augere & minuere poteris. Nam dixit Hippocrates, dandum est aliquid consuetudini. Nota tamen q famē tolerare (si est naturalis) multum nocet, ideo dixit Auicenna in cap. de eo quod comeditur, & bibitur, q famem tolerare stomachum putridis humoribus replet. Potus uero summa cum diligentia exhiberi debet, nam si moderatus fuerit, multum conferet, é contrario multum oberit. Vinum uinosum nocet & similiter dulce, & uina uetusta pauci sunt nutrimenti, ut dixit Auicenna in de regimine aquæ & uini, & sunt quasi medicina. Vinum nouū nocet, quoniam propter suam inflammationem hepar ad hepaticam dysenteriam præparat. sit ergo uinum non recens, neque uetus, sed ut docet Auicenna in superius dicto loco, medium inter uetustum & recens, clarum, non multum album, quoniam humores ad iuncturas prouocat, neque multum spissum, quoniam cum difficultate digeritur, & caput implet. sit ergo boni odoris, boniq; saporis, non ualde dulce neque ponticum, non sit magnum aut (ut dixi) uinosum, sed mediocre, q si aliquando uinositatem habeat, extinguatur illa quidem cum admistione aquæ dulcis, & claræ, non putridæ neque super terram paludosam morantis; sed sit (si fieri potest) ex Cisterna, uel ex his quæ super lapides discurrunt. q si huiusmodi non inueniantur, ad ignem decoquantur, nanque per decoctionem mala qualitas putrida, uel putrescibilis remouebitur. Temperaté præterea est bibendum, quoniam cum calido uiuamus, & humido nutriamur non possumus sine potu bené nutriri. Et ideo ut cibus bené nutriat, meliusq; penetrare possit, bibere temperaté oportet, ut cibus humectatus facilius digeratur, quare inter comedendum potius parum & sæpe, q̃ multum, & raró, bibere cōuenit. A prandio autem bibere malum est, quoniam potus, cibo supernatat, & caput petit. Ideo si fieri poterit nihil bibat postquā comederit, sed masticare coriandri grana multum confert quoniam & caput roborant & digestionē uigorant,

A' nimia praeterea cibi & potus repletione est cauēdum, nam defatigatur uirtus, & ita circa cibum occupatur, ut contra ob repletionem aegritudinem agere nō possit, ut Hippocrates dixerit, non pura corpora quanto magis nutries tanto magis laedes. & Auerroes quoque primo colliget dixit cibi abstinentiam esse quādam euacuationis speciem. Galenus similiter asseruit cibi abstinentiam totum corpus aequaliter purgare.

Inanitio similiter nocua existimatur, quoniam cum stomachus est uacuus, superfluis malis humoribus repletur, & calor in radicalem ipsius humidum agens, ipsum debilitat; & cum ipse nutrimenti sit principium error ipsius ab aliis membris non corrigitur. & ideo maxima diligentia, maximoq; studio cauendum est, ne cibus aut debitus dimittatur, aut superfluus accipiatur.

Somnus & Vigilia, si utraeque modum excesserint, malum est, ex Hippocratis sententia, ideo ab eo somno qui octo horarum spatium pertranseat cauendum est, somnus enim longus, humidarum aegritudinum est in causa, ad quas infrigidatio sequitur; caputq; multis uaporibus replet. neque etiam sit ille a cibo immediatus, quoniam catarri fit augmentum, qui ad membra principalia descendens ipsa debilitat. somnus diurnus est etiam fugiendus, ille praesertim qui meridianis horis conciliari solet, rheumatismos enim generat, bonumq; calorem corrumpit. quare somnus duabus saltem post coenam horis conciliandus erit. primumq; super latus dextrum per duarum horarum ad minus spatium dormiēdum erit, quoniam hoc pacto cibus ad stomachi fundum cito descendet, super sinistrum postea latus decumbere, quoniam hoc pacto calor uigorabitur, & digestionē adiuuabit. sed (ut docet Auicenna fen. 3. primi can.) super uentrē decūbere longè melius erit.

Vigiliae (ut dictum est) superfluae, calorem & omnes uirtutes destruendo, multum nocent, unde melius est in superfluo somno, q̄ in diuturna uigilia delinquere; inquit enim Auerroes in libro de Somno, & uigilia, uirtutes per somnum fortitudinem acquirere; extrema tamen omnia semper sunt uitiosa; & ille cecinit, Medio tutissimus ibis. quare omnia summa cum modestia sunt molienda.

De motu, & quiete ista sit regula exercitium ante prandium, & coenam per horam praecipuè multum conueniens esse in primis dixerim. sit tamen temperatum, & ad sudorem usque, in lo-

co plano non montuoso mediocriter deambulando; labor enim cum sudore corpus magnopere inflammat, spiritus dissoluit, & uirtutem, & calorem stomachi innatum debilitat; sed temperatus uigorat calorem, superfluitates, quæ sunt in stomacho dissoluit, excitat spiritus, porositates dilatat, & demum, ut libentius cibum amplectatur stomachum præparat. ut dicere ausim exercitium, esse nobilissimam cõseruantium sanitatem causam. Post cibi assumptionem per duas horas quiescere multum confert, ne calor per motum spargatur, & digestionem derelinquat, quare exercitii regulas diligenter obseruare oportet. Notandum etiam ꝙ multum ante completam digestionem exercitium in causa est, ut cibus indigestus ad intestina descendat, nam perfecta digestio nisi per quietem non perficitur. Exercitium literarum, maxime post cibum immediate est dimittendum, sed fit in mane, quoniam non tantum nocet, & ratio ex se ipsa patet. De frictionibus hic non est locus, quia et si exercitii loco esse possent, tamen quia se ipsum exercere potest, frictionibus non eget, tamen multum mihi placerent, si bis in hebdomada cum lixiuio calido quod ex alto descenderet caput lauaret, quia humiditates resoluit, & caput confortat, & calefacit, quare illud ego multum laudo.

Accidentia animi, si bona sunt, calorem augent innatum, qui est primum naturæ contra nostri corporis nocumenta, instrumentum, & ideo dixit Hippocrates, in omni ægritudine confortari mente, & bene se habere ad oblationes bonum, contrario uero malum. & per contrarium tristitiam intelligimus, de qua secundo artis paruæ dixit Galenus mala animi accidentia corpus exterminant, & mutant ipsum ab ea, quæ est secundum naturam, cõsistentia; quare bonum est lætari, & esse cum amicis, cognatis, & aliis, cum quibus est beneuolentia. Honestis mulieribus facetias narrare, & uicissim eas naturales audire, & cantilenas auscultare, citharam, & alia instrumenta pulsare, quoniam sanguinem clarificant; animam, siue spiritus a quibus omnes operationes proueniunt, dilatant. Tristitia præterea est fugienda, ut lites, controuersiæ, longa mora inter flentes, querelæ mortuorum, & huiusmodi reliqua, quoniam sanguinem infrigidant, & ipsum perturbant, & digestionem prohibent, ut dixit Auicenna in cap. de eo quod comeditur, & bibitur.

Coitum inter animi labores in præsentia pono, qui nullo pa-

cto est bonus, & tanquam uenenum est fugiendus, & ille praesertim, qui ui est excitatus, aut aspectu alicuius formositatis, uel blanditiis tam extrinsecis, q̃ intrinsecis; & quia harum rerum recordatio est molesta, de hisq; cogitare est malum, ideo haec fugiantur, hactenus de rebus non naturalibus.

Et quoniam sanatio non fit semper per regimen in superius dictis rebus tantũ, ideo recurrere ad alia medicamẽta ut dixit Galenus primo Reg. Acut. si erit opus eis uti, res erit a Medicis omnibus semper laudata. & cum aliquando per medicinas interius assumptas, aliquando per exterius appositas, & chirurgiam sanatio fiat, ideo de his quae interius assumuntur prius loquar, quod si per assumptionem aquae balnei, quam apud te habes, & bibere decreuisti, a residuo istius morbi (quod Dii auertant) non eris liberatus, quod optime ex doloribus, tumoribus, aut ulceribus nõ sanatis cognoscere poteris, corpus minoratiua euacuatione, & materiae peccanti appropriata, saepe saepius purgare optimum erit. Et quamuis in aegritudinibus seruantibus materiam secundum magnam partem ad unam euacuationem creticam exquisitae medicinae conducant, in hoc casu fiat ista minoratio, in uniuersali, & in uiis communibus; Non tamen in cronicis in quibus materiae de nouo regenerantur euacuationẽ eradicatiuam tẽtare oportet, sed euacuare debemus, quotiescunq; dicta sunt regenerationis materiae signa apparent. Et quamuis materia ex toto non esset digesta, saepe tamen eam minorare, naturam alleuiat; & harum materierum, frigidarum praecipue multiplicationem prohibet. sit ergo in primis talis euacuatio minoratiua electiue purgans, per tres ante prandium horas molienda. Recipe pulpae cassiae ʒ.vi. confectionis hamech, agarici praeparati an. ʒ.ii. misce, & cum saccharo fiat bolus, uel cum aqua buglossae, fumiterrae fiat potio ea hora, quam diximus, sumenda. potest etiam ista minoratiua uacuatio cum pilulis fieri, uerbi gratia, Recipe pilularum foetidarum, Indarum, aggregatiuarum an. ʒ.s. fiant pilulae numero v. per quatuor ante prandium horas sumendae. Has enim euacuationes reiterare, si opus fuerit, multum proderit; & morbum minuet. Sed quoniam dixit Hippocrates concocta medicari, & mouere, non cruda &c. ideo inter unam atque aliam pharmacorum superius dictorum assumptionem, quae fient interiecto quatuor, uel quinque uel plurium etiam dierum spatio, istud digestiuum assumere

mere debes. Recipe syrupi de fumoterræ, de stœchades, uso-lati an.℥.s.aquarum endiuiæ,buglossæ, iuæ an.℥.i.misce, & sumatur calidus in aurora, & post quatuor horas sumatur prandium. Confert etiam in huiusmodi ægritudine pro minoratiuo plurimum,& digestiuo,decoctio epithymi Mesuæ, in suo antidotario distinctione septima descripta,nam citra uirtutes dictas ibi a Mesue,habet multas alias, quas breuitatis gratia dimitto. Id tamen solum addam,ꝙ purgat materiam frigidam,melancholicam, & phlegmaticam in omnibus corporis partibus contentam, ipsam digerendo,& subtiliando;ita ut si in conuenienti quantitate dicta decoctio sumatur, soluendo, & digerendo educat, ꝙ si ea sit in parua quantitate,humores iam dictos digerit, & ad euacuationem præparat.dosis ad digerendum,siue quantitas ipsius sit ℥.iiii. ad euacuandum autem ℥.vi.& hæc meo quidem consilio reliquis est nobilior.potest per impositionem unius unciæ, uel plus ieleneabini saccharini dulcis reddi: & hanc decoctionem quotidie, uel de tertio in tertium securè assumere. ꝙ si medietatem fortius quis uellet exhibere,mihi non placeret, ꝙ si uariare opus fuerit, hoc potest fieri cum electuario Indo, cum electuario de dactylis, & cum consimilibus,materiam crassam euacuantibus, & a remotis,iuxta iuncturam,& neruos existentem. Et quoniam apud practicantes, nunquid phlebotomia in hac ægritudine competat, q̄ plurimæ sunt opiniones,eas in præsentia missas facio,& eam non conuenire dixerim,propter accidentia, quæ pati solet tua dominatio,&(si hoc etiam quæris)propterea quoniam non adsunt signa eius rei necessitatem attestantia. Sed nota ꝙ si natura uomitum tolerare possit,& eo sine maxima angustia uti posset, multum in hac dispositione conferret,in mane præsertim, & cum re facili prouocetur;ut per impositionem digiti in os,uel per impositionem pennæ gallinarum in oleo linitæ; aut cum tali uomitiuo satis domestico. Recipe oxymellis simplicis ℥.ii.aquarum decoctionis raphani ℥.iii. misce, & tepidum sume, uel Recipe aceti ℥.iii.aquarū decoctionis acori, & rhaphani ℥.iiii. misce & bibatur tepidum. Isti sunt uomitiui,sine periculo satis temperati. Nota tamen, ꝙ in hoc casu uomitus est medicamen competens, & conueniens,& a propinquis,& remotis propriam materiam euacuat:quare si cum pauca difficultate prouocari poterit, erit auxilium multum nobile. Confert post euacuationem,stomachum,

& hepar confortare,& ideo in diebus,in quibus solutiuas.Medicinas non sumit, sumere ante prandium & cœnam per horam rotulam unam aromatici rosati,& alteram diarhodonis Abbatis descriptione Nicolai,mirabile est confortatiuum.Nam confortat stomachum,& hepar,cor & cerebrum,digestionem uigorat,calorem innatum confortat,& superfluitatum,per indigestionem causatarum residuum expellit. Et hæc de intrinsecis medicinis dicta sufficiant,quare ad extrinsecas uenio.

Vltimo loco accidentibus succurrere debemus, nam aliquando sunt ita mala,ut ad se totam trahant curationem, sed in hoc casu,quoniam primam discrasiam dolores neruorum insequuntur, & tumores,& ulcera,dico ꝙ si adsint dolores, nullum præstãtius remedium esse potest,q̃ uti euacuationibus dictis, aut per uentris solutionem,aut per uomitum,quem magis laudo. Tumores uero dissoluantur cum cerato facto ex unguento diachilone cum gummis,unguento mollitiuo,& hyssopi cerato, horum partes æquales assumendo,easq́ in uase æneo ad ignem dissoluendo:& hoc ceratum ad magnitudinem tumoris supra corium extendatur. hoc uerò mirabiliter materiam induratam dissoluit, uel unguentum cum oleo chamæmelino,liliorum, uel cum tantundem pinguedinis gallinæ.ꝙ si istæ duricies magis ad maturationem tenderent, cum isto emplastro maturatiuo maturentur. Recipe mucilaginum altheæ,fœnugræci,seminum lini an. m.iiii. farinæ hordei ℥. ii.fermenti ℥.i.incorporentur ad ignem, postea addãtur assungiæ porcinæ ℥.iii.radicum liliorum alborum lixatorum numero.iiii. contundantur simul in mortario,& cum dictis incorporentur, & ponantur super tumorem,& hoc erit optimum maturatiuum.

Vlcera uero quæ fiunt,& à talibus tumoribus facta sunt, dimissis multis,quæ de his dici possent,mundificentur cum unguento damasceno,uel cum puluere rubeo, hunc ordinem semper tenendo.Videlicet in primis tentam ex filis factam imponendo unguẽto damasceno inunctam,uel puluerem desuper apponendo, postea applicetur unguentum mollitiuum,super pannum lini extensum,ut sæpe à me factum fuit.Quòd si ægritudo ad aliquam malignitatem deuenerit,augendo dolores,& alia accidentia, (ꝙ Dii sua pietate auertant) longum esset omnia ultima remedia scribere,quæ cum sint fortia,ad ea nisi coram prudenti, & in hac re medico experto non est deueniendum sed si inter cætera aliquid

agendum esset, potum decocti ligni indici plurimum laudo, his dictis reliqua missa facio, quoniam de reliquis rebus si opus erit per literas me certiorē facere poteris, ut quid agendū sit tibi consulere possim. Hæc igitur omnia (si recte inspiciantur) tria continent, hepatis. s. rectificationem, & materiæ frigidæ euacuationem, & accidentium (ut dixi) correctionem. Sed omnipotentis Dei filium ut te ab hac, & omni alia ægritudine liberare dignetur ego etiam atque etiam rogo. Vale. M D L V.

AD REVERENDISSIMVM DOMINVM Vincentium Nigussanum Episcopum, & c. Consilium de morbo Gallico.

EPIST. XX.



HIC morbus (Reuerendissime Domine) cum sit sæuus, & in ultima (ut ita dicam) malignitatis ratione positus, multos doctissimos Medicos, tam in ipsius cognitione, quàm in curatione fefellit. Quare non sine maxima reuerentia de eo loquar aut scribam, præsertim cum me hominem esse intelligam, qui in re tam ardua facilè decipi possum; diuina tamen misericordia confisus, & eius auxilio prius implorato, ne in uerbis moram facere uidear, aliqua (quantum in me erit) de eius essentia breuiter declarare conabor, eius postea integram curationem prolixiori sermone enarrabo, superflua tamen semper dimittendo.

Dico igitur ꝙ ægritudo ista (ut ueriori opinioni adhæream) est radicaliter in hepate toti corpori communicata, & per malam hanc hepatis dispositionem, ad frigiditatem, & siccitatem declinantem cum plurima humiditate & illa quidem cruda totum corpus per uenas præcipuè & arterias inficit, ita ut per malam digestionem multi mali humores generentur, qui postea aduruntur à caliditate aliorum membrorum, & fiunt maligni, per admistionem choleræ & aliorum humorum, ita ut non sine maxima difficultate, & fortissimis mediis corpus tali morbo affectum curari possit. Hoc certè Reuerendissime Domine fateor, ꝙ in reliquis ægritudinibus curandis nullum aut modicum laborem sentio, sed cum in tempestuoso istius ægritudinis pelago sum, semper

naufragium timeo:tanta est enim tenebrositas & aliorum humorum admistio,à qua diuersa accidentia proueniunt, ut sunt pustulæ,dolores,apostemata dura,& ulcera maligna, quæ omnia fiunt secundum maiorem uel minorem adustionem, uel humorum admistionem, uel maiorem uirtutis transmutantis, uel expellentis fortitudinem uel imbecillitatem;ita ut possibile sit, ut aliquando in ista ægritudine appareant tantummodo pustulæ, etiam in pauca quantitate;materia subtiliori & pauca existente, cum fortitudine uirtutis expulsiuæ eam ad cutem expellere potentis.Nonnunquam uero materia crassa est,& uirtus debilis, & eo tempore causantur dolores à materia in neruis imbibita, quæ ad ipsos pulsa iam fuit. Vel materia non expellitur à uirtute debili ad cutaneas partes,tam ratione crassitiei,q̃ debilitatis uirtutis, & agilitatis mēbrorum recipientium, ut sunt iuncturæ. Præterea apostemata à materia crassa cum uirtutis fortitudine fieri nullum dubium est. Vlceratio uero aliquando fit ab apostematibus his duris,aliquando a paruis pustulis,sed malignis, a qua malignitate appāret sæpenumero corruptio non solum carnis & neruorum, sed ossium etiam,ut est uidere in multis talem malignam ægritudinem patientibus.sed hactenus de essentia ægritudinis, ab accidentibus,& causis sumpta dictum sit. Venio ad morbum, quo in præsentia tua dominatio laborat,& cuius curatione te indigere nobis osten disti. Pateris igitur in præsentia ulcus in pollice digito malignum satis,atque formidandum, sed diuina miseratione iam iam remota esse malignitas nostris medicaminibus uidetur, ut mundificatio & ulceris cōsolidatio tantummodo relinquatur,quæ paucis(Deo dante)diebus absoluetur. Pateris insuper grauedinem siue dolorem brachiorum & spatularum grauatiuum, ita ut non libere sed cum difficultate brachia ad omnes partes moueantur, quod ego a materia iam dicta in neruis imbibita & ligamentis prouenire assero.quæ materia non solum sua crassitie & pondere liberum motum prohibet, sed etiam porositates obturando ne spiritus animales liberi suo officio fungi possint impedit, qui per poros transeundo motum præbent. Essent multa problemata soluenda,quæ ego breuitatis gratia dimitto, & ad partem magis necessariam uenio, quæ in conuenienti remediorum tractatione consistit.

Sed in primis operæprecium est uidere complexionem,& ip-

sam diligenter graduare ut docet Auic. prima 4.cap. 1. ut per sanitatem possimus cognoscere, quantum ægritudo a naturali sua constitutione sit elongata. Dico igitur qꝫ complexio est cholerica cum aliquali humiditatis accidentalis subdominio, & hoc claré est uidere membra principalia graduando. Nam cum caput sit satis magnum respectu corporis, & maxime secundum longitudinem, hoc super caliditatem attestatur, & quoniam in agibilibus (ut mihi uidetur) discursus, intellectus & solertia multa cum ingenii bonitate & iudicii ratione apparet quod a temperato calido prouenire certum est. Formositas & proportionalitas in ipsius capitis partibus supra temperatum attestantur. Color & extensio capillorum & pilorum barbæ qui ad rubedinem cum aliquali nigritia tendunt, hoc idem indicare uidentur. Præterea cor quod est principalissimum membrum calidæ & siccæ tẽperaturæ apparet, quod etiam ex latitudine & amplitudine pectoris coniicere possumus. Animi magnitudinem præterea agibilitatem, promptitudinem, faciei hilaritatem a sanguine calidissimo non pingui hæc prouenire certum est. Hepar uerò calidæ & non plurimũ siccæ est complexionis, quod per omnium membrorum tum longitudinem tum rectitudinem apparet, calidi enim est ascendere atque dilatare. & quoniam uenarum latitudo aut in membris pinguedo non apparet huiusce rei siccitatem in causa esse nemini dubium esse debet. Stomachus uerò est satis temperatus cum sit & satis carnosus, & bene circa suas operationes se habeat, optimè enim digerit optimeqꝫ sine malis accidentibus expellit. Quare concludendo dico, complexionem a temperamento iustitiali per caliditatem & siccitatem declinare. subdominium uerò humiditatis accidentalis fieri ab humiditatibus capitis, & a frigiditate hepatis acquisititia quæ in causa est ut multæ humiditates generatæ per uniuersum corpus spargantur, quæ ipsum accidentaliter humidum reddunt. Et ne superflua dicere uideamus applicando dico (ut docuit Galenus) quòd mensura distemperamenti per temperamẽtum cognoscitur; ita ut cum ægritudo non sit proportionalis ipsi temperamento maximè uerenda sit, cum difficilior sit curatu; quamuis ut reuera dicam & ratione ætatis, & paucitatis humoris, & temporis morbi sit minoris timoris, testante hoc ipso Galeno in Aphorismorum libris. Aetatem autem ipsam non solum pro applicandis remediis, sed etiam

pro prognosticatione considerare multum confert. Quare cum ætas iuuentutis sit, atque augmenti, in qua uirtus est fortis, ita, ut plus restauret q̃ sit deperditum, & ad alias etiam operationes ualidissima existat, cum præsertim omnium uirtutum & animalium & uitalium & naturalium adsit fortitudo atque bonitas. Virtus enim naturalis quamuis sit aliqualiter a frigiditate ista acquisititia impedita, sua tamen operatio satis bona apparet. Colligendo igitur dico ꝙ licet ægritudo non proportionata temperamẽto naturali sua malignitate & uniuersalitate sit timenda, ratione tamen paucitatis materiæ, & complexionis, à qua uirtus resultat, quæ est multum constans, & etiam ratione ætatis, non multum timoris nobis afferre uidetur. Virtuti enim forti nihil resistere posse pluribus in locis asseruit Galenus. Et hæc hactenus de ægritudinis cognitione, & causarum, accidentium & prognostici dicta sufficiant, ad particulare regimen deuenio. Aer in primis corrigendus erit, quoniam plurimum & ad conseruationem sanitatis & ad curam morborum facit, quia uelimus nolimus in eo manere oportet. Quare aer in caliditate & siccitate temperatus multum est necessarius ut est illa pars ueris quæ æstati appropinquat, quoniam dum est temperatus, & clarus, nec quid substantiæ extraneæ ei admiscetur, quod complexioni spiritus sit contrarium, sanitatem efficit ipsamq́ conseruat, quare in aliis temporibus alteretur, ut in hyeme cum igne, in æstate per aspersionem frigidorum, ita ut ad temperatum, & ad calidum & siccum declinans reducatur. In Autumno uero, quoniam uarius est, si frigidus erit, cum calidis, si nimis calidus, cum temperatis alterandus erit. Excessum autem caliditatis potius q̃ frigiditatis pati debemus, nam præter q̃ ꝙ frigiditas est inimica uitæ, fouet etiam morbum ipsum, atque causam. Domus ergo si fieri potest sit libera, soli exposita, & a paludibus, & aquis non currentibus longinqua. Præterea uestimentis tempestati idoneis se se induere conuenit, siue domi, siue foris esse libuerit, ut in hyeme uulpinis pellibus fulcitus esse, siue aliis æquiualentibus, minus in uere, atque autumno, sed secũdum temporis indigentiam, modo frigus ipsum procul habeatur. Tempus uero quo domo exire poteris, sit postquam Sol super terram per horam ad minus fuerit, ut a radiis solaribus malorum uaporum sit facta resolutio. In aere nocturno morari similiter malum esse semper duximus, quare ante Solis occasum per ho-

ram domum se recipere oportet, & ratio est, quoniam post Solis occasum aer impinguatur, & crassus redditur, & caput malis uaporibus replet, qui ad neruos postea, & spatularum iuncturas descendentes grauedinem & dolores augent. Quare ut curatio per contraria fiat (ut dixit Hippocrates) aerem ad caliditatem & siccitatem semper alterare oportet.

Secundo loco post aerem, administratio cibi, & potus secundum debitam qualitatem, & quantitatem, & tempus, est necessaria; diæta enim ex tribus est primum curationis instrumentum, sine quo alia instrumenta sunt uana. quapropter panis in primis sit ex tritico ab extraneis excrementis purgato, & bene fermentatus & mediocriter coctus ꝙ per diem coctus saltim manserit. Carnes conuenientes sunt, ut uitulina, hædina, & castrati unius anni ad minus boni existimantur, gallinæ quoque, capones, phasiani, perdices, turtures, turdi, merulæ, aues nemorales, quæ uisco capiũtur, & consimiles. Caro uerò bouina, quoniam est sanguinis melancholici generatiua, dimittenda est, pari quoque ratione dimittendæ sunt carnes leporinæ, ceruinæ, hircinæ, & his similes, quæ uenatione capiuntur, caro uero porcina semper est mala, & ideo dimittenda, & ratio est, quoniam semper sua humiditate, stomacho nocet & humores uiscidos generat, tam recens q̃ salita. Omnia similiter cibaria salita mala sunt, siue illa sint carnes, siue pisces, quoniam hepati nocent; præterea aues omnes, tam domesticæ q̃ syluestres, in aquis degentes, ut anseres anates, & huiusmodi nullo pacto sunt bonæ, quoniam duram carnem & melancholicam, & concoctu difficilem habent. Columbæ etiam sunt dimittendæ, quoniam ebullitionem in sanguine faciunt. Quòd si aliquando carnes inter uenandum captas comedere libet, sint illæ ex cuniculis, ceruibus ualde iuuenibus, & uiuentibus leporibus, sed eas quoniam melancholicum sanguinem generant, melius est dimittere. Notandum tamen, ꝙ satius est, maiorem carnis q̃ panis quantitatem comedere, quoniam in habentibus symbolum facilior est transitus. Et Auicenna in præallegato loco dicit, impedimentum panis cum non digeritur multum etiam, & carnis esse minus. Oua etiam sorbilia (mane præsertim) sunt bona, ꝙ si alio modo comedantur sint tremula, non indurata, & succo uuæ acerbæ cum fœniculo bullito, uel succo aranciorum aspersa. Caseum autem & propter eius uiscidítatem, & propterea ꝙ humo-

res melancholicos uiscidos generat non laudo. Lacticinia etiam omnia quoniam humores uiscidos generant, mala sunt. Quod si aliquando comedantur, ut puta caseus, sit ille uetus, & parum salitus. Pisces omnes quoniam frigidi sunt, ideo dimittendi. q; si aliquando ex illis comedere placuerit, in parua sint quantitate, & ex illis qui in aquis claris degunt, nec sint uiscosi, sed squammosi, ut sunt auratæ, barboni, scorpiones & sint assi magis q̃ elixi, quoniã inter assandum, humiditas illa quæ concoctu est difficilis consumitur, sed pisces dimittere melius esset. Fercula sint ex farre cum amygdalarum succo, uel ex carnium brodio, panatellam etiã multum laudo, & maximè in sero & brodium cicerum rubeorum, & dictarum carnium, aliquando simplex, aliquando cum ouorum uitellis mistो, cum modica agresti quantitate. Orizam autem aliquando sed raro comedere poteris, quæ tamen optimè decocta sit, & ut eius tollatur uentositas, cum cinnamomo simplici, quod stomacho confert, aspergatur, sit tamen illud in parua quantitate. Olera uero illa, quæ bona existimantur, sunt ut, blitæ cum endiuia, buglossa, boragine, fœniculo. Poteris etiam aliquando fercula cum cinnamomo aspersa comedere, nam frigida sunt, ut eius frigiditas temperetur. Omnia alia legumina, & olera ferè, sunt mala, ut faba, phaseoli, caules tam albi, q̃ rubei, & uirides. Cappares cum agresto & saccharo conditi sunt boni. Condimenta, siue sapores qui sunt conuenientes sunt, ut sapor cytoniorum cum cinnamomo, & amygdalis, & petroselini, succo & menthæ aspersus, & uuæ quidem, & consimilium, in quibus gingiber, piper, & huiusmodi alia non ingrediantur. Sapores alii ex sinapi, alio, & nucibus, pipere, gingibere facti, omnes mali existimantur, & ideo dimittantur. Vsus etiam specierum gingiberis, & piperis, malus est, & consimilium. sed si opus fuerit, cinnamomo simplici, quoniam stomachum roborat, & hepar uirtutemq; digestiuam adiuuat, & omnes opilationes aperit, uti poteris. Confectiones, ut amygdalæ, coriandri, pineæ, anisi, & placentæ saccharo & amygdalis confectæ, comedantur. Condita uero sint ut pira cytonia, citri myrobalani, chebuli, & consimilia.

Fructus uero non sunt boni, quoniam ut plurimum sunt frigidi & quoniam dicebat Auicenna cap. de eo quod comeditur & bibitur, fructus non esse bonos nisi laboriosis & exercitatis, & ratio est, quoniam humores ex ipsis generati sunt corruptibiles, tamen ma-

men mala granata dulcia & mida. Vua matura, amygdalæ, fistici, passulæ, & talia aliquando sunt eligenda, sed auellanæ quoniam duræ sunt digestionis, & caput multis uaporibus replent, ideo malæ sunt, & alii fructus similiter, ut chrysomala, persica, cerasa dulcia. ficus uero tam recentes, q̄ sicci, quoniam faciunt in sanguine ebullitionem, & humores uiscidos generant, ideo sunt dimittendi, recentes tamen minus nocent. Vsus limoniorum: citruli, & cucumeris, multum sua frigiditate stomacho nocet, & etiam ægritudinem fouent. Hoc etiam de ipsis ferculis addam ne quicquam deesse uideatur, quod fercula alia ex ouis, caseo, lacte, & butyro, raro sunt comedenda, quoniam propter eorum uisciditatem maxima cum difficultate digeruntur, ꝙ si comedantur sint saltem in parua quantitate. Notare etiam conuenit, nil esse ex Auic. sententia, tam digestioni contrarium, quam cibaria diuersarum facultatum eadem mensa assumere. etenim præterquam quod fatigant stomachum, duplici etiam de causa ipsi nocent, altera, quoniam propter eorum in digerendo diuersitatem, quod ex illis est digestum, ei quod indigestum est admiscetur: & altera est quoniam ex illis plusquam ex unico cibario comedi potest: laudat Auicenna fercula unius generis, tam in mane, q̄ in sero, quoniam contentus sis unico tantum cibo, & cibaria omnia bene masticentur, est enim masticatio quidem utilis, atque necessaria ad primam digestionem præparatio, quæ fit in stomacho. Hora uero comedendi in mane, sit hora tertia diei, cum comedendi desiderium insurgit, & hoc quoniam stomachus est melius dispositus, a calore per concentrationem in somno noctis factam adiutus, & ideo superfluitates melius consumit, & digestionem complet, ita ut in mane stomachus sit uacuus, & calor nondum sparsus cibaria melius amplectitur & melius digerit: Cœna uero sit minor prandio, & sit ad minus per octo horas post ipsum prandium. Nox uero est mater humiditatum, & calor non potest perfecte digerere præsertim in prima noctis parte & superfluitates expellere, uel consumere. Sed quia dixit Auerroes primo physicorum, consuetudinem esse alteram naturam, ideo secundum cōsuetudinem patriæ, & domestici moris, potest augeri uel minui, nam dixit Hippocrates ꝙ dandum est aliquid consuetudini, & hoc multum refert. Potus uero sit ex uino neque recenti neque etiam nimus uetusto, sed sit ut docet Auicenna cap. de regimine

aquæ & uini, medium inter recens & uetustum, clarum non multum album, quoniam prouocat humores ad neruos, neq; sit multum spissum, quoniam cum difficultate digeritur, & caput multis uaporibus implet, sit ergo medii coloris boniq; odoris atque saporis, non ualdè dulce, non ponticum, neque uinosum, aut magnum, nam dulce hepati nocet, uinosum uerò opilationes generat. Quòd si uinum paruum haberi non posset, lymphetur cum aqua dulci, quæ clara sit, non putrida, neque paludosa, sed sit ex puteo, uel flumine claro, qui per lapides currat, aut ex fontibus claris. quòd si talis non inueniatur, decoquatur illa quæ haberi poterit ad ignem, ut remoueatur ob decoctionem mala putrescibilis qualitas, & rectificetur. Temperatè præterea est bibendum, neque audiendi sunt illi, qui multum potum, & uina uinosa huic ægritudini conferre pronunciare audent, hæc enim sunt uerba fatuorum, & impudentium hominum. sed quoniam sine potu benè nutriri non possumus, ideo ut faciliter cibus penetrare possit, & nutrire, temperatè bibere oportet, ut cibus humectatus facilius digeratur, atq; distribuatur, parcè autem, & sæpius bibere, q̃ multum, & rarò conuenit. A prandio autem bibere semper malum est, & ideo dixit Auicenna, uinum post cibum opilationem causare, quoniam indigestos cibos penetrare facit. post cibum igitur coriandri, qui & stomachum confortant, & caput, & digestioni fauent comedantur. Repletio tam cibi q̃ potus est mala, nocet enim stomacho, hepati, & omnibus uirtutibus, ita ut uirtus ita oppressa morbo succumbat, quoniam ut dixit Galenus uirtus est contraria morbo, ut dicam in medicamentorum regimine. & maior est hæc læsio in corpore non sano: dixit enim Hippocrates impura corpora quanto magis nutries, eo magis lædes. Multa etiam inanitio nocet, quoniam uirtutes omnes imbecilles reddit etenim in fame calor in radicalem humiditatem ipsius stomachi agit, & ipsum debilitat: cumq; nutrimenti sit principium, error ipsius non corrigitur ab aliis membris, quare in hoc maxima diligentia est exhibenda, ne cibus dimittatur, neque superfluus accipiatur. De Somno & Vigilia cum ex sententia omnium medicorum uirtutes omnes per somnum roborentur, & per uigiliam dissoluantur, dormire conuenit horis præsertim nocturnis sed nõ sit octo horarum spacio lõgior. diuturnus enim somnus multum nocet, cum extraneus humiditates generet, a quibus stomachi, &

hepatis infrigidatio sequitur, etenim caput in longo somno multis, hisq; malis uaporibus repletur. præterea a cibo dormire plurimum nocet, quia catarrales ægritudines generantur, & in causa est, ut cibus indigestus penetret, & colorem bonum tollit. ergo per duas horas post cibum ad minus dormitum ibis, primumq; super latus dextrum dormire conuenit, deinde, super sinistrum per aliquot horas, quia digestio adiuuatur, ultimo super dextrum reuertere, ut melius digestionem stomachus efficiat: sed longe melius est, super uentrem incipere. Dictum est etiam q; superfluæ uigiliæ multum nocent, destruunt enim calorem naturalem, & omnes uirtutes, quare melius est in superfluo somno, q̃ in superflua uigilia ut dixit Auerroes peccare, cum per somnum uirtutes fortitudinem acquirant. sed extrema omnia sunt semper uitiosa. & ideo omnia medio modo, & temperate sunt molienda.

Exercitium est multum conueniens, & maxime ante prandium, & cœnam per horam; sit tamen temperatum, & usque ad sudorem inclusiuè, ut est parua incesio in loco plano, non montuoso; labor enim cum sudore, inflammat, & corpus dissoluit, caloremq; stomachi innatum debilitat, sed temperatum exercitium calorem roborat, & superfluitates, quæ sunt in stomacho dissoluit, spiritus excitat, opilationes aperit, & tandem stomachum ad cibi amplexionem præparat, ita ut inter causas sanitatis conseruantes, & ab ægritudine præseruantes, exercitium sit nobilior & dignior causa. Quies multum hoc pacto laudatur, a cibo. s. assumpto per duas horas quiescere, ne calor ob motum per corpus spargatur, & digestionem derelinquat; quare cum per quietem perfecta digestio compleatur, ideo ante digestionem multo exercitio uti non est bonum, quoniam in causa est ut cibus indigestus ad intestina descendat. Literarum exercitium a prandio statim, est dimittendum; sed hora studendi sit matutina, quoniam in illa hora depurati sunt spiritus, & iam completa digestione melius & sine nocumento fit. Frictiones quæ exercitii uicem subeunt, sunt dimittendæ, nam ubi quis incedere potest, & exerceri frictionibus non eget. sed caput singula hebdomada lauare, multum ego quidem laudo, & hoc cum lixiuio calido, quoniam caput confortat, & superfluitates humidas resoluit. De exercitio paruæ pilæ taceo, quoniam omnibus notum est, quantum pro conseruatione sanitatis iuuet, ut testatur Galenus in libello de exercitio paruæ

ſphæræ,utcunque tamen exercitium ſudorem non tranſeat.

Bona animi accidentia calorem innatum adaugent,qui ad conſeruationem ſanitatis,& ad ægritudinis remotionem eſt animæ inſtrumentum ; quare bonum eſt lætari ut teſtatur Hippocrates in eo Aphor.in quo ad uerbum dicit in omni ægritudine confortari mente,& bene ſe habere ad oblationes bonum,contrario autem,malum ; & mala animi accidentia , ut triſtitiam & anguſtias perquirere.de quibus Galenus tertio Techni , mala animi accidentia corpus extenuant,& eum a propria & natiua conſiſtentia mutant.quare ut dixi bonum eſt lætari , & eſſe ſæpe cum amicis, & domeſticis,cognatis,& aliis,cum quibus tibi eſt beneuolentia, & res riſu dignas,ut ſunt facetiæ,& lætæ confabulationes,& canere , & cantantes auſcultare . Citharam pulſare , uel alia muſices inſtrumenta;& tripudiis,& ludis & cõſimilibus intereſſe,quoniam ſanguinem clarificant,animam dilatant,ſiue ſpiritus , a quibus omnes proueniunt operationes . E contra uero fugienda eſt triſtitia,quæſtiones difficiles , lites,rixæ , controuerſiæ, clamores, ira,longa mora inter dolentes,atq; flentes , & huiuſmodi reliqua; quoniam ſanguinẽ turbant,& ſpiritum,& digeſtionem prohibet.

Coitum poſtremo loco inter non naturales res ponere digna res eſt,qui ſemper eſt fugiendus,quoniam ſummopere tali ægritudine affectis nocet,ita ut multi putent hominem non niſi a coitu infici poſſe,quod quamuis coeundo id facilius accidat,ſine coitu tamen poteſt quis in talem ægritudinem incidere.tanquam uenenum igitur eſt dimittendus,præſertim ille , qui ui eſt excitatus, aut aſpectu alicuius pulchræ mulieris,uel a blanditiis,tam extrinſecis,ꝙ intrinſecis,quorum recordatio moleſta eſſe ſolet,& hæc de rebus non naturalibus dicta ſufficiant.

Viſo ſuperius regimine ſex rerum neceſſariarum & aliis,quæ conſideranda erant,nunc ad medicinale regimen deuenire oportet,& quoniam ſanatio per ea quæ de ſex rerum non naturalium regimine dicta ſunt,non ſemper fieri poteſt ; ſed pharmaca ipſa, & manuum aliquando operatio ſæpe neceſſaria ſunt , ut teſtatur Auicenna in canticis,ideo primum ad internas medicinas deueniemus,in quibus duplex nobis occurrit intentio , aliquando enim ne corpus ad deteriorem deueniat diſpoſitionem præſeruare ſolemus,aliquando uero perfectæ materiæ ægritudinis eradicationi incumbimus . quod ſi primum quæritur , hoc per aſſum-

ptionem pilularum fœtidarum, & de fumoterræ aliquando fieri solet, bis. s. eas in mense accipiendo, quarum dosim in cura eradicatiua ponam; per assumptionem etiam electuarii lenitiui, uel confectionis hamech, eorum partes æquales accipiendo, fieri potest. si autem eradicitus morbum tollere quærimus, hoc multis remediis nostra tempestate fieri solet; & frequenti in primis corporis euacuatione, quam minoratiuam uocant, quæ materiam peccantem respiciat, hoc dico, quoniam aliter in acutis fit ægritudinibus, in quibus minoratio ista fit in uiis cōmunibus; aliter in chronicis, in quibus materiæ de nouo regenerantur, & ideo oportet simul & semel minorare & euacuare. Alio pacto fit cum suffumigiis & inunctionibus eradicatiua curatio, quem curationis modum in præsentia non laudo. Vltimo loco est ligni indici decoctionis assumptio, ad cuius declarationem deuenio.

De euacuatione in primis dico; quod raro per solam euacuationem morbus hic remoueri uisus est, dico raro, quia & si aliqui sanati sint, pauci tamen fuerunt, & materia subtilis erat, atque pauca. In tali igitur ægritudine & si ex toto materia non esset digesta, uacuare debemus, & tunc præcipuè, cum regenerationis materiei post aliquas euacuationes signa apparent, quæ signa sunt perseuerantia dolorum, tumorum, pustularum, & ulcerum malignitas, nam crebra euacuatio minoratiua, in materia crassa quamuis non sit digesta, humorum frigidorum regenerationem, & multiplicationem prohibet. si igitur per euacuantia curationem magis desideras, cum minoratiuo electiuo per tres aut quatuor ante prandium horas hoc pacto fieri poterit. Recipe electuarii lenitiui confectionis hamech an. ℥. s. agarici præparati ʒ. i. s. fiat bulus cum saccharo, uel per æqualem portionem aquarum endiuiæ, & fumiterræ quantum sufficit fiat potio, horis superius dictis assumenda. Potest etiam hæc minoratiua euacuatio per pilulas fieri quamuis non ita bene, uerbi gratia, Recipe pilularū fœtidarum ʒ. i. de fumoterræ ʒ. s. fiantq́; pilulæ. v. per quinque horas ante prandium sumendæ. facta huiusmodi euacuatione minoratiua, quoniam dixit Hippocrates concocta medicari, & mouere non cruda, ideo aliqualis digestio est necessaria, non dimissa iam dicta euacuatione, quare hoc fieri laudo cum syrupis & decoctione epithymi Mesuæ, in suo antidotario septima distinctione scripta, cuius multas Mesues uirtutes enarrat, præter quas multas alias ex ingredie-

tium uirtute,& quotidiana experientia ipsa habere scimus, nam digerit materiam frigidam tam phlegmaticam, q̃ melācholicam, in neruis & iuncturis, & in quacunque corporis parte imbibitam,& id sine molestia.hoc idem dico de confectione hamech, superius dicta. Digestiuum uero sit tale in aurora sumendum.

Recipe decoctionis epithymi Mesuæ ℥.iii.s. syrupi de endiuia, de fumoterræ, de stœchados an.℥.s. misce, & fit prandium post quatuor ad minus horas ab assumpto syrupo qui sumatur per quatuor aut quinque dies.postea cum electuario lenitiuo & confectione hamech superius dicta euacuatio reiteretur, & sic per multos menses procedendo beneficio pharmacorum à tali ægritudine liberari poteris. Quòd si quis siue doctus medicus, siue expertus empiricus, per fortia medicamenta ab ægris sumpta hoc faciendum suaderet, eorum consilium est omnino fugiendum,quoniam & si natura horum humorum forti indigeat medicamine:tamen uirtus hoc tolerare non posset, & maius esset nocumentum q̃ iuuamentum;& inde factum est, ut multi post fortia medicamenta assumpta,deuenerint ad deteriorem dispositionem,quia membro debili facto,neque superfluitates rectificantur neque segregantur aut expelluntur,sed remanent,& sunt in causa deterioris ægritudinis. Apud practicantes an phlebotomia competat, non ignoro multas opiniones adesse, quas breuitatis gratia dimitto.Et consideratis his, quæ tam de morbi essentia, q̃ de tempore,complexione,ætate,& aliis consideranda erant, resolutè dico,phlebotomiam non solum in hac ægritudine utilem esse,sed etiam necessariam;quoniam euacuat in primis omnem materiam,quæ cum sit per uenas magnas sparsa, tantò utilior immo cæteris nobilior erit.Inquit enim Auic. phlebotomiam uniuersalem totius humorum massæ euacuationem esse, & eorum qui in hepate generantur,& aliis in locis continentur, & ut ipse in proprio capite testatur,melancholicis ægritudinibus plurimum confert.quare facta semel minoratiua euacuatione, transactis tribus aut quatuor diebus,uena hepar respiciens secetur, siue basilica dextri brachii,& in hora diei frigidiori per duas horas ante prandium quinque uel septem sanguinis unciæ extrahantur. In die uero phlebotomiæ domi quiescere oportet,neque ambulare,neque alio pacto exerceri,ne humores ad motum excitētur, eadem regula in die assumptionis lenitiui pharmaci seruanda erit.& hæc

phlebotomia pluries,ut bis in tribus mẽsibus,uel quater in quinque,fieri poterit;si sola intentio fuerit, materiam cum pharmacis & aliis euacuantibus eradicandi.Notare etiã conuenit, quod uomitus in omnibus neruorum ægritudinibus confert, & etiam in frigidis,ut sunt melancholicæ, & phlegmaticæ ægritudines, & hoc non solum experimento apparet, sed etiam omnium, tam antiquorum q̃ neotericorum medicorum auctoritate. quare si ille sine angustia,atque dolore fieri posset, plurimum eum laudarem;& maxime in mane,digitum in os imponendo, uel pennam oleo illinitã.superfluitas enim difficilis digestionis melius a propinquis q̃ a remotis partibus educitur. Et quoniam medicamina soluunt stomachum,& alia membra laxant, ideo post aliqualem euacuationem stomachum roborare,& confortare conuenit; & si bis uel ter exempli gratia cum iam dictis medicinis euacuatus fueris,confortetur postea stomachus, & hepar per assumptionem diarhodonis Abbatis a Nicolao descripti; & aromatici rosati,& per duas ante prandium horas altera diarhodonis abbatis,altera aromatici rosati rotula assumatur. Ista stomachum confortant,hepar,cor,& cerebrum, digestionem uigorant, atque calorem innatum conseruant.& hoc satis sit de cura per medicinas ut dixi. Practici non nulli solent talem ægritudinem per suffumigia ad totum corpus euaporantia curare, & quoniam est medicamen ualde forte,& quod non debet nisi fortibus hominibus & in ultima ægritudine,propter eius fortitudinem, & modum applicationis propinari,ideo nil de modo ipso utendi dicam,sed sat sit te scire hunc sanandi modum mihi non esse ignotum. Tertius modus eradicationis per illinitiones iuncturarum, cum unguento,siue linimento ægritudini appropriato excogitatus fuit, quem modum,si a prudenti,docto,& experto Medico fiat, cæteris omnibus longè meliorem esse fateor;nam unctiones istæ materiam euacuant,quæ in membris longinquis fixa est, ut sunt musculi,nerui,atque iuncturæ,ipsamq; digerunt,subtiliant, atq; per insensibilem euaporationem resoluunt, ut sæpe in actu practico uisum est.quare melior apud me,securior,& certior huius morbi eradicatiua medicina hac excogitari non potest,neque ab alio inuenta fuit.Neque unctiones istæ sunt (ut multi falsò putant) denuo repertæ,sed ab antiquis medicis acceptæ,& ab antiquis in cõ similibus dispositionibus laudatæ. Quare cum (Diis benè fa-

uentibus) dominatio tua ligni indici decoctum assumere decreue rit, si post dictam assumptionem (quod Deus sua pietate auertat) in recidiuam incideris, nulla alia medicina, q̃ hoc unguento te uti hortor, seu his unctionibus. sed quoniam a leuioribus semper est incipiendum, ideo de assumptione, & regimine istius ligni decoctionis, quae leuior est medicina, dicam, & ultimo loco postea de regimine unctionum. In primis igitur omnes qui hoc ligno utun tur, siue hac ligni decoctione, illud lignum eligunt (quod magnũ est) & quod plurimum medullae, & partis nigrae habet, & radicibus sit propinquum, ita ut huius ligni conditiones sint, eius magnitudo amplam medullam habens, atque nigram; & radicibus eam partem ligni qua in decoctione utimur propinquam. Cuius ligni uirtutes (ut ab effectu apparet) & a colore, atque sapore sumi potest (iuxta principis secundo Canonis documenta) & Galeni in de simplici medicina, calidae sunt, & aperitiuae, & urinarum atque sudoris prouocatiuae, & aliarum etiam superfluitatum resolutiuae, & huius ligni substantia in brodio, uel in forma electuarii sumpta (ut dicturi sumus) est uentris solutiua. Quantitas huius ligni sex librarum ad minus est necessaria. hoc dico, quoniam & si aegritudo esset leuis, noua, & pauci ut ita dicam momenti, tamen bis in die per mensem integrum dictam decoctionem sumere ad minus oportet, quare minor hac quantitas sumi non potest. Ex isto igitur ligno in dispositione tuae Reuerendissime dominationis. x. libras magnas sumere est necesse, nam uendentes ipsum nõ aromaticorum pondere illud ponderant, sed statera grossa uulgari uocabulo dicta. quod lignum per limam, aut raspam in subtilissimum puluerem redigetur: cuius pulueris libra una sumetur, & aquae fontium librae 14 uel maior quantitas si opus erit, & postquam in olla terrea per diem atque noctem infusa erit, igni apposita ad consumptionem tertiae partis bulliat. Ignis sit clarus, & sine fumo purus, atque pauca flamma, & assidue decoctio instrumento ligneo, nõ aeneo aut ferreo despumetur, & spumam oportet seruare, nam si hac eo tempore quo decoctionem hanc bibes tumores dolorosas, pustulas, & ulcera inunges multum illa quidem proderit. Facta uero dictae decoctionis per ebullitionem tertiae partis consumptione, per diem quiescet, & postea diligenter seruabitur postquam optime colata fuerit; & haec aqua quam primam uocant sic purificata in uase uitreo uel uitreato bene clauso

seruabi-

seruabitur. & hoc est decoctum primum, quod bis in die, tã mane q̃ sero, bibere conuenit. Lignum uerò quod semel bullierit, super posita tanta aquæ quantitate, quanto superius posita erat, in infusione ut prius maneat, & igni lento appositum ad consumptionem tertiæ partis ut prius bulliat, & colatum in uase uitreo uel terreo uitreato seruetur. & hoc est secundum decoctum quod in prandio & cœna & interdiu & noctu quoties sitis aderit bibere expedit. Et interim dum bibitur aqua, præparetur alia pulueris ligni libra, & postquam in infusione debito tempore permanserit, ut prima decoctio bulliat, ut dum alia inter bibendum consumpta fuerit decoctio, hæc præstò sit, ut nulla dies sit in qua hæc bibendi ratio omittatur. Notare tamen operæpretium est, quò magis bullierit aqua, eo excellentiorem operationem operabitur, maiorisq; uirtutis, atque efficaciæ erit. omnia tamen moderatè & medio quodam modo sunt molienda. De ligni præparatione dicta hæc sufficiant, atque de corporis præparatione nunc dicam: necessarium enim est priusquam decoctum assumatur, ut corpus purgetur, ita ut a superfluitatibus nudum efficiatur, ne per istius aquæ penetrationem mali humores per uenas & porositates ad neruos, & iuncturas ducantur, & maior fiat constipatio, neque aquæ uirtutem penetrare patiatur. Quare in primis per quindecim dies ante assumptionem decocti ligno guaiaco corpus istis medicinis purgetur: prima quarum recipit, electuarii lenitiui ℥.i. Confectionis hamech, agarici præparati an.ʒ.ii. misce & cum saccharo fiat bolus, & per tres ante prandium horas sumatur. Et quoniam ex Hippocratis sententia concocta ut diximus medicari oportet, ideo in sequentis diei aurora tale digestiuum calidum sumatur. Recipe syrupi de endiuia, de fumoterræ, de epithymo, de stœchade an.℥.s. aquarum endiuiæ, fumiterræ, iuæ an.℥.i. misce & sumatur per quatuor horas ante prandium ad minus, & sic per quatuor dies procedere oportet. Quinta uerò die, uena media seu dextri brachii communis secetur, & sex sanguinis unciæ extrahantur, & duabus post horis sumatur prandium, & septimo deinde die octauo & nono, digestiuum superius dictum accipies. Decima uerò hoc euacuatiuum pharmacum assumes. Recipe electuarii lenitiui ʒ.vi. Confectionis hamech ʒ.iii. agarici præparati ʒ.i.s. misce & cum saccharo fiat bolus, uel cũ aquarũ endiuiæ, de fumoterræ & iua fiat potio, & per sex ante prandium horas

sumatur; Vndecima die brodii cum saccharo cyathum accipies, quod erit lauatiui loco. Duodecima uero die & aliis,(usque ad quintum decimum) diebus dicti syrupi digestiui in aurora sumātur. In sexta decima bolus prius descriptus per quatuor ante prādium horas sumatur, per duos postea dies quiescere est bonum. Et octauo decimo die aquam ex decoctione ligni bibere incipies. sed notandum ꝙ in thalamo optime concluso esse oportet, in quo si frigus erit, cum igne ad calidum alteretur, aut cum stufa, ita ut nullo pacto frigiditas sentiatur. si æstus similiter multus affuerit, cameram cum frigidis aliqualiter, alteretur oportet, neq; ex ea donec ex toto ægritudo sit consumpta exire oportet. Melius est etiam, & tutius superflue calefieri q̄ infrigidari, quoniam calido uiuimus, & Arist. dixit ꝙ quicquid agit anima igne agit id est calore naturali, cuius extinctionem & refrigerationem nimiam mors insequitur. Facta igitur iam dicta euacuatione, & thalamo clauso præparato, ne uentus ingrediatur, sed igne procul frigus habeatur, primæ decoctionis calidæ cyathum in aurora sumes, postea pannis optimè coopertus in lecto manebis, & si fieri poterit, sudabis, & post talem decocti assumptionem transactis sex horis prandium assumes: quod erit ex paruis pullis, gallinis elixis, & pane benè fermentato, qui sit ponderis quatuor, uel quinque unciarum, potes etiam assatum pullum comedere, & si parui pulli non inueniantur, aliquid simile his est comedendum, ut sunt perdices, turdi, & caro uitulina, uel hædina, quatuor uel quinque unciarum ponderis. Et post septem a prandio horas ad minus alium cyathum dictæ primæ decoctionis calidæ in sero assumes, & coopertus in lecto sudabis, & si nihil in sero comedes melius erit. quòd si sine cibo stomachus esse non tolerat, duos panis bolos & nihil aliud sumes. Potus uero (si sitis adest) tam in prandio q̄ extra, & interdiu, & noctu, sit aqua secundæ dicti ligni decoctionis, quam ad libitum bibere poteris. & sic per uiginti saltem dies facere oportet, quibus transactis, cibum non augere, sed partiri hoc pacto poteris; duas dicti cibi partes in mane sumendo, & unam in sero, & sic meo quidem consilio usque ad quinquagesimum diem procedere oportet, in mane & sero dictam primam aquam sumendo, neque ullus dies sit sine eius potatione Potus uero, cum sitis adest, sit secunda aqua. neque ullo modo uinum bibere oportet, sed hæc summa ut dixi diligentia sunt ob-

seruanda, quoniam aliter in deteriorem dispositionem fortasse incideres. neque in medio itinere deficere oportet, quia omnes qui ita fecerunt non sunt curati, sed sunt non nulla dubia deceptoria, quæ posset aliquis contra nos adducere, ideo soluo ipsa. Et primũ inquit Hippocrates in Aph. quod in diuturnis ægritudinibus, & in acutis, in quibus non conuenit tenuis diæta est difficilis, & cum ista sit ægritudo longa, apparet supra dictam diætam non competere. cui obiectioni sic respondere oportet, ꝙ in ista ægritudine, quæ est ex genere repletionis malorum humorum frigidorum per indigestionem causarum, dicta tenuis diæta loco euacuationis se tenet, teste Galeno secundo commẽto 4. Aph. ubi dicit ꝙ abstinentia cibi totum corpus æqualiter purgat, & sic est conueniẽs, neque dicta Hippocratis his contrariantur quæ diximus quia loquitur de ægritudinibus longis uirtutem prosternentibus, ut est febris. Præterea dico ꝙ dicta hæc diæta est conueniens, quia uirtus est illa, quæ ægritudinem sanat; & cum multus cibus uirtutem impediat, quæ est contraria morbo, ut dixit Galenus, in digerendo ipsum, ita ut non agat contra ægritudinem. Abstinentia igitur cibi est multum conueniens, quia uirtus non impedita omni conatu ægritudini resistit, & malos humores, adiuuante aliqua Medicina, ut est aqua ista, expellit. Dicit nanque Galenus prima Aph. commento 9. infirmum taliter esse diætandum, ut uirtus nõ morbus nutriatur, & cibus est naturæ inimicus, cum sit amicus morbo. Præterea secunda aqua, quam dum comeditur & dum adest sitis, bibere oportet, est spissa, atque crassa, & nutrit, quare & si habeat aliquam amaritudinem, ipsam dum sities bibere debes, & quia nutrit, & quia morbo est contraria, expellendo materiam, & membra confortando. sed quoniam his qui nimium sudant, atque mingunt, feces retinentur propter siccitatem in intestinis factam; ideo si uẽter exsiccatus fuerit, & beneficio corporis careas, uti debes clysteri aliquando communi, quod sic fiet. Recipe aquarum decoctionis maluæ, uiolarum, & sicla lib. i. olei communis ℥. iiii. mellis cannæ ℥. ii. salis communis ℥. ii. misce & in mane ante prandium imponatur. Vel etiam sumere potes pilulam unã aloes loti ante prandium per horam. Vel puluerem istius ligni ad pondus duarum drachmarum cum brodio pulli, & saccharo assumes, quoniam uentrem soluet. Vnum aliud nota ꝙ per thalamum deambulare potes, sed extra illum nequaquam egredi de

bes. Vltimo sciendum quod uigilia confert magis quam somnus, ideo diurnum somnum non laudo, nisi uelis sudorem prouocare, quod facilius fit in somno; sed bonum est esse cum amicis, & gaudere. In nocte bene dormies, ut uirtus restauretur. Dolores, tumores, pustulæ, & ulcera si affuerint, ea spuma quam in prima decoctione seruaueris, inungantur. Transactis quinquaginta diebus ad primam consuetudinem sanitatis paulatine est deueniendum, quoniam natura non tolerat repentinas mutationes; ideo non immediate ad consuetam cibi quantitatem accedere oportet, sed pedetentim carnes, atq; panem augere. Vinum prius sit bene lymphatum, postea minus, ita ut corpus cum mediocritate quadam ad pristinam reducatur consuetudinem. Quod si omnia ita canonice facta fuerint, nulli dubium est, quin pristinæ sanitati sis restituendus, quam Christus Dei filius sua pietate tibi concedere dignetur.

Reliquum est ut curam unctionum, quam dimisi uideamus, quam multo ego quidem laudo tanquam ueriorem. Factis igitur euacuationibus iam dictis, & phlebotomia, & facta materiei per syrupos ut dictum est præparatione, & aliis omnibus quibus corpus ante assumptiouem aquæ ligni indici purgare oportebat, omnes brachiorum, atque pedum iuncturas isto unguento inungere oportet. Recipe assungiæ porcinæ, gallinæ, anatis an. ℥.iiii. Mercurii ℥.iiii. olei masticini, de lilio, unguenti populeonis ℥.s. lithargyrii ʒ.vii. Cerussæ ℥.i. saluiæ pulurizatæ, olibani, masticis theriacæ ana. ʒ.iiii.s. aquæ ardentis parum, misce & fiat unguentum in mortario, illud cum pistello bene agitando, Ex quo inungantur omnes iuncturæ in sero tribus post cœnam horis, & desuper pone stupam cannapinam & alligetur bene. Postea cubile ingredere, & bene coopertus, per horam si fieri poterit sudabis, & ad libitũ dormies. Et sic omni sero ungere oportet donec gingiuarum in ore alteratio, & non corruptio, siue oris fœtor apparuerit. Quod signum est materiei ad stomachum per secretas nobis, & occultas uias, naturæ autem notas, currentis; & ideo alterato ita corpore, mali humores digesti, & præparati ad expulsionem a qualitate talis unguenti, a uirtute expelluntur ita ut (si nullus error contingat) fiat perfecta huius morbi curatio, ut in multis iam uisum est. Et quoniam a tali unctione oris ulcera subsequi solent, & sputum quod est materia, ex qua causantur dolores, &

alia accidentia. Ideo si hæc acciderint fiat decoctio ex hordeo & aqua cum qua os lauare multum confert; sed ad maiorem qui in ore sentitur ardoris extinctionem, parum in dicta aqua diamorhonis poni potest, & cum dicta hordei, aquæ, & diamorhonis decoctione os abluere. lac etiam calidum ad sedandos dolores plurimum confert. Et exterius genas atque maxillas inungere cũ oleo rosato prodest, & sic facere donec os perfecte sanatum erit. & in fine postea has pilulas assumes. Recipe pilul. cochiarum ℈.ii. de fumoterræ ℈.i. fiant pilulæ iii. duabus post cœnam horis sumendæ. Et quoniam iuncturæ ab hoc unguento sordidæ remanent, eas aliquo modo lauare non oportet, sed pannis lineis sæpe abstergendo, & non multum fricando, eas mundare, ne iterum materiæ ad iuncturas descendant, uel per totum corpus spargantur sanitate per iam dicta auxilia acquisita, siue per euacuationẽ, siue per assumptionem ligni indici decocti, siue per unctionem, cõfortare hepar, & alia membra principalia, res est multum laudabilis, qui aliter faciunt, ut inquit Auicenna in de regimine recidiuationis, periculum est ne in pristinam deueniant ægritudinem. quare confortetur stomachus & hepar per assumptionem diarhodonis abbatis, & aromatici rosati superius dicti, & accipiatur in mane per duas horas ante prandium altera diarhodonis Abbatis, altera aromatici rosati per plures dies rotula. Et quia aliqui humores non euacuati, uel regenerati, possent, in tempore quamuis longo te denuo in recidiuam inducere, ideo præter cõfortantia, post mensem a sanatione, corpus purgatione præseruatiua superius dicta purgare optimum est, & etiam hoc idem in ueris principio, & autumno utile atque factu necessarium erit, quia hoc pacto acquisitam conseruabis sanitatem, quam Deus benedictus sua bonitate dominationi tuæ largiri dignetur.

Habes igitur Reuerendissime domine (si diligenter inspexeris) hæc omnia, curam in primis præseruatiuam, curam deinde eradicatiuam, & post eradicationẽ sanitatis conseruationem. quæ omnia his mediis assequi poteris: uitæ. s. regimine, & pharmacorum assumptione, & aliarum medicinarum, quæ materias frigidas euacuant, & de his, quæ hepar primam huius ægritudinis radicem confortant, atque roborant.

M D L V. Mense Ianuarii.

AD REVERENDISSIMVM THEOLOGIAE Magistrum dominum Bartholomaeum de morbo Gallico.

EPIST. XXI.



T SI Reuerende Magister aegritudo haec tua simpliciter uerenda sit, attamen si ad omnia medice inspicio, quae certissimam eamque citam salutem promittunt, ita cumulata & clara sunt, ut me tibi, praeter Medicorum morem absolutam sanitatem promittere inuitent. quare ne lõgiori, q̃ par sit, praefatione uti uidear, breuissime quantum in me erit, rem aggrediar, & primo dico aegritudinem hanc confirmatam esse, & nemo sane Medicus in hoc dubitare potest; cum multa adsint accidentia, quae hoc declarare possunt. Et cum in morbo Gallico Iecur minera prima sit, in quo ex quadam refrigeratione, pituitosus humor praedominatur, non naturalis, nec siccitate priuatus, cum qualitate quadam occulta; hunc humorem basim esse huius prauae dispositionis constat; a quo loco, & materia, ex communitate quam habet cum ipso, totum corpus inficitur; sicque aegritudo uniuersalis dicitur, tametsi non uniuersaliter totum corpus infectum appareat; est tamen (ut dixi) communitate hepatis affectum. Ex hoc soluo problema saepe quaesitum, unde uidelicet est, ꝙ qui patiuntur aut dolorem, aut ulcus, uel aliud aliquod accidens in uno particulari membro, non sanantur, nisi fiat totius corporis & primo hepatis, & sanguinis rectificatio, uel mundificatio. Ex dictis responsio patet; uidelicet quoniã aegritudo primo est in iecinore, multiplicãte illum humorem non naturalem, cum illa mala qualitate; & hinc est ꝙ Reuerenda paternitas tua non potest sanari ab ipso ulcere cruris, siue poplitis, applicatis etiam conuenientissimis remediis. quoniam membrum habet materiam fouentem intrinsecus existentem, cui oportet prius insistere; & sic per remotionem causae (iuxta doctrinam Galeni) membrum pristinae sanitati restituere oportet. Quare ut ad rem ipsam me totum conuertam; postquam mihi notum est tempus prioris aegritudinis, & qualitas ipsius, aetas, complexionis robur, & consuetudo, & reliqua omnia, quae Medici antequam ad actum practicum deueniant, confide-

rare solent. Et in primis in accidentibus ipsis, de quibus mecum coram conquestus es, & ego hisce oculis uidi, tali pacto procedere oportet. In primis Dei optimi, & maximi ueri Medici auxilio implorato, cum coram tibi iam consuluissem, in hac sententia semper fui, quod melior modus & securior sanandi te a præsenti morbo, & a futuro præseruandi, excogitari non potest, quam decocti ligni indici potio. sed ante & in primis corpus a communibus superfluitatibus tali medicamine lenitiuo materiam antecedenti expurgandum erit. Recipe electuarii lenitiui ʒ. vii. diacatholiconis ʒ. iiii. confectionis hamech ʒ. ii. misce & cum saccharo fiat bolus: uel cum aquis buglossæ, & fumiterræ fiat potio; & sumatur per quatuor horas ante prãdium, deinde sequenti die, iuxta Hippocratis regulam, digeratur materia cum infrascripto syrupo. uidelicet, Recipe syrupi de fumoterræ ℥. i. de endiuia ℥. s. aquarum buglossæ, lupulorum, solatri an. ℥. i. misce, & sumatur in aurora calidus, per spacium quinque dierum, post cuius assumptionem, transactis quatuor, uel quinque horis, prandium sumere conuenit. & post syruporum assumptionem, purgetur corpus isto pharmaco lenitiuo, & benedicto. Recipe electuarii lenitiui ℥. i. de sebesten ʒ. iii. s. Confectionis hamech ʒ. i. s. aquarum de fumoterræ, lupulorum, solatri an. q. s. misce, & fiat potio; cui addatur succi rosarum puri ℥. s. & sumatur calidum in Aurora, & transactis quinque horis prandium accipias. comedasque secundum consuetudinem carnes caponis aut uituli, siue elixas siue assas, & uinum bibas. Facta igitur tali euacuatione, per duos, aut tres dies quiescendum est, & interim dicti ligni decoctio hoc pacto præparetur. Recipe ligni indici, per limam subtilissime puluerizati lib. i. quæ decem & octo unciis constat, & ponatur in cacabo lapideo, & ponantur desuper aquæ putei, siue fontis optimè claræ, sine malo odore, sapore, & salsedine, sed dulcis, & leuis libræ quatuordecim. & cooperiatur operculo ligneo, & per diem naturalem, qui constat 24. horis, maneat in infusione. postea igni apponatur, & ad consumptionem tertiæ partis bulliat: deinde ab igne amoueatur, & cum hoc decoctum infrigidatum fuerit, per pannum lineum nitidum coletur, & serua illud in uase uitreo, siue lapideo uitreato, & hæc erit decoctio prima, mane, & sero sumenda. deinde pone lignum semel coctum, in uase, & tantundem aquæ, ut prius, proiicias, & igni apponas, donec tertia pars con-

sumpta erit,& coletur,& in uase uitreato seruetur. & hæc erit secunda decoctio,quæ erit in prandio, & cœna, & interdiu ad libitum assumenda.Nota tamen ꝙ dum fit prima decoctio, oportet spumam instrumento ligneo non ferreo expumare,neque æneo. quam spumam oportet in olla, seu patera lapidea seruare; & ea calida,mane,& sero,ulcera iam dicta,& duritiem inungere. Sed quoniam mos est dictam decoctionem bibentium,plus ex secunda q̃ ex prima bibere,ideo ut nihil dimissum sit, necessarium uidetur,ut seruetur lignũ quod bis coctum fuit,& quando secunda decoctio bibendo consumpta fuerit, pone dimidiam aquæ supra dictum lignum quantitatem,& bulliat tertio,ad consumptionem tertiæ partis; coletur & eam bibe loco secundæ, si deficiat, & sic procedere oportet,ne potus deficiat, sed sit abundans, ut ex ipsa quantitate per omnes partes transmissa, totum corpus in primis ab ipsa Gallica qualitate rectificetur. & hic est modus conficiendi decoctionem ligni indici,qua sic præparata,præparetur cubile,in quo continuè sit ignis accensus,nam aer est ex his quæ multum cõferunt,si calidus est,neque tempore pluuioso, aut quo uenti boreales,aut austrini flant,e thalamo exire oportet.& incipias bibere post tres dies ab assumpta medicina aquæ primæ cyathum unum,octo unciarum ponderis, uel plurium, per duas horas in mane ante diem.post quam portionem passularum masticare cõducit & quantò maior dictæ aquæ quantitas bibitur, tantò melius qui eam bibunt, & citius, sanantur, extrema tamen omnia sunt semper uitiosa. assumpta igitur aqua, & calida hora iam dicta cooperies te pannis,& sudes,& dormias,si sudare, & dormire poteris;sin minus,fiat id sine læsione quod possibile est, & prandium usq; ad meridiem differre oportet;per duas horas ante cyathum secundæ decoctionis assumendo,& una cum passulis, comedere oportet etiam panem bene fermentatum, mediocriter coctum,cuius quantitas sit pondus quatuor unciarum, uel quinque ad summum:& carnis,aut uitulinæ,aut hædinæ,siue assæ, siue elixæ uncias tres.poteris etiam loco dictarum carnium, tantundem carnium caponis seu parui pulli,aut perdicis aut auium nemoralium,quæ capiuntur uisco assumere;ut sunt merulæ,& turdi,& reliquum auicularum genus. condimenta alia, præter dicta, sunt emittenda.sed pane & carne sine sale condita,unica cibatione in meridie facta, contentus esse oportet; & tunc quando comedis

aquam

aquam ſecundæ decoctionis, ad libitum bibere poteris. Et quoniam iſta aqua, tam primæ, q̃ ſecundæ decoctionis, ardorem, & aſperitatem in gutture relinquit, ideo ad hoc ſemper tam mane, q̃ interdiu, & in prandio poſt potum aquæ aſſumere potes unum, aut duo cochlearia dictarum paſſularum bene lotarum, quæ non ſolum ad remouendum ardorem, & dulcorandum os ipſum, uerum etiam ad leniendam aluum plurimum proſunt & etiam malam iocinoris temperiem rectificandam. Poſt prandium uero, per duas, aut tres horas bibes ex ſecunda decoctione cyathum unum, accipiasq́; & etiam paſſulas dictas; deinde iterum, tranſactis tribus horis, bibas alium cyathum dictæ decoctionis, quamuis non ſitias. Poſtea antequam dormias uel dormire uolueris, bibas cyathum unum primæ decoctionis calidæ, & comedas paſſulas, & cooperias te pannis, ut ſudes ſi potes ſudare, ſin minus ſaltim cooperias te, ut retento aere calido uirtus fortior efficiatur, & dormias. q̃ ſi nocte ſitieris, bibas aquam ſecundæ decoctionis ad libitum, ſiue frigida fuerit ſiue calida. & interdiu & in prandio, & nocte, bibas ſecundam decoctionem. Et quoniam accidit ſæpenumero, & præſertim cholericis qui non poſſunt famem tolerare, ut laxitas ſtomachi, & dolor quandoque & ſyncope illis ſuperueniat, ideo ſi ex his aliquod apparuerit, potes in ſero per duas horas ante aſſumptionem primæ decoctionis, aſſumere portiunculam panis, & carnis, aut paſſularum, puta uncias duas panis, & parum carnis, aut paſſularum, ne uirtus ex malis accidentibus terrefacta, dimittat propriam operationē; quæ eſt dirigere medicamē contra morbum, & cauſam, ſi ſit materialis. Et ſic procedere oportet per octo, aut decem dies; quibus tranſactis, bonum eſt ſumere in mane ex prima decoctione calida cyathos duos, hora dicta; & ſic etiam in ſero, & interdiu, bibere ex ſecunda decoctione maiorem quantitatem. q̃ ſi ut dixi uenter exſiccetur, ita ut non egeat aliquid, optimum eſt alternis diebus, in mane, ante prandium, uti clyſteri, quod commune uocant. uel ſi opus fuerit, accipere pilulas de fumoterræ, uerbi gratia, Recipe pilul. de fumoterræ ʒ.i. fiant pilulæ tres, & ſumantur in mane, tempore aſſumptionis aquæ primæ decoctionis: & poſt earum aſſumptionem bibas etiā aquam, & cooperias te, & dormias, accipiasq́; prandium hora dicta. Neceſſitas ſumendi has pilulas eſt, ſi ſuperuenerit aliqua ſtomachi tenſio, ſiue uentris; & nota q̃ ſat eſt ſumere ſemel in heb-

domada has pilulas,si erit opus,& procedere in potu dictæ aquæ, & primæ,& secundæ decoctionis semper augmentando quantitatem:nec unquam minuendo,& continuando usque ad terminũ quadraginta dierum . Quód si transactis uigintiquinque diebus, uel ante,appareat laxitas,aut uirtutis resolutio, potes augere maiorem quãtitatem panis,& etiam carnis. puta comedendo sex uncias panis,& quatuor carnis,& plus si opus erit.Neque ulla ratione uinum eo tempore quo aquam bibes,bibere conuenit, aut diuersa cibaria comedere.

Sed quoniam in poplite est ulcus cum duricie, quod quidem ulcus non est admodum profundum, neque duricies multum lapidosa est,ideo satis erit pro resolutione duriciei,& ulceris consolidatione,apponere desuper quam seruasti spumam, & mutare ipsam sero,& mane;quoniam consolidabitur ulcus,& resoluetur duricies a uirtute ipsius spumæ. Iste igitur erit ordo temporis, & quantitatis potionis dictarum aquarum ; quare transactis quadraginta diebus,incipe te paulatine ad pristinam consuetudinem reducere,tam cibi,q̃ potus,uidelicet comedendo maiorem carnis quãtitatem,& oua sorbilia, & incipe bibere uinum lymphatum, postea etiam merum,quod tamen pauciferum sit; neque per duos menses saltim,carnes humidas ut sunt porcinæ, agninæ, comedere oportet,& similiter pisces omnes legumina, & acetosa, & acuta,ut cæpæ mala sunt. Præterea transactis illis quadraginta diebus,bonum erit bibere ex aqua primæ decoctionis cyathum unũ in aurora;& uesperi etiam dum uadis dormitum, per quindecim dies ad minus.quibus lapsis,optimum est,iterum corpus, siue uentrem hoc benedicto pharmaco purgare. Recipe diacatholiconis, electuarii lenitiui,an.ʒ.vii.misce, & cum saccharo fiat bolus, uel cum aquis buglossæ,& fumiterræ fiat potio sumẽda in mane, per quatuor horas ante prandium. Postea pro confortatioue stomachi,& hepatis sumas per aliquot dies in mane rotulam unam diarhodonis Abbatis,per duas horas ante prandium, & sic etiam in sero ante cœnam. Hæc sunt Reuerende Magister quæ necessaria breuibus pro tuæ paternitatis ualetudine scribere uolui. Deus ipse omnium bonorum largitor, tibi sanitatem restituere uelit. Vale.

NICOLAVS MASSA EXCELLENTISSIMO Medico Domino Ioanni Romano, S. P. D. De morbo Gallico.

EPIST. XXII.



EGI, quas ad me doctisſime ac mihi amantisſime dediſti, literas, quæ mihi & gaudium & moleſtiam plurimam attulerunt; gaudium inquam, quoniam ex eis quanti me facias cognoui, amari enim & à uiro doctisſimo, & integerrimo obſeruari nõ parui eſſe ſemper exiſtimaui: moleſtiam uero cum audiam te à diuturno amantisſimæ uxoris tuæ morbo, plurimum angi atque moleſtari, quam ut rogas uidi unà cum clarisſimo doctore Donato a mutis mihi etiam amantisſimo & Domino Ioanne Baptiſta de Regio uiro illo quidem excellentisſimo, atque doctisſimo qui buſcum non breue colloquium habitum fuit. atque unanimiter & ſine hæſitatione in hanc ſententiam deuenimus ipſam pati diſpoſitionem illam epidimialem quam morbum Gallicum uocãt. cuius rei & accidentia plurima quæ præfuerunt, & in præſentia etiam adſunt indubitatam fidem facere poſſunt, quæ enumerare mihi non erit moleſtum. Etenim eam dicentem audiuimus excellentiam tuam iamdiu morbo Gallico ex muliere infecta contracto laboraſſe, ita ut & ulcera ſanatu difficilia in pene affuerint & bubones in inguinibus curatu difficiles. Poſt quorum ſanationem puſtulæ per uniuerſum corpus & præſertim in capite & mento apparuerunt, quæ niſi plurimis factis euacuationibus tum per ſanguinis misſionem tum per medicinas per os ſumptas corruptos humores educentes ſanari minime potuerunt. poſt quas euacuationes unctionibus in iuncturis & aliis corporis partibus uſus fuiſti. & cum Mulier tua a complexu tuo non caueric ipſi quoque ulcera uuluæ ſuperuenerunt, & tumores circa inguina & puſtulæ aliquæ præſertim in capite; neque potuit ſanari quamuis excellentia tua tàm per ſanguinis misſionem quam per aſſumptas per os medicinas ipſam expurgauerit; immo res in deterius ſemper procesſiſſe uiſa eſt, ita ut in præſentia circa caput doleat & omnes ferè tam brachiorum q̃ crurium iuncturas. Sed inter cætera id quod plurimum eam moleſtare uidetur eſt tumor circa mandi

bulas, qui impedit etiam motum uoluntarium ipsarum maxillarum, neque huius impedimenti os aperiendi difficile est causam assignare, cum manifesti sint tumores tam circa unam quàm alteram maxillarum iuncturam, qui tumores sunt à causa materiali à prædominio pituitosa a qua materia subtiles partes sensim resolutæ sunt quoniam ut audio cum à principio materia descendebat, mollior erat locus; Scis enim uir doctissimè ex dissectionis scientia musculos ad iuncturas mandibularum per chordas terminare, quibus facultas est tum aperiendi tum claudendi os, tam in comedendo q̃ uociferando, loquendo, & oscitando. Sed cum ad doctissimum Medicum scribam non omnia quæ ad exactissimã morbi cognitionem facere uidētur recensebo sed ad primarium locum affectum ueniam. Membrum igitur quod primò affectum est (ut te non latet) est iecur, & eius affectio proprii temperamenti est refrigeratio, à qua plurima generatur materia pituitosa quæ postea cum sanguine & aliis humoribus per uenas transiens uniuersum corpus afficere solet: ita ut in principio præter pudendorum ulcera uel aliorum membrorum mutationes grauedo etiam uniuersi corporis apparuerit & præsertim in capite, spatulis & cruribus ita ut ægrè brachia ad caput attollat, ægreq; incedat: quæ grauedo diuturna illi esse consueuit cui cito & opportunis remediis opitulentur oportet, dico oportunè, quoniam sæpe medici empirici his languentibus suis quibusdam sine ratione experimētis mederi solent qui tandem eos ut plurimum in deteriorem dispositionem deducere solent. Etenim uel non præparata prius materia crassa quæ diligentissima eget digestione & præparatione medicinas soluētes exhibent, sicq; aliam materiam præter peccantem educunt, uel exquisitissimè omnia corpora & absque ullo discrimine euacuant, medicinis in primis uiolentissimis & primariis membris nocentibus, ut uentriculo, iecori & intestinis, sicq; dant causam edito (ut aiunt) scilicet, ut ex immodica & intempestiua euacuatione, euacuentur, sæpe humores & humiditates, quæ iam in uenis pro optimo nutrimento paratæ erant; relinquendo uel imprimendo malam qualitatem medicaminum in uentriculo, iecinore, & intestinis. & sæpe suis euacuationibus ducūt ægros ad lipothymiam & animi defectus, ex illato nocumento ori uentriculi, sæpe etiam intestinorum non solum leuitatis in causa sunt uerum etiam & terminum cum maxima intestinorum exulce-

ratione. Addo etiam te plurimos uidisse, & ego q̄ plurimos uidi, & passim omnes medici uiderūt, qui ex tali intempestiua & non rationali medela cum medicinis iam dictis, uel cum unguentis male corpori applicitis, & quibusdam suffumigiis, & potu decocti ligni indici absque ratione exhibito, non solum ad malum illum habitum quem Græci cachexiam uocant, deuenerunt, sed etiam ad aquam inter cutim facta à iam dictis causis illa ultima iecoris refrigeratione, hæc uolui tuæ excellentiæ annotare, non ut mineruam (ut inquiunt) instruerem, sed ut te commonefacerem, ne forte a morbi longitudine fessus, multisq; factis remediis empiricos tales consulere uelis. Vidimus uxorem tuam laborantem deuenisse ad iam dictam membrorum maiorem refrigeratio nem; ita ut non solum facies intumescat & decolora fit, sed etiam crura ipsa & coxæ intumescere incipiant. His itaque mi doctissime & amantissime Ioannes a nobis prælibatis, ea quæ pro regulari cura (in casu admodū curatu difficili, & cognitu facili) a nobis laudata fuerunt subscribam. Et quoniam fieri non potest ut dolores per uniuersum corpus, & tumor mandibularum tollantur nisi prius materia frigida à mala tēperie iecinoris genita amoueatur ea de causa operæprecium est ut res necessariæ hoc pacto reguleritur. Primum igitur cum morbus iam antiquatus sit membraq; omnia unà cum iecinore manifestam refrigerationem ostendant, sint cibi illi quidem qui optimè nutrire possint, & modestè calefacere, non priuati leui etiam aliqua exsiccatione; & quoniam ad doctissimum medicum scribo non laborabo in particulari ciborum enumeratione. bibat etiam uinum optimum nō dulce, nec acidum, & ut summatim omnia unico (ut aiunt) uerbo cōpleam, regimen in reliquis rebus necessariis sit illud, quod possit modestè calefacere, & aliqualiter exsiccare; quo regimine sic constituto sequitur secundum membrum seu instrumentum, ægritudinum curatio, & materiæ iam a mala dicta intemperie præparatio, & euacuatio. Et quoniam ex dictis materia a prædominio pituitosa frigida est, non tamen syncera sed permista cum aliis humoribus, melancholico. s. & pro aliqua parte etiam bilioso (si urinæ possunt super humorum mistionem attestari, nā si crudæ primò sint & liuentes, non tamen carent citrinitate) hæc humorum in uiis communibus præparatio facile fiet. si tua excellentia singulo quoq; mane in aurora, & horis etiam uespertinis per quatuor

horas ante cœnam ei exhibuerit syrupos ex permistione mellis rosacei & syrupo de fumoterræ, & de stœchade dilutos cũ aqua cichorei absinthii & iuæ. Cum uero ex urinis aliqua dictorum humorum apparuerit præparatio educendi minoratiuę (ut aiũt) erunt cum illis quæ leuiter & sine uiolentia materiam euacuando minorare possint. ut est electuarium lenitiuum uel diacatholicon una cum electuario diaphinicone: neq; dimitterem aliquam paruam rhabarbari portiunculam, cum iam hepar in ea plurimum labefactatum sit. quod si iterum ipsa euacuanda uenerit sicuti uenarũ. proculdubio erit, in dicta medicina, aliquid agarici, & etiam confectionis hamech non semel ut dixi secundum rei opportunitatem miscerem, ut scilicet corpus à superfluis excrementis mundetur, & membra præter naturam disposita ab istis sic euacuatis excrementis in melius temperamentum uenire possint. Neque cogitandum erit de sanguinis euacuatione per uenæ apertionem cum iam non solum in iecore uerum etiam per uniuersum corpus mala temperies frigida contracta sit. Omnes tamen concordes in hanc sententiam deuenimus operæpretium esse ad id deuenire quod multis salutiferum fuit. Videlicet ut ipsa bibat decoctum ligni indici non solum per quadraginta dies, sed etiam per quinquaginta, uel duos menses si opus fuerit. nam in morbo inueterato, & in corpore imbecillo non ita medicinæ actuantur a calore. Decoctum uero sic medici communiter parant. Accipiunt. n. libram unam ligni indici optimi in puluerem redacti, super quod proiiciunt aquæ fontis uel putei optimam libras quindecim uel sexdecim, ponuntq; in lebete lapideo omnia simul per diem & noctem, deinde permittunt ut ad tertiæ partis consumptionem bulliãt, lento igne. quo facto decoctum ab igne amouent, ut refrigeretur, postquam uero est refrigeratum iubent ut coletur per pannum lineum siue cannapinum optime mundum. quod decoctum postea oportet in uase uitreo uel lapideo seu terreo uitreato seruare, cuius calidi summo mane sumatur quantitas octo uel decem unciarum, & plus minusq; secundum eius uentriculi tolerantiam. hæc dicta decoctio prima decoctio a medicis dicitur. Lignum uero quod semel ebullierit iterum post colaturam in lebetem rursus ponatur, atque tantundem aquæ desuper proiiciatur, iterumq; bulliat ad consumptionem tertiæ partis, & ut prius coletur, & eius colatura in alio uase uitreo, uel lapideo uitreato ser-

uetur. & hæc dicitur a medicis secunda decoctio, quam ægri bibunt & dum comedunt & interdiu si sitiunt, & ex omni alia occasione. Quoniam hoc sempiternæ est ueritatis, quanto plus ægri tam ex prima quam ex secunda decoctione biberint, tanto citius, & melius liberantur. Vnum tamen obseruandum est, dum lignum bullierit, ut accipiatur spuma, quam seruare oportet, ut si opus fuerit cum ea inungantur loca tumida & dolorosa, quoniam reddit ea mollia, & aliquo modo dolorem obtundit, medetur etiam ulceribus inueteratis dicta spuma. Et hæc uir doctissime sat sint de decocti ligni indici præparatione, ut communiter præparatur.

Factis igitur purgationibus, ut superius dictũ est, primum tua excellentia præparet thalamum, in quo aer frigidus nullo pacto ingredi possit. & in eo Domina ægra maneat, bibatque tam primum quam secundum decoctum hoc fermè ordine, mane. s. in aurora bibat cyathum unum primæ decoctionis calidæ, quæ sit ponderis octo unciarum ad minus; post quam comedat duo cochlearia passularum, maneatque in lectulo optime cooperta, sudetque si poterit, sin minus poterit maneat sic per quinque horas, quibus transactis accipiat prandium ex quatuor uel quinque unciis panis benè fermentati, & optimè decocti, cum tantundem carnis, uel pulli gallinacei, uel perdicis, aut phasiani, uel hædi, aut uituli, sint uerò elixatæ, uel assæ, unà cum passulis; bibat uerò aquam secundæ decoctionis ad libitum. maneatque a prandio sic per sex aut septem horas, nec dormiat si nocte dormierit. si sitierit poterit ad libitum cyathum unum uel dimidium secundæ decoctionis bibere; transactis uero illis septem horis iterum bibat, ex primo decocto uncias octo, uel decem; comedat etiam post passulas, & manens in lectulo modestè se pannis cooperiat, sudetque si poterit, sin minus non refert; quiescat saltem; quòd si poterit sine cœna manere optimum erit, sin minus parcè cœnet, quatuor horis post potum decocti; comedat autem duas uncias panis & duas dictarum carnium cum passulis. A' uino si fieri potest abstineat, de qua uini abstinentia quæstio inter nos fuit, & tandem in hanc sententiam deuenimus, quòd ipsa non posset sine uino prandium comedere, cum timor sit, ne mutata omni ex parte consuetudine stomachus debilitetur magis, & ob hanc rem detur in prandio uinum dilutum cum secũdo decocto, sicque procedere operæprecium erit per quadraginta dies saltem, & plus etiam si opus fuerit, ut superius

dixi ad ſpatium uſque duorum menſium. Dicimus hoc quoniã hic modus bibendi hoc decoctum, quem ſcripſi eſt omnium facillimus atque leuisſimus omnium quibus medici utuntur. Deſiderabamus etiam nos poſtquam ipſa per aliquot dies puta octo cœpiſſet bibere cyathum unum ut dictum eſt, aſſueſceret, ſi abſque moleſtia id fieri poſſet, matutinis horis duos cyathos bibere, & horis ueſpertinis ſimiliter, aſſueſcat etiam maiorem quantitatem ſecundi decocti in prandio & interdiu bibere, quoniam ut dixi, quo maiorem quantitatem dictorum decoctorum ægri bibunt, eo citius & facilius liberantur, & etiam quanto minus comedunt, & ſi ſimplicia ſint cibaria, meliores & tutiores ipſorũ decoctorũ operationes inſpicimus: Et hæc omnia tuæ excellentiæ moderanda relinquimus. Et quoniam decoctum hoc diureticam habet facultatem, & ſudorem prouocandi, ex qua cauſa ſæpe aluus remanet aſtricta, hac de cauſa neceſſarium eſt uti clyſteribus communibus: ſed in caſu laudarem ego clyſtere hoc modo præparatum.

Recipe decoctionis ſecundæ dicti ligni lib. unam, olei communis ℥.iii. mellis roſati ℥.ii. ſalis communis ℥.i. unà cum uitello oui, omnia miſceantur, & ſecũdum opportunitatem imponatur. Præterea tua excellentia iubeat ut mane ante prandium, & horis ueſpertinis antequã dormire incipiat, loca omnia doloroſa, & tumores omnes, & præſertim mandibulæ liniãtur cum ſpuma dicti decocti calida. ſed cum hæc ſpuma ægre membro adhæreat. ideo ponatur ſuper pannum lini, & faſcia uel aliquo ingenio alligetur. Et ne literæ hæ noſtræ aliqua ex parte admonitione careant, ſi Domina clyſteribus obedientem ſe non præſtiterit & aluus aſtricta fuerit iubeat ut ipſa aliquando aliquam ex leuioribus medicinis uentrem ciendi facultatem habentibus ſumat horis. ſ. matutinis, ut eſt electuarium lenitiuum: uel ſi pilulas libẽtius ſumere uoluerit, ſint ex aggregatiuis. indicis, & de fumoterræ ſimul miſtis, quibus fœliciter ſemper uſus ſum in conſimilibus diſpoſitionibus. Et ne ad doctisſimum Medicum ſcribens temerarius uidear (ut Mineruam docere uelim) hæc ſatis dicta ſint, quæ omnia nos omnes acerrimo tuo iudicio remittimus, tu enim omnia charisſimæ uxori tuæ diligentisſimè adminiſtrabis. Quibus omnibus factis, ſi ea (ut ſperamus) liberari poterit, omnipotenti Deo gratias habebimus. ſin minus omni ex parte in priſtinam ſanitatem redierit; ſancitum inter nos eſt tranſactis aliquibus diebus poſt potũ

dicti

dicti decocti,à quo omnes uirtutes robur aliquot acquisierint, ut excellentia tua,ad ultimam materiæ ita affectæ,& in membris relictæ resolutionem,utatur unguentis, quibus in huiusmodi casibus Medici ingenui,qui cum ratione omnia experiuntur uti consueuerunt.quæ unguenta sexcentos deterius ea se habentes sanitati restituerunt.Et quanquam de hac re ad te scribere superuacaneum esse semper credidissem, nihilo minus non tacebo ea quæ dum simul colloquuti sumus,unanimiter determinauimus,ut animum & sententiam nostram tibi aperiam quæ hæc est:ut corpore ab inedia instaurato leuibus euacuetur medicaminibus: & cũ sit senex & etiã quoniã ualetudo ipsa quæ est neutralitatis cõualescentiæ sic postulat,& cum calor seniorum non possit etiam materiam lentam præparare,& ex toto eã expellere:præsertim quæ in membris longinquis a fonte caloris est, ut sunt crura, brachia, ea materia iam dictis unctionibus calore naturali membrorum ab ipsis adiuto præparetur aliquo euacuationum modo.Vnguẽtum quo nos iuncturas inungendas esse statuimus tale est.

Recipe assungiæ porcinæ per cribrum sine igne colatæ. Anatis an.℥.iii,mercurii ℥.ii.s.olibani,mastićis,saluiæ pulverizatæ,stœchados pul.ana.℥.iii.oleum liliorum alb.℥.i. aquæ ardentis ℥.s. Misce,& ex eis fiat unguentum in mortario,prius deducto mercurio cum assungiis, oleo deinde addito, addantur reliqua optime pulverizata,& ultimo aqua ardens.Cum quo unguento inungantur iuncturæ clauicularum,genuum,manuum,& cubitorum. ꝙ si inguinum & spatularum iuncturæ inungãtur optimum erit:quoniam citius excitabitur uirtus ad præparandam & pellendam noxiam materiam in extremis membrorum residentem. Quæ inunctio fiet a cœna,per duas uel tres horas,interpolatis diebus: ita ut aliquando unus,aliquando duo sine inunctione interponantur dies.Iuncturæ uero muniantur stupa cannapina optime carminata.Maneat in lectulo,cooperiat se pannis ut modeste sudet si fieri possit. Procedendum igitur erit cum hac iuncturarum inunctione,donec ex ore aliquid phlegmatis emanare cœperit. Quod si tua excellẽtia maxillas tumidas & duras inungi iusserit,illud optimum & rationale erit auxilium;cum in hoc unguento sit uis molliendi,& resoluendi quascunque durities antiquatas.Possem equidem uir doctissime plura alia unguenta & remedia dictis addere, quæ consulto dimisi,ne(ut dixi)superstitiosus tibi uidear.Vnum

tamen non præteribo ꝙ cum ex plurima materia ad os transmissa, quæ iam gradum putredinis acquisiuit, aut per mistionem humoris acrioris, & continuè illo fluente fiant exulcerationes gingiuarum & reliquarum partium gutturis, si hoc superuenerit accidens, illi succurres cum frequenti ablutione aquæ decoctionis hordei cum suo cortice in qua etiam permiscendum erit aliquid diamoronis, ad extinguendam caliditatem loci exulcerati: exterius etiam genas & maxillas, illiniendum erit cum oleo rosaceo. Deinde procedente sputo, & aliquo pacto meliori facto permiscenda erit portio mellis rosati ad maiorem tersionem. & in fine bulliant unà cum hordeo folia oliuæ, & myrtorum, uel aliquo faciente ad exsiccationem & ulcerum cōsolidationem. Quòd si plurima materia ad os fluxerit diuertenda erit per cucurbitulas natibus applicitas, & spatulis. euacuanda quoque erit per exhibitionem pilularum cochiarum: & hoc quoniã plurima materia quæ euaporando caput replet, oris exulcerationem fouet. Reliqua accidentia si superuenerint tua excellentia corrigere poterit. nam in his aliquando uenter nimis fluere solet, aliquando etiam constipatur. Accidit interdum & lipothymia, animiq; defectus, & alia plurima quæ longum esset recensere. Credunt postremò ambo clarissimi doctores procul omni dubio his factis ipsam incolumem euasuram. Cui sententiæ facilè ego subscripsi cum sciam quantum præter reliquas tuas uirtutes in medendo fœlicissimè ualeas. Quòd si præter ea, quæ superius scripsi aliquid ulterius scire desideras, non te pigebit meum de morbo Gallico libellum legere; quoniam ex ipsius lectione plurima colliges, tam ad morbum pertinentia quàm ad accidentia ipsa, ita ut nil tibi deesse poterit. Vale uir undequaque doctissime, & me (ut facis) amare non desinas. Venetiis septimo Idus Junias, M D XXXII.

PRO ILLVSTRISSIMO PRINCIPE DOmino Vladislao Orza Polono, morbi Gallici antiqui, unà cum ulceribus & uaricibus in crure curatio, Ad excellentissimum Medicum Dominum Ioannem Raisterum.

EPIST. XXIII.

ROGAS doctissime Ioannes, ut ea quæ in colloquio pro illustrissimo Principe tuo examinata fuerunt, ad te scribere uelim. & tametsi multa ab aliis Medicis unà colloquentibus in medium adducta fuisse audiueris, meam nihilominus in hac re sententiam audire cupis. Equidem (ut tibi satisfaciam) quamuis plurima dicta fuerint, ea breuibus q̃ potero pro temporis angustia sic scribere mihi molestum non erit. Superioribus annis egregius ac illustrissimus Princeps, cũ adhuc iuuenis esset, erisipelate phlegmonode in coxa, cum tumore in genu, qui ad tibiam postea descendebat, & dolore in crure laborauit; quibus sanatis in quasdam faciei & capitis pustulas incidit, cum uniuersi corporis & præcipuè pectoris, lacertorum, crurium, & maxime spatularũ doloribus. quæ omnia attestabantur dominationẽ suã pati malam illam dispositionem, quam morbum Gallicum uocant. Et cũ ab his præter naturam affectibus sanari cuperet; quædam medicamina naturam ueneni sapientia absque ulla correctione propinata fuerunt; ut sunt suffumigia ex cinnabrio & illinitiones cum nõ parua argenti uiui portione præparatæ; & quædam aquæ ex argento uiuo, & uitriolo, & aliis sublimatis, more Alchimistarum confectæ, tibiis atque genibus propinatæ fuerunt. quæ medicamẽta tantum abest ut quicquam profecerint, ut dominationem suã potius, in exulcerationem oris tam sæuam, ut ferè omnes dentes relaxarentur, deduxerint, cum maxima omnium uirtutum resolutione. Eaq; ita fortia medicamenta diuersis temporibus ter applicita fuerunt, neque ægritudo quæ de sui natura sæua est propterea discessit. Imò cum mala fortiorum medicamentorum administratione eò uentum est; ut dominatio sua eodem etiam morbo in præsentia laboret, non solum cum pustulis illis prioribus, atq; doloribus, sed cum duro quodam propè clauiculam tumore, in

quo rubeus, cum quadam fuscedine color apparet. Adsunt præterea quædam ulcera superficialia, quæ non multum ultra cutis superficiem procedunt. quibus cum ulceribus, uenæ tumidæ, molles ac sanguinis melancholici nigri in extremis tibiarum apparent: quem uenarum tumorem non possum aliter in præsentia q̃ uaricosam dispositionem cum Arabibus nominare: a qua denominatione nec Græci, nec Latini declinare uidentur, testimonio etiam Ciceronis in quæstionibus Tusculanis; omitto quæ & Hippocrates & Galenus de ea dixerũt. De quibus omnibus affectibus cum sermo inter nos coram Illustrissimo domino habitus esset, morbi essentiam & causam indagantes multa diximus, & morbi pertinaciam atque sæuitatem inuestigantes, aliqui sex rebus non naturalibus male exhibitis causam ascribere uoluerunt, & malæ medicamentorum administrationi. Deinde intentiones curatiuæ inuestigatæ fuerũt, quibus Illustrissimus dominus sanitati restitui posset, cuius sanatio omnibus uisa est difficillima, cum ex inordinato tum uitæ regimine tum etiam improba medicamentorum administratione, relictus sit tam in hepate, q̃ in aliis corporis partibus malus quidam habitus, & totius corporis, & cruris præsertim quod in præsentia laborat, ita ut hi affectus qui diuturni sunt, & a causis fortissimis pendent, non sine maximo labore sanari poterunt, tametsi Illustrissimus dominus, sit optimæ complexionis, & in ætate iuuentutis, in qua omnes uirtutes fortes apparent. dicebat nanque Hippocrates eas quæ diuturno tempore acquiruntur ægritudines non breui tempore sanari posse, nõ tamen in ultima difficultate esse dicerem, cum iuuẽtus sit plena spei. Et hæc de morbi essentia, atque causis dicta pro temporis breuitate sufficiant, cũ de cura agere, atque regimine nostra magis sit intentio, sed ad id quod dominatio sua ante omnia petebat accedere uolo. Quærebat igitur in primis dominatio sua Illustrissima quibus auxiliis primum posset futuram hyemem transigere, ne huiuscemodi dispositio augeatur, sed si fieri posset imminuatur. Deinde quibus etiam in uere adhibitis remediis a iam sæpe dictis malis sanari posset atque liberari. Quibus sic quæsitis cum excellentissimus doctor Iunior quædam de regimine præseruatiuo proposuisset ea omnia a nobis summopere laudata fuerunt, quibusdam additis quæ usum potius & mores patrios, ac delicias Illustrissimi Domini respiciunt, quam ipsam curandi rationem. Igitur primo quæ-

situm fuit, cum Domini Vngari multis & diuersis cibis atque potibus, non seruatis etiam horis, uti assueti sint, nunquid tenuis diæta sibi proficua, atque necessaria sit futura; cui petitioni ex præceptis Hippocratis sic responsum fuit, ꝙ difficile, & non sine discrimine consuetudo mutari potest. Quare diximus dominationem suam illustrem securè comedere posse carnes uitulinas, hædinas, phasianorum, perdicum, turdorum, turturum, & aliarum auium in nemoribus degentium, quas solent Principes, & diuites, cum pane bene fermentato, & ferculis non ex toto amore patriæ alieni comedere. Caueat tamen a carnibus malis, & humidis, ut porcinis, anserinis, & similibus. Et pisces malos ut sunt anguillæ fugiat. A' caseo butyro, & rebus huiuscemodi, quæ sunt mali chymi abstineat. Bibat etiam uinum mediocre & in mediocri quantitate, quorum omnium mensura, ab ipsa tolerantia, & consuetudine sumenda est. Præterea dictum fuit ꝙ quies ualde proficua sibi erit, cum affectus particularis in crure sit, & causa procatarctica seu primitiua ipsius dispositionis uaricosæ sit inordinata & assidua equitatio, siue deambulatio: & quia quies contrariatur motui, ideo ex ea plurimum iuuabitur. Leuis tamen equitatio, seu deambulatio debito tempore exhibita mihi non displiceret: cum ex Hippocratis sententia dandum sit aliquid consuetudini. & assueti, ab assuetis laboribus non ita patiuntur. Et quoniam affectus qui in crure apparent, humorem melancholicum attestatur, ideo bonum est lætari, & bene sperare, solicitudo enim humorem melancholicum adauget. Coitus uero tanquam res nocua, & spiritus, seu uirtutes debilitans, omnino uitãdus est. Neq; credẽdum est (ut quidam nostrum dixit) a spermate uitiato, seu semine huiusmodi affectum oriri; cum Illustrissimus dominus (crure excepto) ut ex operationibus, & ex promptitudine ad actiones, & ex bono colore, & totius corporis fortitudine, & reliquis corporis partibus uidere est, sanus appareat. Nam qui uitiatum semen habent, totius corporis grauitatem patiuntur, & infrigidantur, & ad motum segnes, atque impotentes redduntur, & capitis dolores, suffocationes, insomnia, melancholicas cogitationes atque manias experiuntur. Neque credendum (ut ipse dicebat) semen authoritate Hippocratis pro maiori parte per duas uenas a cerebro decidi, cum hoc nec uoluerit dicere Hippocrates, neque anatomicus sensus, seu ratio id ostendant, quamuis Auicenna in hanc sen-

tentiam uenisse uisus fuerit. Non enim doctissimus Hippocrates unquam dixit materiam seminis esse a cerebro, nisi per quendam refluxum;cum ab omnibus partibus tanquam a quarta digestione superfluum decidatur; & omnium membrorum, & maxime principalium uirtute informatum. a quibus recipit uirtutem talem alterum generandi.sicq; a cerebro animalem tantummodo uirtutem recipit,& una cum uirtute ab hepate,& corde materia deciditur(ut ex sensata apparet anatomia)per uenas ipsas,& arterias, uasa seminaria facientes, quae uenae ab hepate, & arteriae a corde ad testes descendunt.Neque aliter dicendum est,q̃ ego in meo libello de introductione sectionis corporis humani dixerim. Videlicet q; seminis materia ab omnibus membris deciditur, & ab ipsis paratur,ita ut per refluxum in corde, & hepate recipiat perfectionem quandam,antequam ad testes trãsmittatur; ubi ultimam uirtutem consequitur. Quod si semen uitietur,non solum superius dicta symptomata apparent,sed multa praeterea alia: quae cũ in hoc Illustrissimo Domino non praefuerint,neque in praesentia adsint,non semen uitiatum causam esse oportuit dicere, sed hepar primò & ab ipso totum corpus:cum Massa humoralis hoc faciat, ex causis ante dictis,& mala tum suffumigii,tum unctionum,& illarum aquarum administratione. Nam & si multi tali morbo in coitu inficiantur,non tamen in ipsis mali affecti seminis,sed Massae humoralis,& hepatis signa apparent. quod etiam mali affecti hepatis uitium ostendit clarè,& cachexia,siue malus totius corporis habitus,& hydrops,qui affectus in ultima morbi malitia saepe apparent.sed ista dixisse sat sit pro morbi essentia, & ueritatis declaratione;a qua morbi essentia praecipuas curandi intentiones sumere oportet;ut doctè docuit Galenus tum alibi pluries,tum in libro de sanitatis ingenio:quare ipsum curandi, & praeseruãdi modum sequar, caeteris necessariis dimissis tanquam notissimis quae non naturalia a Medicis uocantur. Proposuerat etiam excellentissimus Doctor & regimen medicinale, in quo pro praeseruatione Illustrissimi Domini quaerebatur,nunquid bonum aliquando esset quibusdam medicinis leuibus morbo,& eius causis appropriatis aluum subducere, quae medicinae non essent molestae, immo (ut aiunt)sine custodia.Et primò pil.ex aloe loto proposuit, quae si hoc pacto fierent a nobis laudatae fuerunt. Recipe aloes loti cum succo endiuiae,secundum artem ℥.ii. Recipe rhabarbari ele

cti ℥.ii.myrobalanorum citrinorum,agarici optimi,epithymi an. ℥.i.s.ellebori nigri præparati ℥.i.Hæc omnia infundātur hoc modo in hac decoctione. Recipe thamarindorum ℥.ii. aquarū endiuiæ,buglossæ,an.℥. vi.bulliant ex arte,& facta diligenti expressione,ponantur cum aloe,& dimittantur usque dum exsiccentur, de qua massa fiant pil.& dentur mane ℥.i.usque ad ℥.ii.Istæ enim mirabiles erunt pro hepatis rectificatione, in quo minera morbi Gallici residet;educent etiam materiam quæ ad ipsum crus descēdit;quæ tumorem durum causat, & uenarum inflammationem, cum malo illo colore, & ulceribus:quæ materia stat sub forma causæ antecedentis. Proposita est etiam alia præseruandi ratio, quædam nimirum decoctiones interpolatis diebus sumendæ, quæ & rectificandi hepatis uim habeant, & sanguinem mundificandi,& eas quæ ab humore malo qui in dies generatur, superfluitates adustas præparandi,& aluum leuiter educendi. Recipe folliculorum senæ ℥.i.epithymi,cuscutæ an.℥.s.hepaticæ, scolopēdriæ,an.℥.i.s.florum boraginis,buglossæ,fumiterræ, an.℥.s. decoquantur secūdum artem in aquis endiuiæ, buglossæ,& cichoreæ, uel in aqua lactis uaccini,seu caprini,ex qua poterit in mane assumere ℥.vi.cum ℥.ii.syrupi rosati ex succo rosarum,quem geleniabinū de saccharo uocant. Quod si quis decoctionem præseruatiuam & magis appropriatam facere uoluerit,optima, atque laudabilis ligni indici decoctio erit,cum aqua fontis, uel endiuiæ, aut boraginis præparata. In qua decoctione si libram unā mellis posueris, cum xii. aquarū & una pulueris ligni indici, optimū erit, quæ ad consumptionem tertiæ partis bullire poterit, ex qua sumatur mane cyathus unus.Et hæc mea quidem sententia ad præseruandum cæteris est efficacior. Possent plures aliæ decoctiones institui,sed hæc ligni indici decoctio, magis est dilecta, atque aliis uerior. Præterea sudationes propositæ fuerant, tum quia excremēta quartæ digestionis expurgant, tum quia more patrio sunt assuetæ. Ideo si interpolatim fiant optimum erunt ad præseruandum auxilium;sicq; Illustrissimus dominus sudare poterit. sed quoniam quæsitum fuit, nunquid bonum esset sanguisugas cruri ubi est illa rubedo apponere ad remouendum malum sanguinem,hoc etiam ab omnibus laudatum fuit, si id post aliquas euacuationes factum fuerit.Quare his & consimilibus auxiliis tota hyeme procedēdum erit; quod si ex toto liberari Illustrissimus

Dominus desiderat sequens curatio necessaria erit. In uere igitur si á iam sæpe dictis dispositionibus liberari desiderat, & primó ab illa quam nos rationibus dictis, uniuersalem, antiquam, & malignam uocabamus, quæ primó hepati deinde toto corpori cõmunicatur, & si crus propé clauiculam magis infestetur, cum ibi & rubedo, & tumor durus, & uenarum repletio cum dolore malo, & illis malis, a sanguine corrupto ulceribus, sic procedere oportet. Primum igitur operæprecium erit corpus pluribus euacuationibus, tum per phlebotomiam, tum etiam per euacuationes plurimas reliquos humores educentes euacuare. Ideo Dominatio sua Illustrissima isto leui minoratiuo, stomachũ, & uias communes euacuante se purgabit. Recipe floris casiæ, electuarii lenitiui an. ʒ. vi. Confectionis hamech ʒ. ii. m. & cum saccharo fiat bolus, uel cum aqua decoctionis fructuum fiat potio, per quatuor ante prandium horas sumenda. Ab accepto minoratiuo diem integrum quiescere oportet. postea uero de basilica dextri brachii uena aperiatur, et sex ad minus sanguinis unciæ extrahantur, & maior quantitas etiam, decem unciæ. s. si sanguis malus, & niger erit. est enim res utilis ualde, & ab omnibus sectio uenæ laudata, non solum ratione hepatis, ex Gallica infectione male affecti, uerum etiam ratione particularis ægritudinis uaricosæ, cui (ex Galeni & Auic. sententia) phlebotomia necessarium, atq; singulare est præsidium. Facta igitur sanguinis missione ad præparandam euacuationi materiam, dentur syrupi hoc modo præparati. Recipe syrupi de fumoterræ ℥. i. rosati ℥. s. aquarũ endiuiæ, lupul. an. ℥. i. s. misce, & fiãt syrupi qui mane per aliquot dies, donec concoctio in urina apparuerit calidi exhibeantur, & signis digestionis apparentibus, iterum consimili euacuatiua medicina superius dicta euacuare per quinque ante prandium horas oportet. Addendo rhabarbari, & agarici, in decoctione fructuum infusi an. ʒ. i. Quód si Dominatio sua uellet quandoque ad facilitandũ uẽtrem, pilul. uti, illæ quæ in regimine præseruatiuo positæ sunt, optimæ erunt. Verum quoniam peccatum est in hepate, & per cõsequens in massa humorali, ita ut sanguis admistus sit cum aliis humoribus, & maxime melancholicis adustis, ex quo si dominatio sua uellet, optimum esset præsidium hæmorrhoidibus sanguisugas applicare, & sanguinis octo uncias extrahere. & hoc remedium omnibus erit proficuum. Nec interim dum hæc peragun-

tur

tur dimittendi sunt syrupi materiam ad euacuationem præparantes, sed singulo quoque mane sunt assumendi. sed post huiuscemodi per sanguisugas euacuationem uellem iam dictos syrupos cũ decoctione epithymi Mesuæ diluere; quoniam mirabiliter a residuo humorum melancholicorum sanguinem mundificabunt. Et ultimo loco solutiuum ex iam dictis electuariis, cum rhabarbaro, & agarico, cum dicta epithymi Mesuæ decoctione accipiat. Purgatio igitur a dictis euacuationibus corpore poterit dominatio sua ligni indici decoctum assumere, factum in aqua fontis, uel endiuiæ, uel borag. ita ut supra unam libram ligni subtilissime puluerizati ponantur xii. lib. aquæ ex iam dictis; & per diem, & noctem in infusione maneant; postea bulliant ad consumptionem tertiæ partis, uel medietatis si placet. qua decoctione colata, super huiusmodi lignum, quod semel bullierit tantundem aquæ iterũ super proiiciatur, & bulliat ad consumptionem tertiæ partis, & coletur, & separatim a priori in uase uitreo, uel saltim uitreato seruetur. Prima quarum decoctionũ mane per duas horas ante diẽ, ad quantitatem x. unciarum & etiam unius lib. calida sumenda erit, a cuius acceptione dormiat si lubet. Transactis deinde quatuor horis rursus alium secundæ decoctionis cyathum accipiat. Postea uero transactis duabus, uel tribus horis prãdium assumat, neque illum ante digestionem decoctionis accipere oportet timere, cum melius postea cum in uenis unà cum nutrimento recipitur ad rectificandam massam humoralem operetur. Prandium uerò sit ex pane bene fermentato, & ex carne uitulina, seu hædina, uel ex carne pullorum, uel auium nemoralium superius dictarum, quæ carnes, sint assæ, uel elixæ, ut magis eas comedere placuerit. Comedat etiam ferculum aliquod, ut est far, uel ouum in brodio contusum, uel panem in brodio lotum, uel boraginem uel buglossam, uel lupulos, & consimilia. Bibat etiam uinum boni odoris, atque saporis, quod non sit neque dulce neque acre, sed medii saporis, & coloris. Caueat etiam a nimia comestione, & diuersa, & etiam a nimio potu, sed parcè comedat, parceq; bibat. A prandio uero per quinque horas, accipiat iterum cyathum unum secundæ decoctionis eiusdem quantitatis. postea uerò tribus ante cœnam horis bibat cyathum unum ex prima decoctione. Cœna uero sit minor prandio. Deinde duabus post cœnam horis dormiat, secundum temporis necessitatem coopertus. Quòd si in no-

cte sitierit, poterit & in nocte, & interdiu ex secunda decoctione ad libitum bibere. sicq; usq; ad quadraginta dierum spatium procedendum erit. Quod si ultra iam dictam quantitatem bibere uoluerit, citius, & melius sanabitur. Neque timendum est ex dictis decoctionibus bibere, antequam prior bibita digesta fuerit, quoniam & si in hepate, & uenis indigesta recipiatur, hepar tamen, & massam humoralem rectificat. Transactis quadraginta diebus ad pristinam cibandi consuetudinem Illustris Dominatio sua sensim redeat. Caueat tamen per aliquot menses, a malis cibariis & coitu. Et quoniam non solum uniuersalem illam dispositionẽ, quæ particularem cruris affectionem fouet, curare intẽdimus, sed etiam duritiem in crure existentem, & ulcera illa, & uaricosam dispositionem. Ideo postquam Dominatio sua per aliquot dies dictam aquam potauerit, primò duriciem illam mollificando, & resoluendo cum isto mirabili medicamine curabit, quod multum ualet in antiquis duriciebus. Recipe unguenti diachil. cum gummis, ammoniaci in aceto dissoluti, medullæ crurium cerui, an. partes æquales. Misce, & fiat ceratum, supra corium cruris duritiei applicandum, & de tertio in tertium mutandum. Locus uero ulceratus & mala complexio quæ est una ex causis prohibentibus illarum paruarum ulcerum consolidationem; curetur cum hoc medicamine mirabili, ad malam complexionem, & ad ulcera illa superficialia plurimum faciente. Recipe unguenti rosati Mesuæ, unguenti de lithargyrio nutriti an. ℥.i. Misce, & inunguntur non solum ulcera illa superficialia, sed etiam tota cruris rubedo, quoniam procul omni dubio sanabitur. Varicosam uero dispositionem sanare oportet post multũ casu ductas euacuationes, exsiccantibus, & ligaturis cum fasciis ad genu usque. sed melius est prius uenam ipsam excoriare, & eam laqueo circũductam uincire, ita ut sanguine euacuato, locus carne impleri possit, uel fiat hoc cauterio actuali, siue potentiali, in parte superiori tumoris, postea per uenæ apertionem totus sanguis malus extrahatur, deinde locus unguentis exsiccantibus, & consolidantibus consolidetur; ut est unguentum pompholygos. i. de tucia, uel aliud secundum ulceris indigentiam. Et hæc cura est necessaria, quoniam nisi amoueatur, & materiæ descensus prohibeatur a superioribus partibus, nunquam sanari perfectè poterit huiuscemodi uaricosa dispositio. Et quia membrum affectum, crus. s. aliquo conseruan-

re egebit, ideo laudo post sanationem, antequam domo exiens deambulare, uel equitare incipiat, ut fiat caliga ex corio canis praeparato, secundum eum modum quo coriarii alia coria pro chirotecis praeparant: qua caliga crus affectum nulla re inter media induatur. In hoc enim corio maxima est uis praeseruandi ab ulceribus, & cruris tumoribus. Poterit etiam sua Dominatio per quindecim dies post potum dictae decoctionis accipere singulo quoq; mane, per duas, uel tres ante prandium horas, rotulam unam, uel duas diarhodonis Abbatis, ad confortandum stomachum, & hepar; & etiam semel in hebdomada accipiat pilulas in regimine praeseruatiuo iam dictas: ut fiat eodem tempore, & membrorum naturalium confortatio, & leuis residui euacuatio. Haec sunt (ut tibi morem gererem) quae pro temporis breuitate, a multitudine aegrotantium detentus, pro salute Illustriss. Domini literis mandare potui. Deus igitur Opt. Max. sibi corporis, & animae sanitatem largiri dignetur. Venetiis, M D XXXIX.

AD PRAESTANTISSIMVM D. FRANCIscum Sachia Vtinensem. De morbo Gallico cum tumoribus duris in inguibus exulceratis & ulcere in capite cum ossis corrosione & doloribus in spatula & brachio & narium oppilatione.

EPIST. XXIIII.

PRoximis his diebus allatae fuerunt mihi literae egregii excellentis cuiusdam medici tuo nomine ad me scriptae, ex quibus intellexi tuam praestantiam alias laborasse morbo communi Gallico dicto, à quo sanatus per plures annos incolumis cum omnibus operationibus naturalibus, & sine aliquo huius morbi accidente fuisti: Nunc uero a quibusdam mensibus hinc duo tumores duri in inguinibus apparuerunt: qui plurimum, & diu molestiam non paruam intulerunt: & tametsi multa per egregium medicum remedia tam per expurgationes interiores, q̃ per diuersa medicamenta exterius ipsis tumoribus applicita, facta fuerint: attamen nec resoluti, nec mutati aliqua ex parte fuerunt. Quo uiso decreuit uir excellentissimus tuae praestantiae fortioribus re-

mediis auxiliare:& prius corpore expurgato quater hoc anno unguento,quo qui patiuntur morbum Gallicum inunguntur,te illinire uoluit,plurimos dies inter unam & aliam inunctionem interponendo:Nec propterea tumores illi duri ex omni parte resoluti sunt:immo post iam dictam illinitionem tumor non paruus in capite apparuit,qui ex applicitis medicamentis pus generauit: & tandem instrumento incidente adaperto os cranei inuentum fuit denigratum:sed diligentia, & cura medicorum tandem sanitati restitutus est:At in inguinibus adhuc reliquiæ priorum tumorum remanent cum aliqua exulceratione : adest etiam & dolor in altera spatularum,& brachio,una cum quadam narium oppilatione:ita ut non sine difficultate aerem attrahere, & excrementa mucosa expurgare possint. Quibus accidentibus ita se habentibus non possum in casu ita difficili aliter credere, q̃ ꝙ & si multa facta fuerint, quæ plurimos morbum Gallicum patientes sanarunt te tamen minime sanare potuerunt: quoniam adhuc stat mala illa dispositio Gallica in iecinore à qua plurimæ materiæ phlegmaticæ permistæ diuersa permistione cum aliis etiam humoribus:& præsertim cum humore melancholico generantur, quæ dispositio cum sit antiqua & iam toti corpori communicata:non mirum est,si etiam fortissimis medicamentis non sit sanata:Etenim morbus Gallicus semper maxima cum difficultate sanitati restitui potest;quanto magis cum iam antiquatus sit. Quod si quis quærat nunquid hæc noua inuasio sit ex reliquiis antiqui morbi iam per aliquot annos antea sanati, uel nouus sit : dico ꝙ utrunque esse potest:Nam cum materia morbi istius crassa sit,fieri potest,ꝙ nõ fuerit ex toto(quando tua dominatio fuit liberata ab eis accidentibus)dissoluta neq; extra corpus educta:sed illa tantum quæ operationes naturales lædere poterat, non regulata a uirtute:Residuum quod intra corpus, & membra remansit, non poterat operationes impedire:tametsi non a uirtute, consumpta, uel pulsa fuerit,quæ non aucta nullum operationibus impedimẽtum fuit:sed ex noua aliqua alteratione uel exteriori uel interiori impediente,uel alterante uirtutem, siue fuerint cibi, siue labores,siue amplexus uenerei cum infecta muliere ; uel aliqua alia in humoribus alteratio potuit malam primam qualitatem iecinoris augere:a qua postea materia iam dicta mista,diuersa permistione innouare potuit priorem morbum & materiã primo ad inguina

pellere, deinde ad alia membra, quæ iam malam qualitatem Gallicam detinebāt, ex antiqua dispositione augere, sicq; iterum operationibus impeditis laborare manifestè cœpisti hoc morbo: quod si ex apparente de nouo operationum impedimento, nouum morbum quis appellare uoluerit non plurimum errabit, at si quis ex antiqua iecinoris, & membrorum aliorum alteratione non ex toto amota, & etiam materia, quæ relicta fuit recidiuam ab antiqua dispositione, dictam hanc appellare uoluerit utique non errabit: sed melius suas partes cum aduersario tuetur: his sic adnotatis, ad id quod excellentissimus tuus ille medicus quærebat deuenio: & erat quibus remediis factis tua præstantia ab hoc morbo liberari possit: dico primo quod obseruato regimine sex rerum necessariarū declināte ad temperamentum scilicet ad modestam caliditatem, & aliqualem siccitatem: corpus primum à communibus excrementis stomachi, & intestinorum expurgari oportet: deinde præparare materiam antecedentem, quæ & tumores, & dolorem fouet, quæ plurima, & crassa est, modo infra scribendo, quibus expurgatis necesse erit ad iocinoris temperiem non naturalem mutādam, & materiæ, quæ in uenis, & in ambitu totius corporis est subtiliādam, & extraducendam deuenire, uel per sudorem, uel per urinam, uel in uapores conuersam per insensibilem euacuationem: propterea necessarium erit decoctionem ligni indici bibere per mensem cū dimidio, uel per duos saltem, ordine infra scribendo: primo igitur dominatio tua accipies infrascriptū bolū ad expurgādas stomachi & intestinorū diuersas superfluitates humorales.

Recipe electuarii lenitiui ℥.i.
de sebesten ℥.s.
confectionis hamech ℥.ii.

Misce & cum saccharo fiat bolus aut cum aqua lupulorum fiat potio quæ sumatur mane ante prandium per quatuor horas, quod prandium erit ex pane loto in iure capi iuuenis, uel carnis uituli, seu hædi, & potus sit uinum pauciferum medii coloris, & saporis permistum cum aqua decocta cum cinnamomo, & passulis: sequenti uero mane sumendus erit syrupus infrascriptus.

Recipe syrupi de fumoterræ ℥.i.
mellis rosati ℥.s.
Aquarum lupulorum
iuæ } ana ℥.i.s.

Misce, & sumatur calidus in Aurora per quinque horas ante prandium qui syrupi accipiantur. per quinque aut sex dies, uel plus, ut uidebitur excellētissimo medico, qui uidebit te quotidie, & acceptis syrupis dictis, apparente concoctione in urina hanc infrascriptam medicinam sumere oportebit.

Recipe electuarii lenitiui	℥.i.
de sebesten	℥.s.b.p.
succi rosarum puri	℥.i.

Decoctionis epithymi Mesues.q.s. misce & fiat potio sumenda in Aurora quinque horis ante prandium: q̄ si post eius assumptionem dormire uolueris per horam poteris: Transacta uero hora dormire minime conuenit: cibus sit ut superius dixi ex pane loto ex iure carnium optimarum, nimirum pullorum, uitulorū, atque hædorum & consimilibus; facta iam dicta minoratiua euacuatione cum optimo regimine cibi, & potus quiescere oportet per aliquot dies cum regimine dicto: in cibo primo qui talis esse oportet, & primo panis sit fermētatus optime in clybano coctus: & carnes sint leues, faciles ad concoquēdum in uentriculo ut sunt iam dictæ & etiā carnes merulæ, & aliarum paruarum auium nemoralium: præterea perdices, coturnices, turture, phasiani, & similes sunt bonæ, oua quoque sorbilia optima sunt fercula sint ex pane in iure dictarum carnium loto, uel sit ouum ex iure contusum, aut far optime decoctum, uel borago, & buglossa, & similia, abstineas ab omnibus piscibus a caseo, & lacticiniis omnibus: Legumina præterea omnia sunt mala atque olera, & præsertim lactuca, & similia: acetaria similiter sunt mala, & salita omnia: attamen borago, & buglossa si in iure coctæ sint & comedantur, optimum generant succum. Vinum autem bibendum erit mediocre non dulce, nec acidum, boni saporis, & medii coloris. Comedere bis in die plurimum iuuat, uidelicet mane, & uesperi, neque a cibo bibere utile erit, minusq; inter prandium, & cœnam sic donec corpus optime expurgetur, regere se utile erit: & hæc de regimine ante assumptionem potus aquæ ligni: indici satis dicta sint.

Facta itaque iam dicta euacuatione quiescere per duos saltem dies oportet, deinde decoctum ligni indici infrascripto ordine bibere: uidelicet, parato cubile parti orientali exposito, non tamen sit uentis frigidioribus expositus, neque paludibus, aut cloacis uicinus, & clausis fenestris, & in eo igne accenso ut alteretur ad do-

mesticam caliditatem cum aliquali siccitate sit lectulus paratus,& sint coopertoria,ut tam post assumptionem decocti,quam nocte dum dormire uolueris,sit ita corpus munitum, ut nullo pacto a frigore patiatur, sed optime coopertum a frigore exterioris aeris defendatur.

Ligni autem decoctio hoc modo præparetur: Accipe ligni indici in pulverem per raspam redacti libram unam: aquæ fontis siue putei libras quatuordecim, pone in cacabo lapideo, dimitte per uigintiquatuor horas,ut optime lignum dicta aqua imbibatur:postea bulliant lento igne ad consumptionem tertiæ partis, & cola per colatorium,uel linteum,& colaturam serua in uase uitreo,uel lapideo uitreato:& hæc erit prima uocata decoctio: deinde lignum quod semel ebullieris iterum pone in cacabo,& desuper pone eandem aquæ quantitatem,& bulliant iterum ad consumptionem tertiæ partis:postea coletur ut dictum est,& colatura in uase alio uitreo seruetur,quæ colatura dicitur secunda decoctio:& quoniam sæpe qui hanc decoctionem sumunt, maiorem quantitatem secundæ decoctionis bibere consueuere: quare oportet iterum lignum bis decoctum, ut supra dictum fuit iterum in cacabo posito decoquere cum minori tamen aquæ quantitate: & ideo si oportuerit ponatur tertio dictum lignum, ut bulliat cum decem libris aquæ ad consumptionem tertiæ partis: quæ tertia decoctio potest misceri cum secunda, ut non deficiat potus secundus,antequam prima decoctio bibendo consumpta sit: sed cum difficile admodum sit, ut tertia tantum pars bulliendo adsumatur,hoc te admonitū esse uolo,quod hæc decoctio quanto plus ebullierit, melior ab ea operatio habetur præsertim in morbo antiquo. Præterea tam in prima,quam in secūda,& tertia decoctione optimum erit spumam colligere,& eam seruare: ualet enim ad ulcera antiqua istius morbi,& dissoluendum duricies,siue tumores dicti morbi,& quoque ad mitigandum dolores, si ea super ulcera, & tumores atque loca dolorosa calida posita fuerit. Parata igitur decoctione ut supra dictum fuit, & transactis duobus diebus a iam dictis expurgationibus incipiendum erit hanc decoctionem bibere hoc scilicet ordine: mane duobus horis ante lucē sumatur cyathus unus dictæ primæ decoctionis unciarum.x. calidæ,& post potum comedantur duo cochlearia passularum cooperiaturque in lectulo pānis,& etiam si dormiet optimum erit,& si sudauerit ter

gatur sudor: neque aliquo modo frigus patiatur, aut permittatur corpus refrigerari: Transactis deinde quinque horis iterum sumatur alter cyathus decoctionis dictæ secundæ calidæ, uel etiam frigidæ si calidam bibere displicuerit, & passulas post comedat: post quem potum secundæ decoctionis duabus horis prandium assumere est coueniens, quod erit ex pane bis cocto unciarũ quatuor, aut quinque, & trium unciarum carnis uel quatuor pulli gallinacei, aut uituli cum modico passularum: carnes uero sint coctæ lixatione, uel etiam assatione: Potus sit ex secunda decoctione ad libitum quoniam quanto plus ex ea bibunt languentes, tanto citius, & melius sanantur, neque uinum bibere oportet. quod si sine uino esse non poteris, in iam dicta secunda uel tertia decoctione ponatur modicum uini pauciferi medii coloris, & saporis. a prandio autem per quinque horas, iterum bibatur cyathus dictæ primæ decoctionis unciarum decem, & passulæ comedantur: post quem potum tribus horis cœna sumatur: sit tamen leuis, scilicet trium unciarum panis, & duarum carnis cum modico passularum: sumaturq; potus secundæ decoctionis: a cœna uero per duas horas aut tres iterum cyathus secundæ decoctionis bibatur: passulæq; post masticetur, dormiat deinde ad libitum, & mane iterum duabus horis ante ortum solis accipiatur decoctio dicta calida cum passulis; sicq; sequatur ordinem dictum tam quantitatis & temporis, q̃ cibi & potus usque ad quadraginta dies, & ultra, si non ex toto tumores resoluti fuerint, quod si inter diem sitis superuenerit potest ex secunda decoctione ad libitum bibi, nec in die dormire conuenit: nisi forte ex aliqua causa mox inquieta, & sine somno fuerit, tunc potest dormire horis tamen matutinis ante prãdium, sic bibendo procedendum erit ad quindecim uel uiginti dierum spacium: quod si uentriculus eam tolerare poterit optimum erit quantitatem primæ decoctioni horis matutinis augere, usque ad duodecim uncias: quem ordinem sequi necessarium erit usque ad quadraginta dies, & plus etiã ut dixi: sed quoniam dum hæc potio bibitur cum aliquando sudorem, aliquando etiam ut in pluribus plurimam urinæ quantitatem prouocet: & ob hanc causam intestinorum excrementa exiccata non quotidie euacuantur, in tali casu oportet clysteribus communibus aluum mollire, quod si cum decoctione herbarum pro clysteri dimidietas decoctionis ligni primæ misceatur, melior erit euacuatio, & intestinorum corroboratio:

roboratio: quæ clysteria non quotidie, sed quarta die possunt administrari horis matutinis ante prandium. possunt etiam sumi pilulæ aliquæ ad aluum ciendam, & ducendum materias paratas ad membra fluere, quæ pilulæ sint tales.

Recipe pilularum de fumoterræ ℈.ii.
foetidarum ℈.i.

Fiant pilulæ tres, sumendæ mane, cum prima bibitur ante diē decoctio. Sed cum tumores sint in inguinibus exulcerati non oportet particularem eorum curam prætermittere: quare si ponatur spuma dictæ decoctionis mane, & uesperi calida, & bis in die tergere optimum erit auxilium. potest etiam tam tumores, q̃ ulcera medicari unguentis in tali morbo laudatis, & inter cætera plurimum ualet unguentum mastichinum nostrum super lychinia extensum, & in ulceribus posita: desuper uero ponere unguentū diachilon cum gummis, uel unguentum mollitiuum, sicq; mundificare, & sanare ulcera: atq; dum ista perficiuntur quiescere oportet, & lætari cum amicis, & abstinere a uentis, aere ac etiam a uenereis, quod regimen exercitii, aeris, & amplexus, necessum etiam erit per aliquot menses post potum dictæ decoctionis obseruare, similiter abstinendum erit a cibis malis, ut sunt carnes porcinæ, agninæ, anserum, anatum & similium. Trāsactis uero diebus, quibus decoctio bibita fuit, poterit tua præstantia comedere (modeste tamen) maiorem carnium quantitatem, & panis etiam, non biscocti, atque oua sorbilia mane deuorare: uinumq; bibere optimum, sed non uinosum ut ita dixerim, uel meracum: sicq; successiue & sensim ad consuetum modum uiuendi deuenire oportet: semper tamen abstinere operæprecium erit ab acetosis frigidis & humidis cibariis, ut sunt pisces, caseus, & similes. Plurimum etiam utilitatis tum præseruando a recidiua, tum etiam reliquias materiæ morbi, si quæ relictæ fuerint, consumendo, consequeris si post omne tempus bibendi dictam decoctionem, etiam quando ad consueta munia exieris singulo mane cyathum dictæ decoctionis per decem uel quindecim dies biberis. similiter ad præcauendum ne in recidiuam tractu temporis ut factum fuit ex residua materia relicta, & non euacuata, quæ serpendo iterum totum corpus mutarunt hoc modo sumere medicamentum tam extra corpus educens utile erit.

Recipe diacatholiconis ʒ.x.
electuarii de dactylis ʒ.ii.
ſyrupi roſati ſolutiui ℥.i.s.
Aquarum abſinthii
betonicæ } an.q.s.

Miſce,& fiat potio ſumenda in aurora quinque horis ante prādium poſt quam leuem euacuationem, ut membra naturalia roborentur,hæc confectio ſingulo mane ſumenda erit per duos ſaltim menſes.

Recipe ſpecierum aromatici roſati
ſpecierum diarhodonis abbatis } ana ʒ.ii.
ſpecierum dialaccæ ʒ.s.

Sacchari fini quantum ſatis erit fiat ex eis confectio in rotulis cum aqua agrimoniæ de qua confectione ſumatur mane ut dixi tertia pars unius unciæ quatuor horis ante cibum. Plura alia uir præſtantisſime potuiſſem ſcribere, ſed ſatis uolui hæc fuiſſe: quoniam ſi recte adminiſtrata fuerint procul dubio optimam ualetudinem conſequeris,quam Deus tibi concedere dignetur.

Vale.Venetiis die nona Aprilis, M D XXXIX.

AD EXCELLENTISSIMVM MEDICVM Dominum Valentinum Podlodoſium,De morbo Gallico cum dolore capitis,pectoris, colli uertebrarum & reliquarum iuncturarum,atq; ulceribus conſilium.

EPIST. XXV.



NEMO ſane clarisſime ac excellentisſime Domine ex relatis a clarisſimo Domino Valentino Podlodoſci ambigere poteſt, affectum quem paſſa eſt ſua dominatio iam ſunt duo anni illum morbum Gallicum fuiſſe, cum præter alia accidentia, quæ tunc præceſſere,puſtulæ q̃ plurimæ,ſiccæ tamen;ſparſim per corpus etiam apparuerunt, quæ per illinitionem unguentorum mercurialium bis factam,& q̃ plurimas euacuationes euanuerūt, non tamen ſanitati ex omni parte reſtitutus:cum adhuc & caput, & pectus uniuerſum,& ſpatularum iuncturæ una cum colli ſpōdilis,præter ulcus q͞ a duobus menſibus in ſede apparuit, quod

in dies ampliari uidetur. Cum itaque nobilissimus dominus sic dolorosis affectibus laborans in Italiam uenisset, ac experiri uoluisset, nunquid potus aquarum thermarum patauinarum, ducia, & lauationes in ipsis aquis Apponensibus aliquid sibi auxilii præstare possent, uoluit et aquam bibere, & duciam experiri, ac etiam pluries se in dictis aquis lauare. cumq; hæc omnia expertus nihil sibi profuisse cognoscat: & in patriam reuerti, ibiq; si fieri potest á dolorosa dispositione, & ulcerosa etiam liberari desideret, me accersiuit rogans, ut sibi de agendis, posteaquam in patria erit, cõsilium conscribere uelim. Cui equidem obtemperaui, & in primis cum dolores, & ulcus sint accidentia, quæ á mala hepatis temperatura frigida manifesta cum etiam occulta qualitate, quam Gallicam medici uocant pendeant, & mala temperies iuxta Galeni doctrinam primo de morbis, & in aliis, morbus sit, ideo curatiuam methodum ad ipsam primo conuertam. Primum itaque dũ in itinere patriam petens erit sua dominatio, caueat a caliditate nimia aeris, & solis; caueat etiam multo magis a frigore præsertim nocturno: caueat quoque a nimio labore corporis, & equitatione laboriosa: comedat optimas carnes, & optima uina bibat, quæ nõ sint potentia sed media, medii etiam saporis, & coloris. Dormiat horis congruis: ita ut uires quæ non parum ex assumptis aquis thermarum imbecilles factæ sunt, instaurentur. Posteaquam igitur domum se receperit, ac per aliquot dies a laboribus itineris quieuerit fiant in primis infrascriptæ euacuationes, præmisso regimine in aere, cibo, & potu, & aliis, ut in processu sermonis scribam, accipiatq; primum bolum hoc modo.

Recipe electuarii lenitiui
diacatholiconis } an.ʒ. vi.
confectionis hamech . ʒ.ii.

Misce, & cum saccharo fiat bolus, sumaturq; mane, & tardetur cibus usque ad quinque horas, qui cibus sit ex optimo pane puta loto in iure optimarum carnium, ut sunt pullorum, gallinarum, caponum iuuenum, uitulorum, & similium: bibat uinum paucisferum non acerbum, neque ualde dulce, uel ceruisiam ex hordeo lupulis, & absinthio, uel saluia facta. Quiescat etiam domi, neque dormiat nisi nocte: sequenti postea die accipiat in aurora hunc syrupum calidum dormiat etiam ad libitum, & post eius assumptionem tardetur prandium quinque horis post.

Recipe syrupi de fumoterræ simpl. } an. ℥.s.
de endiuia
mellis rosati colati ℥.i.
Aquarum betonicæ } ana ℥. ii.
lupulorum

Misce, quod si prædicti syrupi lympharentur cum decocto betonicæ lupulorum & iuæ, optima erit admistio. fiat tamen ut magis gratum erit suæ dominationi: similiter etiam ex iam dictis syrupis accipere oportet per aliquot dies in Aurora, donec præparetur, quod cognoscetur per substantiam colorem, & contentum in ipsis urinis: neque numerum certum syruporum accipiendorū scribam, neque dies, sed hoc fiat ut dixi secūdum iudicium ex urinis sumptum: non tamen minus quinque accipiantur, quibus acceptis, & in urinis præparationis materiæ signis uisis iterum euacuetur isto infrascripto euacuatiuo.

Recipe passularum mundatarum } ana. ℥.s.
liquiritiæ
prunorum num. vi.
polipodii ʒ.iii.
folliculorum senæ ʒ.ii.
florum boraginis } ana ʒ. i.
buglossæ
Aquarum lupulorum } ana. q.s.
betonicæ
iuæ

Misce decoquanturq́ per ordinem secundum ingredientium opportunitatem, fiatq́ expressio, & cū expressione dissoluamur.

Recipe electuarii lenitiui ℥.i.
de sebesten ℥.s.
confectionis hamech ʒ.ii.
succi rosarum puri ℥.s.

Misce, & fiat potus, quem sumat calidum mane in aurora: dormiat etiam per horam post si libuerit, tardet prandium quinque horis: quod prandium sit ex iam dictis carnibus, & ferculis: Neq; dormire oportet per diem nisi uoluntas fuerit, euacuationem, si superfluerit, retinere. Et quoniam posset quis medicus de euacuatione per sanguinis missionem cogitare, an scilicet prodesse possit. Huic uero dubitationi dico uenæ apertionem non conueni-

re plurimis de causis, primum quoniam a principio pustulæ apparuere: quæ non insignem sanguinis permistionem ostendebāt. Secundo quia iam inueterata est ægritudo. Tertio temperies quæ biliosa est. Quarto quoniam ex iam superius dictis corpus imbecille factum est, quare dimissa de sanguinis missione cogitatione, si ulteriori eguerit euacuatione iterum dentur syrupi ad præparandam materiam, ut est syrupus de fumoterræ compositus, de stœchade, cum melle rosaceo, qui sint lymphati suprascriptis aquis, aut decocto betonicæ, lupulorum, iuæ: quod si lympharentur cum unciis tribus decoctionis epithymi Mesues multo magis placeret. Similiter in euacuatione si adderetur agaricus optimum esset præsidium. quare fiat tertia euacuatio hoc modo.

Recipe electuarii lenitiui ʒ.i.
de sebesten ʒ.iii.
confectionis hamech }
Agarici præparati } an.ʒ.i.s.

Decoctionis epithymi Mesues q.s. misce & fiat potus sumenda ut supra mane per quinque horas ante prandium. Quibus factis euacuationibus per duos aut tres dies quiescat, comedatq; ea cibaria, quæ in minori quantitate uirtutem multum instaurare possunt. Deinde decoctum ligni indici primum sibi hoc modo præparet. Recipe ligni indici optimi in subtilissimum puluerem redacti libras duas, aquæ fontis, uel putei claræ, & dulcis sine extraneo sapore libras uiginti: dimittantur simul infundi per horas xxiiii. deinde in cacabo lapideo, uel olla uitreata simul bulliant ad ignem lentum, ut aiunt, usque ad dimidiæ partis consumptionem, & facta diligenti colatura seruetur decoctum in uase uitreo, aut lapideo uitreato, & ista dicitur prima decoctio. Deinde iterum super huiusmodi puluerem qui semel ebullierit pone libras uiginti aquæ ut prius factum fuit, bulliatq; iterum ad consumptionem medietatis, & facta colatura ut supra seruetur in uase alio uitreo, uel lapideo uitreato, & ista erit secunda decoctio. Postremo puluerem qui bis decoctus fuerit, pone in cacabo, & desuper libras quindecim aquæ, & libram unam, & semissem mellis optimi, cinnamomi uncias duas; & bulliant ad consumptionem tertiæ partis, coletur ut supra & seruetur in uase ut dictum fuit uitreo, uel lapideo uitreato, & ista est tertia decoctio. Quæ decoctiones secundum hunc infrascriptum ordinem accipiantur, siue bibā

tur manendo domi. Primum sua dominatio accipiat in aurora cyathum unum primæ decoctionis calidæ ponderis decem unciarum,& immediate post comedat pugillum optimarum passularum nigrarum. Deinde dormiat mediocriter coopertus pãnis: ita ut si fieri potest leuis sudor excitetur,sicq; quiescat quinque horis post:deinde iterum cyathum unum secundæ decoctionis bibat ponderis decem unciarum ut supra: comedatq; passulas, & quiescat per tres horas post secundum potum; deinde suum comedat prandium,quod erit ex optimo pane bene fermentato, & optime decocto loto si uoluerit in iure pulli,aut carnis uituli, aut capi iuuenis:comedat etiam portionem carnis,uel parui pulli, uel capi iuuenis,uel perdicis aut turdorum,& reliquarum auium nemoralium,quæ siue elixæ fuerint,siue assæ una cum passulis comedantur. Quantitas uero tam panis,q̃ carnium sit puta dimidia, uel tertia,si tolerat,ad consuetum modum comedendi, dum per se sine sociis comedere solet, bibat tertiam decoctionem cum melle, & cinnamomo factam ad libitum. Post prandium quiescat, uel leuiter per thalamum deambulet,& transactis quinque horis iterum accipiat primum decoctum calidum,& comedat passulas: deinde post duas horas comedat cœnam dimidiæ quantitatis prandii,cũ passulis;bibat decoctionẽ tertiam ad libitum: deinde duabus horis post cœnam bibat iterum cyathum secundæ decoctionis, & comedat passulas;ingrediatur lectulum,& coopertus dormiat, & iterum mane bibat primam decoctionem ut supra coopertus, & sudet si fieri potest;sicq; ut dictum fuit post quinque horas bibat secundam;& accipiat prandium; & omnia fiant secundum ordinem præscriptum tam in potu decoctionum,q̃ in prandio & cœna,& hoc per quindecim dies continuos. Transactis quindecim diebus si res in melius succedat, ita ut dolores alleuientur, sequatur hunc ordinem bibendi dictam decoctionem usque ad quadragesimum quintum diem,q; si non eleuatus ab ipsis doloribus fuerit;transactis quindecim diebus addantur in dicta decoctione unciæ sex ex cortice dicti ligni. scilicet accipe ligni indici puluerizati libras duas,corticis ipsius etiam puluerizati uncias sex,aquæ fontis seu putei libras uiginti,infundantur, & bulliãt ut superius dictum fuit fiantq; tres decoctiones; Tertia uero bulliat cum cinnamomo,& libra una & semissæ mellis; Bibenda in prandio & cœna, de quibus decoctionibus sumatur secundum suprascriptũ

modum uidelicet,mane in aurora prima ante prandium:secunda ante cœnam.iterum prima post cœnam:secunda cum passulis, ut supra prosequatur bibendo usque ad alios quindecim dies continuos comedendo ut dictum fuit. Quod si res melius procedent ita ut dolores imminuantur nihil immutandum erit,sed sic bibat usque ad quadragesimum quintum diem. At si ad trigesimum diem etiam dolores pertinaces fuerint præter lignum, & corticẽ adde mellis optimi libram unam & semissem: & bulliat ad consumptionem dimidietatis. similiter in secunda decoctione addatur mel,& etiam in tertia, bulliantq; omnes ad consumptionem medietatis. Continuetur potus usque ad quadragesimum quintum diem,ut dictum fuit. Vlcus uero quod in sede est curetur in primis unguentis astringentibus, & mundificantibus, ut est unguentum damascenum,aut cum unguento ceraseos Mesuæ: facta postea mundificatione,quærenda est ultima cura, quæ est loci sigillatio cum unguento de palma, aut cum unguento nostro masticino,quoniam exiccat & membrum corroborat. Hæc omnia sic administrata,ac transactis quadraginta quinque diebus,sensim reuertendum est ad consuetum modum comedendi, & bibendi; & etiam ad alia munia exercendum. Et quoniam remanent reliquiæ materierum, & etiam ex inedia imbecillorum membrorũ naturalium,& præsertim stomachi, & iocinoris,idẽ est necessum & post quadraginta quinque dies accipere ea, quæ stomachum, & hepar roborant,ut est aromaticum rosatum,& diarhodon Abbatis hoc modo.

Recipe specierum aromatici rosati ʒ.i.
diarhodonis Abbatis ʒ.ii.
sacchari fini q.s.

Misce & aqua rosacea fiat confectio in rotulis: de quibus sumatur mane ante prandium per quatuor horas una uel duæ. Notare etiam oportet post potum aquæ iam dictæ; operæprecium esse, abstinere se ab acetariis omnibus,a carnibus porcinis, a caseo, & butyro,a leguminibus,a piscibus,ab oleribus malis, ut sunt caules,& eruca,a salitis,& nimia comestione aromatum;a uinis potẽtissimis,coitu,& reliquis malis cibariis.post decem,uel quindecim dies facta scilicet instauratione uirium reliquiæ materierum sunt expurgandæ;Quare digerantur prius istis syrupis.

Recipe syrupi de fumoterræ } an.℥.i.
mellis rosati

Aquarum cichoreæ } an.℥.i.s.
betonicæ
absinthii

Misce,& ut supra dentur calidi in aurora, dormiatq́ post ad libitum:comedat etiam quinque horis post assumptionem. similiter singulo mane accipiat dictum syrupum usque ad quinque uel plus si eguerit.Cum uero in urina signa præparationis apparuerint infrascriptam medicinam euacuantem accipiat.

Recipe electuarii lenitiui } ana ℥.s.
diacatholiconis
de psillio montagnanæ ℥.ii.s.
succi rosarum puri ℥.i.

Aquarum absinthii } ana. q.s.
betonicæ

Misce & fiat potio,sumaturq́ calida in aurora, tardetur prandium quinque horis:sequenti mane accipiat lauatiuum, ut aiunt ex iure pulli,aut capi iuuenis;Neque dimittantur confectiones superius scriptæ,ad stomachi,& iecinoris confortationem: regatq́ se regimine præscripto,quoniam Deo optimo auxiliante pristinam salutem istis mediis aucupabitur:quam ipse ineffabilis dare sua bonitate dignetur. Venetiis, anno M D XLIIII. die. x. Iunii.

CONSILIVM

CONSILIVM DE EPILEPSIA SEV MORbo comitiali,& apostematibus frigidis in temporibus,atq; auris & naris dexteræ obstructione,oculorumq; tenebrositate,& totius etiam lateris dexteri grauedine.

EPIST. XXVI.



A quæ de nobilissimo uiro ægrotante a uobis doctores optimi conscripta fuere omnia laudamus, uehementissimeq; comprobamus, tum quia id totum quod ad morbi cognitionem in tam difficili casu desiderari poterat doctè admodum, & diligenter prosequuti estis:tum q in eo ipso curando, modo, & ratione usi fuistis.Quæ non nisi uos expertissimos, pariter & doctissimos medicos indicarunt.Nec nostram hanc sententiam decepit morbi processus:neque difficilis ipsius alleuiatio de uirtute uestra iudicium quicquam imminuit. Quoniam hoc nobis expositum, atque compertum est, eundem hunc morbum ob eius naturam, & q̄ plurimis aliis de causis nequaquam imminui, aut curari potuisse,quemadmodum diffusius suo loco declarabimus, quare ad rem ipsam accedemus.

Eximius uir ille in ætate primi senii constitutus,agit enim quadragesimum sextum eius ætatis annum, qui illius temperaturæ esse dicitur,quæ per calidum,& humidum a iustitiali temperamēto insigniter declinat,cum ex scriptis tria omnia membra principia,& eis deseruientia tam in plasmatione, q̄ quantitate, colore, & operationibus claré hoc ostendant,quibus(ut dicitis)uentriculi frigiditas,& ipsius humiditas non parum cōtra operantur. Hic inquam nobilis uir ex uariis incommodis,& malo sex rerum necessariarum usu in malam uniuersi corporis temperiem frigidam incidit,& præsertim cerebri. Etenim cum iuuenis esset plurimas frigidas regiones mutauit,atque in ipsis commoratus est. Deinde præter illam uniuersi corporis refrigerationem, quæ ab aere frigido contraxit,sine discrimine etiam usus est cibariis tam in substantia,q̄ quantitate,qualitate,& ordine, malas, & multas superfluitates aggenerantibus.Etenim plurimam quantitatem diuersorum comestibilium unica mensa sine ordine, & conuenienti masticatione ingessit, ac deuorauit, neque unico, aut triplici genere

comestibilium contentus fuit. Sed uina etiam diuersa potentiora, atque insignis quantitatis sine discrimine, & ordine bibit, & ut omnia uno uerbo complectar omnibus aliis rebus necessariis abusus est, exercitio scilicet intempestiuo immoderato, & forti: necnon etiam sine ulla penitus exercitatione sæpissime manens plurimum dormiens, sæpe etiam ex magnis negociis nimium uigilauit, nec operam dedit ut uentris inferioris excrementa quotidie expurgarentur sponte, aut ab arte excitata, siue per uomitum superiores partes tentando eiicerentur, minimeq; a uenereis & tristibus cogitationibus se abstinuit.

Ex quibus procatarcticis caussis facile est interiores, siue antecedentes causas inuenire, humorum scilicet crudorum abundantiam: qui unà cum totius corporis refrigeratione fuerunt, & sunt causæ materiales & efficientes omnium præter naturalium dispositionum hunc nobilissimum Dominum molestantium: quarum prior, & antiquior (ut scribitis) sunt duo tumores in temporibus, qui ab hinc decem anni apparuere, sed maior apparet ille in tempore dextro existens. fuit etiam naris dexteræ per multos annos obstructio, atque eiusdem lateris auris surditas, a qua post plurimæ materiæ uiscidæ emanationem liberatus est. Præterea fuit (ut audiuimus) & in præsentia adhuc adest oculorum tenebrositas, uel scotomia præsertim ab assumpto cibo: cum quibus omnibus totius lateris dexteri grauitas quædam sine tremore existit: quæ omnia symptomata frigidorum humorum multitudinem attestantur. Postremo uero (ut scribunt excellentiæ uestræ) iam sunt decem anni, q hic Magnificus uir præter iam dicta incidit in leuem epilepsiam siue morbum comitialem, bisq; uno anno hoc accidente correptus fuit, cum subito conciderit sine sensu, & si cum aliquali membrorum conuulsione fuerit, a qua per aliquod tempus minime molestatus fuit, interim tamen uertiginosus fuit, & non sine aliquo leui stupore; ultimo post aliquod tempus deteriores, & fortiores redierunt uentriculorum cerebri obstructiones, a quibus epilepsia deterior reuersa est, uel morbus comitialis, cum audiam hunc præstantissimum uirum ter anno præterito fuisse molestatum cum deterioribus symptomatibus, scilicet omnium sensuum amissione, & maxima omnium membrorum conuulsione, atq; oris spuma. Quæ symptomata antea minime fuerunt.

Ex quibus sine aliqua hæsitatione in uestram incidimus sentē-

tiam ſcilicet præter alios omnes præter naturales affectus uirum Magnificum laborare diſpoſitione præter naturam, quam Græci epilepſiam, Latini comitialem morbum uocant, à uulgo uero morbus caducus dicitur ex uniuerſi corporis refrigeratione, & repletione, & præcipue cerebri: Cætera quoq; alia ut temporum apoſtemata, auris, & naris dexteræ obſtructio, atque oculorum tenebroſitas, ſiue ſcotomia una cum totius etiam dexteri lateris grauedine ab eiſdem cauſis prouenire rationali diſcurſu credimus.

Quibus ſic cognitis cum ſoleant medici de futuro aduētu quærere, uidendum eſt, quem finem diſpoſitio primaria, & aliæ habituræ ſint, an ſanabiles, uel penitus ſine aliqua ſpe ſint, & an cito, uel tardæ: quæ omnia breuiter à uirtute, & diſpoſitionibus præter naturam, ſuiſq; cauſis & à conſuetudine, & aliis uenati ſumus. Et tametſi ratione ætatis, & temperamenti uirtutum conſtantiam iudicare potuiſſemus: attamen cum ex morbi diuturnitate minime fieri poſſit, quin omnes uirtutes iam labefactatæ ſint, & præſertim naturalis, & animalis: ideo iudicio ſumpto ab operationibus læſis, non niſi male prognoſticari poſſumus. Etenim cum naturalis uirtus cordi etiam deſeruiat ſanguinē pro ſpirituum generatione & inſtauratione præparando, & ea ipſa uirtus plurimum labefactata ſit: ſpiritus qui ex ſanguine præparato ab ipſo iecinore fiunt, non ex omni parte probi ſunt: quare hac ratione uirtutem uitalem etiam imbecillam eſſe dicere operæpreciū erit, ſicq; ex hoc omnium uirtutum languore plurima pars ſpei ſanandi aufertur. Præterea ut ex propoſito ordine procedamus morbi, ſiue diſpoſitiones præter naturam maximæ, & magnæ ſunt, cum ex diametro ab optima ſanitate & ſanitatis cauſa diſtent. Nam ſanitas in optima totius temperatura conſiſtit, & illa quidem moderate calida: Morbus uero primarius mala temperies naturalium & uniuerſi corporis frigida materialis eſt, & præſertim cerebri: & ideo tanto deterior, & difficilior morbus ad ſanandum redditur, quanto à naturali ſanitate diſtat: addamus quod habet etiam cauſas omnes iam habituatas & ut audio minime in ſex rerum neceſſariarum cū ſit male habituatus regulari poteſt: & ut reliquas res naturales omittam ut a uobis ſcribitur, Nobiliſsimus hic uir deliciis deditus etiam nunc omnia cibaria ſine diſcrimine ingerit, & copioſe quidem, atque ſine ordine, ſineq; maſticatione, ita ut lupina utatur uoracitate, uina etiam diuerſa, & potentiora copioſiſ-

ſime bibendo, ex quo factum eſt, ut materiæ pituitoſæ aggregatæ non tantum ſint craſſæ ſed etiam permiſtæ humore ex aduſtione melancholico quæ in ambitu totius, & præſertim in cerebro iam confirmatæ ſunt; unde fit ut non ſolum dicta materia, hanc præter naturalem diſpoſitionem faciat per conſenſum à membris inferioribus, ſed etiam totius corporis conſenſu, ac etiam per eſſentiam, & præſentiam plurimæ materiæ dictæ contentæ in cerebro præter malam temperiem frigidam, iam per multos annos acquiſitam, ex quibus mala procul omni dubio erit prognoſticatio, cui noſtræ rationali ſententiæ fauerint dicta Galeni de iſtis ſcribentis in libello de ſanguinis miſsione per uenæ inciſionem medicos admonens hunc in modum ingluuioſos, atque immoderate comedentes, & ſine ordine, & plurimi uini potatores nullo unquam ſanabis auxilio, ſiue illud per ſeceſſum educet, ſiue aperta uena ſanguinem euacuaueris: quoniam ſemper nouam aggregant materiam, cum Dominus hic talis ſit, non uideo quomodo ſanitatem medicinali auxilio recuperare poſsit: adde etiam ex Galeni & Hippocratis ſententia in commento ſeptimo quintæ particulæ Aphoriſmorum: ꝙ qui iam trigeſimum quintum annum trãſierunt a comitiali morbo correpti minime ſanari poſſunt: ſed ut plurimum cum ipſa tali diſpoſitione commoriuntur: poſſemus quidem uiri clariſsimi plurimas authoritates, & rationes alias ſubſcribere, quas quoniam uobis notiſsimas eſſe iudicamus, dimittemus, & ad intentum finem ſermonem conuertemus: quoniam ex dictis morbi diuturnitas, difficultatem illam quæ impoſsibilitatem declarat, procul omni dubio oſtendit.

Reliquum eſt quæ ad curatiuam regulam pertinent conſcribere, ut ſi ſanari non poterit ſaltem in deterius non prolabatur initio ſumpto à rerum neceſſariarum enarratione, & primo caueat ex ſuperioribus dictis ab aere frigido turbido, & pluuioſo, atque à uentis frigidis, & caput replentibus, & præſertim a nocturno, & matutino nec tamen locus habitationis nimis calidus ſit quare lõga mora in hypocauſtis fugienda eſt & ante cibum tam matutinum ꝗ ueſpertinum leuis præcedat exercitatio. Et quoniam abſtinentia cibi & potus, & optima uictus ratio ex Galeni ſententia loco paulo ante citato plurimum conducit: & præter multas procatarcticas cauſas ingluuia, & ingeſtorum plurimorum cibariorum multitudo & uini potus immoderatus in cauſa multarum

dispositionum præter naturam, & earum conseruationes existit: ideo unico genere cibi contentus sit, tam in prandio, q̃ in cœna, & in minori quantitate: sintq; cibi ex optimis carnibus, faciles concoctionis: & ex illis, quæ attenuant, ut aues nemorales: similiter & potus sit aqua mellis una cum granis piperis, & parum gingiberis, & peoniæ radicis, atque cum ipsius seminibus: ita ut si fieri potest, uel a uino abstineat, uel plurimo dicto decocto dilutum bibat, sit etiam in pauca quantitate neque potens, aut dulce. Ante cibum uero radicem gingiberis conditi comedat, & a cibo radicem pæoniæ ex melle conditam: neque ullo modo post prandiũ aut cœnam bibere conuenit: q; si a cibo bibere assuetus est, bibat decoctum seminum, & radicum peoniæ una cum syrupo ex decocto gingiberis, & melle facto: comedat post rotulam unam confectionis pliris arcoticum, & ut summatim dicam, sit uictus attenuans, minime ad caput euaporans: sitq; inter prandium, & cœnam conueniens tempus, ita ut minime cœnet, nisi prius prandium optime digesserit.

Habeat quotidianum uentris inferioris beneficium: q; si aluus non sponte mota fuerit supponatur clyster ex decocto maluæ, betonicæ, centaureæ seminum cartami, & chamæmillæ: in quo addatur mel rosatum, atque hiera composita.

Ante cibum modeste se exerceat, noctéq; quiescat, caueat ab amplexu uenereo quoniam semiepilepsiæ assimilatur, fugiat quoque animi accidentia tristia iram, & timorem.

Et quoniam præter malam temperiem ex superioribus causis plurimæ superfluitates crudæ pituitosæ cum humoris melancholici miscella in omnibus membris huius Nobilissimi uiri abundant, sed præcipue in naturalibus, & uiis communibus: ideo omni ingenio, & diligentia eorum euacuationi studendum est. quare cum crudæ sint, & digesta medicari & mouere non cruda &c. oportet, ut præparentur cum syrupo de stœchade, de betonica, & melle scyllitico. qui syrupi diluantur cum decocto radicum pæoniæ & eorũ seminibus, betonica, ruta, mẽta, absinthio, & similibus.

Euacuentur superfluitates dictæ electuario lenitiuo, una cum hiera pachi à Scribonio Largo descripta: quoniam in casu medicina singularis, & sine pari dicitur, neque unica euacuatione in tanta quantitate materiæ sperandum est posse ipsam imminuere, ut uirtus residuum regulare possit: & ideo reiteratis syrupis, iterum

præparetur materia euacuationi, in qua secunda euacuatione una cum lenitiuo, & dimidia uncia hieræ pachi, agarici etiam præparati, uel trochiscati (ut dicunt) portio addatur ad quãtitatẽ unius, uel duarum drachmarum. Est & ipse agaricus in casu medicina (præter alias manifestas uirtutes) epilepsiæ appropriata: possunt etiam dari pilulæ de hiera cum agarico: & quoniam leues sunt aliquando simul pilulæ cochiæ addantur, aliquando fœtidæ ad uigorandam earum operationem: sed si adhuc ualidiores, & capitis antiquæ dispositioni magis succurrere intendimus laudantur summopere pilulæ Arabicæ. Plura alia scribere potuissemus, quæ de industria silentio prætermisimus, ne mineruas instruere uelle uideamur.

Post euacuationes, & etiam dum dicta successiue administrantur membra læsa tum a dispositionibus præter naturam, tum etiã a medicinis imbecilliora reddita roborare consueuit: quam intentionem facile consequetur, si mane ante cibum acceperit rutam uiridem, aut diptamum cretensem, hyssopum, uel grana iuniperi, siue rotulam unam confectionis diagalangæ, diatrium piperium, uel confectionis diamusci amari, uel diambræ, aut confectionis pliris arcotici, quæ mihi magis approbatur, uel cochleare oxymellitis scillitici, & in fine utatur mithridatica confectione, aut theriaca ipsa: sunt & aliæ plurimæ confectiones: quibus Nobilissimus uir summa cum utilitate uti poterit ut confectio humain a Domino Mesue in de ægritudinibus oculorum descripta, est & confectio florum anthos, saluiæ, betonicæ, stœchados, & similes ex melle factæ, quare pro libito uestrarum excellentiarum eligantur, & exhibeantur. Conducit etiam exterius stomachum roborare, ideo ante cibum inungatur oleo mastichino, de menta, de absinthio, & nardino additis speciebus diagalangæ, & ceræ parum: similiter a cibo ad cerebri robur, & ad prohibendum cibariorum euaporationem, & aliarum superfluitatum in uentriculo existentium, & uiis propinquis: accipiat ut superius dictum est radicem pæoniæ ex melle conditam, aut rotulam unam pliris arcotici.

Et quoniam concidit aliquando cum deterioribus symptomatibus, ut anno præterito contingit, dicimus ꝙ in tali casu naribus propinanda sunt odoramenta ex ruta, uel succo ipsius, aut ex decocto rutæ, maioranæ, & spicæ in aceto uel cum castoreo ex aceto

dissoluto: quoniam mirum in modum ad citam expergefactionem facient: & postquam reuiuiscerit, ut quiescat necessarium est, donec ex toto uapores, qui obstructionem faciebant dissoluantur, detur rotula diamusci uel confectionis pliris arcoticum ad hoc ut eius uapores dissoluantur, & cerebrum roboretur pariter & uentriculum postquam ad ipsum descenderit.

Ad reliquas uero dispositiones præter naturam superius enarratas: quoniam ab eisdem causis materialibus & efficientibus illæ prouenerunt, & conseruatæ permanent, nullum particulare remedium scripsimus cum omnis nostra fuerit intentio causas prædictas remouere, ad quarum remotionem (si id fieri poterit) procul omni dubio eorum affectuum resolutionem speramus.

Sed quoniam a uobis intelleximus plurima ex ratione facta fuisse: quæ minime Dominationem suam liberarunt, ideo petierunt excellentiæ uestræ, ac a nobis quædam scire exoptarunt. Et primo nunquid aliqua sanguinis missio non tantum ad curationem, sed ad præseruationem ex usu esse poterit: multa enim sunt quæ de uenæ apertione suadent: sed negat hoc idem rationalis Galeni sententia quarto de tuenda ualetudine timentis, & admonentis abstinere a sanguinis missione in corporibus, in quibus bonus sanguis exiguus est & etiam dicta in libello de missione sanguinis paulo ante citata, in reliquis uero malis succis, qui sunt plurimum crudi & alieni a sanguine aperire uenam prohibet: ac etiam timor est: quoniam dispositiones omnes præter naturam frigidæ sunt, & a causa frigida materiali ut dixi conseruātur.

Quare ad quæsitum respondemus sanguinem mittere per uenæ incisionem nullo modo conuenire: præsertim si quis in brachio uenam aperire uoluerit: cum circa cor, & membra propinqua meliorem, & puriorē sanguinem esse credamus, tametsi uniuersa massa sanguinea in ambitu totius, & in locis ubi natura excrementosum sanguinem deponere solet, ut sunt mariscæ, seu uenæ hæmorrhoidales dictæ in sede: nam cum plurima materia infecta, & commista sit malis, & crudis superfluitatibus ibi esse rarationabiliter credere possumus, immo potius certe asserere: quare optimum remedium erit & præsentaneum auxilium ponere sanguisugas, seu hirudines in sede uenis illis mariscis, & sanguinis insignem quantitatem euacuare, præsertim si crassus, & ater fuerit. Dicebat enim princeps Auicenna cap. de phlebotomia, phle-

botomiam esse euacuationem uniuersalem humorum multitudinem,& diuersitatem euacuans:quo stante bonum sanguinem per hunc locum non euacuabitis, sed malum crassum, & excrementosum.

Secundum quod à uobis postulatum est,fuit an cauteria in aliquo membro utilia esse huic nobili uiro possint: timetis autem hominis timorem,& quoniam illis minime assueuerit. Cui secundo quæsito respondemus ex omnium præstantissimorum medicorum sententia cauterium cum sit medicamen ualde nobile non nisi summopere prodesse posse tum diuertendo, tum deriuando, & a loco affecto euacuando. Quare communis fuit sententia, ut in primis in ambobus cruribus fieret in parte syluestri, sub genu scilicet.Deinde post aliquot,& plures dies fiant in parte superiori in ambobus brachiis.Postremo post multos etiam dies fiant in capite in regione comissuræ, seu suturæ coronalis dictæ, neque generosius auxilium in casu tam difficili, & malo inueniri posset.

Tertium quæsitum fuit cum plurimam spem habeatis ex potu aquarum thermarum:quoniam præter q̃ quod materiam,& humores crudos euacuare possit etiam membra refrigerata roborare poterit. Hæc etiam nos affirmamus & omnino uobis consulimus. Etenim ex potu dictæ aquæ Patauinæ scilicet euacuabitis materias plurimas,& diuersas per plures dies sine intermissione: quod plurimum faciet,ne noua aggregetur materia,deinde relinquet uestigium caliditatis, & siccitatis membris primo naturalibus & etiam uniuerso corpori,illa tamen cautè secundum uirtutis tolerantiam detur,atque cum mediocri cibi & potus abstinentia,sed sit sine somno diurno. Neque timenda est loci distantia, cum hoc in tempore possit etiam ad alias regiones asportata plurimum operari.Ducia uero nobis suspecta est, tum propter capitis plenitudinem, & etiam uniuersi corporis imbecillitatem ex morbi diuturnitate,& mala uictus ratione, quare eius consideratio,& administratio omnino prætermittenda est.

Postremo quæritis an forte ligni Indici, seu guaiaci decocti usus aliquo modo poterit sibi ex usu esse.Cui ultimo quæsito respondemus ex uestra sententia non plurimum profuturum, cum iam ter biberit: nec propterea plurimum ex eo beneficium percepit:sed si quid iuuamenti fuerit,illud a tenui diæta potius, q̃ a medicinali potu fuisse crediderunt excellentiæ uestræ. Et ideo dici-

mus

mus ligni guaiaci potionem posse aliquo modo sua qualitate calefaciente & uentriculum exiccante prodesse: minime tamen primario affectui plurimum conferre, tametsi medicina calida & sicca sit: porro ex Aristotelis sententia non quodlibet agit in quod libet sed determinatum in determinatum.

Posset tamen Magnificus uir potione ligni indici, seu guaiaci, loco potus tam in prandio, quàm in cœna uti, quæ hoc modo facta sit.

Recipe ligni indici puluerizati ℥.vi.
radicis pæoniæ } ana ℥. ii.
zinziberis.
mellis optime despumati ℥.iiii.
Aquarum betonicæ } an. L.v.
pæoniæ

Misce, & maneant per xxiiii. horas simul: deinde bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & facta diligenti expressione seruetur decoctum in uase uitreo: de quo poteris in prandio, & cœna ad libitum bibere.

Hæc sunt clarissimi, ac doctissimi uiri: quæ pro eximio, & nobilissimo ægrotante ad uos scribere uolumus plurimis negociis in uisendos ægris sine temporis intermissione impediti. Deus optimus Maximus, qui solus languores sanat, ipse mentes uestras dirigat, ut uestra ope hic Magnificus uir (si fieri poterit) sanitati restituatur, sin minus saltem a deteriori malo præseruetur: ut eius uitam minoribus angustiis in futurum ducere ualeat: Valete, & saluete uiri Doctissimi, atque ad uos hæc nostra tumultuarie scripta boni consulite. Venetiis, M D L V I. Mense Maii.

AD CLARISSIMOS ET DOCTISSIMOS Medicos Patauinos pro Nobilissima & clarissima Matrona Domina Helena Centani, de male affecto crure cum tumore in genu & impotentia motus.

EPIST. XXVII.



EFFLAGITAVIT Clarissima Matrona, ut scriberem ad uos, quæ de male affecto eius crure uiderim, & quæ ab aliis acceperim (non enim omnibus quæcunque acta fuerunt affui, præsertim in principio) quod pro temporis angustia quo melius possum facio breuiter quidem & tumultuarie. Ferunt igitur ægrotantem mulierem, mense Februarii cum adhuc glacies esset, scalam lapideam descendentem cecidisse, atq; ut corporis admodum est obesi, ita ex lapsu maiorem incommodum accepit, & super dextrum genu ubi rotula est collocata, sensit se grauiter fuisse affectam. Vocatus instaurator qui ei medelam præstaret, contactoq; diligenter genu, constanter asseuerabat se rotulam fractam esse arbitrari. Quod cum paucis post diebus rogatus accessissem & locum inspexissem, cognoui multum à uero instauratorem aberrasse, & deceptum maxime fuisse. Nam licet tumorem satis quidem apparentem circa genu, & ipsam coxam aspexissem, non potui tamen hinc inde ducens rotulam, aliquam in ea inæqualitatem reperire: sed uidebantur esse integra omnia, & sine ulla fractura, uerum his signis non contentus ut crus contrahat ægram iubeo, illa quanquam non sine dolore, cõtraxit tamen: neque ex hac contractione rotula ipsa uisa est aliquo pacto separari: nec nisi continua undique, & unita, æqualis, & in proprio loco sita apparuit. Accessi ego die septima à casu, dicebatq; instaurator, se usque ad illum diem medicamina applicuisse, quæ inspissare & refrigerare ualebãt, ut sunt albumina ouorum, bolus armenus, & similia. Fecerunt hæc, & dolor qui ex casu contigit & noua necessariaq; instauratoris operatio, & frictiones, & multum stringentes fasciæ, ut multa quantitas materierum descenderet ad locum, sicq; intumuit membrum, quæ cum maiori ex parte pituitosæ sint & à medicaminibus inspissatæ resident adhuc in profundo membri circa genu rotulam & musculos crus

& iuncturam mouentes nec non circa partes exteriores, & uacua loca, nam in syluestri parte supra genu tumor est satis insignis, & infra etiam genu tumor est latus, ob materiam non unitam, qui tumores & materiæ imbibitæ, adeo restiterunt medicaminibus ut nullo ingenio usque ad hunc diem resolui potuerint. Purgaui corpus a communibus superfluitatibus, idq; sæpius, deinde me consulente, sunt ab instauratore factæ illinitiones ex oleo chamæmelino, anethino, & interdum est additum oleum de costo, quandoque pinguedo gallinæ, quando mollire desiderabamus locum affectum, non tamen plurimum profuerunt, immo maiorem utilitatem, cum minore membri alteratione inuenimus, ex unctione olei chamæmelini, sine aliqua permistione. fuerunt etiam fomenta applicata, ex chamæmilla, anetho, saluia, betonica, & seminibus lini, & fœnugræci, decoctis in aqua communi, & parum uini albi, quædam etiam emplastra ex consimilibus, in uirtute quæ tamen omnia parum aut nihil auxilii tulerunt, immo deterius se habet ægra, quantum attinet ad cruris contractionem, in præsentia & magis laborat, nam attollere crus antea poterat aliquo modo licet non sine difficultate & eum contrahere & extendere, nunc neque attollere ullo pacto, neque contrahere aut extendere ualet. Adauxit hanc impotentiam secundus casus, iam mense uno transacto, dum ambulare cœpisset, in partem sanam, & super latus, siue crus sinistrum bis, diebus aliquibus interpositis cecidit, & quanquam dolorem senserit nullum, attamen uocauit instauratorem, timens ne propter casum membrum debile iterum male afficeretur. Instaurator nullam dislocationem se inuenisse aiebat, aut aliã præter naturam alterationem, siue in situ, siue in figura, præter priorem illam tumefactionem, ligauit fasciis membrum iterum. Aegra uero affirmabat stuporis speciem quandam se sentire, non modo in crure, sed in coxa uniuersa. Hactenus de historia nunc si uobis aliquas horum accidentium causas assignauero fortasse ingratum nõ erit materialis causa (meo quidem iudicio) nulla alia est, nisi frigida materia, pituitosa, a prædominio, imbibita cum circa iuncturam genu, tum etiam circa musculos, & chordas mouentes iuncturas, & crus. quod si quis quærat a me, unde est quod nõ ita doleat, si plurima materia in loco est, quæ & si frigida est, mutat tamen temperamentum membri, a sua qualitate, & soluit aliquo modo continuum sua quantitate, ii debent non ignorare, á

primis illis diebus, dum fluebat adhuc multa materia, ægrotam maximo dolore affici solere, propter hanc causam, uidelicet propter temperamenti mutationem. Nunc quoniam non amplius tanta fluit, sed pauca, & mutata est iam temperies, non amplius ita dolet. si uero quis diceret, soluta est continuitas, ergo fieri non potest, quin plurimum doleat. ad hæc respondemus, dolorem causari dum soluitur continuitas, sed soluta continuitate non est amplius necesse ut doleat, nam habituata est temperies in membro, nec continuum soluitur, cum iam sit solutum: instabit fortasse iterum, & dicet quotidie nouas materias descendere ad membrum, & alterare ipsum, & sensationem dolorosam causare. Respondeo aliquem esse sensum & fieri posse, quod materiæ descendant adhuc ad membrum, sed illas quidem frigidas esse, quæ sunt eiusdem qualitatis ut est membrum læsum; sicque cum similis sit nullã fieri mutationem, neque solutionem nouam: affirmauerim ergo neque dolorem aliquem insignem, & si aliqua sit solutio, illa non illico efficitur, sed sensim, ita ut dolor non causetur perceptibilis. Facit ergo ad membri impotentiam tumor ille insignis, qui in latere syluestri, est supra musculum magnum, & materiæ humidæ imbibitæ, & reliquæ etiam partes sub genu, & circa ipsum tumidæ, quæ musculos omnes humectant & impediunt, ut non libere membrum moueant. Has arbitror esse causas impotentiæ motus cruris, & genu, quod si subtilius inspicere uoluerimus, erit etiam membri imbecillitas facta à casu, tempore frigidissimo, & mulier ipsa referta est plurimo humore pituitoso, & applicatio medicamentorum inspissantium, & infrigerantium ut superius dictum est. Si uero quis sanare mulierem hanc & liberare uoluerit hoc tumore, ob temporis longitudinem apostemoso, hanc materiam amouere, locum roborare, & adæquare oportet. Quod cum à leuioribus quæ commemorauimus medicamentis efficere minime licuerit, animum conuerti ad lutum illum Sancti Bartholomæi, in agro Patauino, in illoque non mediocrem salutis spem posui. Est enim in eo uirtus calefactiua, & modeste dissolutiua, cum manifesta aliqua liniendi facultate, & ungendi, quo fit ut dissoluat quidem, non autem plurimum exsiccet, & etiam quoniam caret sulphure quod plurimum posset exsiccare nam lutum hoc molle est & pingue, ut sensu apparet: quod arguit etiam mistionem plurimam, (ut ita dicam) aëreitatis & ideo præter partes quas con-

tinet plurimas terrestres, sunt & aëreæ manifestæ, quæ facile euanescunt, & dissoluunt, si per se dimissum fuerit aeri calidiori. Addo molliciem cum aliquali facili dissolutione, quæ humiditatem, & caliditatem significant. Est ipsius humiditas spargibilis & dissolubilis, quod probari potest tum rationibus, tum etiam experimẽtis. Vis enim eius proculdubio mollitiua, discussiua, & resolutiua est, moderata tamen, & non multum excedens temperamentum: cum duricies omnes, & nodositates in articulis ortas, & aliis membrorum partibus, tam à dislocatione, quàm à fracturis, uulneribus, & podagris, uel chiragris factas ualeat dissoluere: ut sæpissime expertum est, id efficit sua leui caliditate, parum supra hominis temperamentum eleuata, qua potest meatus aperire, & frigidam materiam in uapores conuertere, ut ipsa facile inde egredi ualeat, adiuta a membri caliditate; nam molliret quidem lutum, & calefaceret, si imbecillum omni ex parte esset membrum, at nõ propterea tumores dissolueret nisi membri caliditate auxiliaretur, & opitularetur. Vnde ex hoc cognoscere potest unusquisque quàm maxime decepti sint, qui crediderunt tantæ caliditatis & siccitatis esse lutum hunc, ut tertium gradum transiret. Nam si ita esset non modo non dissolueret duricies, & nodositates, sed eas potius redderet duriores, subtiles partes dissoluendo, & crassas exsiccando. Non nego aliquam in illo esse siccitatem, (non enim caret terreis partibus) sed illa talis est ut potius membrum post resolutionem roborare, dein alteratum ab humido humore possit, quam ante resolutionem exsiccare. nam satis parua & leuis siccitas est in illo, & non ut aliqui arbitrati sunt ad tertium gradum. Conferre huic mulieri non modo lutum hoc puto, sed lauationes cruris in aqua ipsius fontis super lutum morantis cum in illis eadem uis reperiatur; sunt enim connatæ & ab una eademq́; minera prodeuntes, neque alia inter se differentia discrepant quam ex subiecti diuersitate. Lutum enim cum substantiæ crassæ sit calidam uirtutem diu & melius retinere potest, quàm aqua, quæ est rarioris corporis & subtilioris. Sed posset quis inquirere a me quo pacto ab hoc luto & aquis auxilium sumere hæc mulier poterit, cum a medicaminibus eiusdem uirtutis cum luto (quæ ut superius diximus multa applicata fuerunt) non adiuta sit, illa enim est uis in ipsis medicaminibus, quæ in hoc luto est & aquis. licet non præcise. quod si etiam uirtutes præcise in illis essent consimi-

les illas non ignoraremus, nam ignoramus & in æternum ignorabimus qualitates elementorum in mistis, uerum iudicio extimatiuo & ab operationibus aliquo modo cognoscimus, nullum auxilium tulerunt illa medicamenta, ergo neque aquæ & lutum conferre poterit. Huic respondere hoc pacto possumus obiectioni illa non operata fuisse ob aliquam passi resistentiam, uel ob crassitiem agentis aut imbecillitatem, & ob calorem membri non ualentis medicamenta in actum deducere. Adde etiam ex sententia Aristotelis quod non quodlibet agit in quodlibet sed terminatum in terminatũ condeterminatis quibusdam. quod si etiam addere uoluerimus in luto præter qualitates manifestas complexionalem etiam a proprio temperamento uirtutem reperiri, fortasse non errabimus. Quare ego his motus rationibus mulieri consului ut ad hæc balnea accedat purgato prius corpore a communibus excrementis, & linire membrum incipiat luto calido quod si calidum non sit calefaciendum erit ex aqua feruenti eiusdem fontis: linito membro coxa. s. genu & crure undique diligenter, sole exsiccet lutum deinde cum erit exsiccatum & ceciderit iterũ membrum luto lenire conuenit bis in mane ante prandium, bis etiam uesperi ante cœnam, moram faciendo in sole per unam uel alteram horam donec exsiccetur, & hoc tanto tempore quanto apparuerit motus membri liber, & tumore curauerit, quod fiet spatio dierum quot non omnino terminatorum, illi uero qui ibi morantur operatores solent aliquando, aliter lutum administrare, quem administrandi modum summopere laudo, sumunt lutum illudq́ in capsulas ligneas collocant, in easq́ membrum ponunt & luto circundant, in quo unius horæ spatio & aliquando plus morari permittunt, ut commode membrum affectum uim luti sustinere ualeat, sicq́ adiutus & fulcitus calor in membro imbibitos humores facilius soluit. Ex usu erit præterea quotidie uniuersum crus lauare aqua fontis, & præsertim cum tergere membrum a luto exsiccato oportebit, hac ipsa aqua fiet fontis. De uictus ratione consului ut mane priusquam lutum membro applicetur si non sponte inferior uenter expurgatus fuerit, clystere id faciat, cum decocto communi oleo, saccharo, & sale, post linitionem lauationem & extersionem quiescat saltem per horam in lectulo, deinde prandium sumat ex pane in iure optimarum carnium loco, carnes sint uitulinæ uel hædinæ uel pullorũ, aut per-

dicum,aut aliarum auium nemoralium elixæ assatæ uel in sartagine coctæ,easq; ex animalibus iuuenibus esse oportet, & nullo modo pingues,& pinguiores partes nequaquam comedantur,fercula etiam ex ouis in dicto iure contusis uel ex farre & panatella: præterea oua sorbilia comedat,uel tremula decocta in iure. Admonui ut ab omnibus piscibus caueat,& a fructibus horariis & a ferculis ex cucumeribus & cucurbitis confectis, similiter ab aceto & omnibus aceto conditis rebus,uinum bibat mediocre mediiq; coloris & saporis,neque cum assueta sit aqua uinum diluere prohibui,ut,aqua betonicæ,aut decoctionis cinnamomi utatur. Admonui etiam ut per unam uel alteram horam post cœnam & non ante dormiat, & ut laborem corporis, animiq; tristitiam & uenerea fugiat.

AD EXCELLENTISSIMVM MEDICVM de ciuitali de ulcere fistuloso cruris.

EPIST. XXVIII.



EX tuis quas ad me dedisti literis, intellexi, Dominum Iacobum Ciuitalem iam diu pati ulcus fistulosum & profundum in sinistro crure in parte illa quam poplitem uocant,cum duricie ostracosa, & sanie malæ substantiæ in quo tria orificia satis angusta sunt,a quibus mala sanies iam dicta emanat; quod sequuntur duo accidentia præter alia plurimum molestantia, & est dolor per uniuersum crus atque motus uoluntarii maxima difficultas cum plurima omnium reliquorum musculorum tēsione. Causa cuius ut scribis fuit apostema a causa antecedente & interiori in eo loco quo ad suppurationem deuenit, atque spōte eruptum fuit,nullo scilicet medicaminis auxilio adhibito,nec post eius rupturam aliquid ulceri adhibere uoluit sed totum negocium naturæ dimisit;quæ cum esset fortis uisus est ab ulcere sanari, tandem post aliquot dies iterum intumuit locus, & facta est suppuratio & ruptura ex qua non potuit beneficio naturæ sanari;hæc doctissime uir est historia rei, De qua petis ut in primis morbi essentiā causas,& accidentia tibi declarare uelim, atque etiam significare nunquid sanari possit,nec ne,quod si poterit sanari quibus reme-

diis uti debeas, ut sanitatem membri perfectam ille habere possit. Quantum uero ad primum quæsitum dico causam prioris apostematis fuisse defluxum materiæ a repletione multa malorum humorum cum non fuerit ab exteriori aliqua causa, quæ cũ minime amota fuerit in prima curatione fuit etiam iterum causa reuersionis secundi tumoris, & hoc facilius factum fuit, quoniam iam mēbrum ex præcedenti malo debile factum materiam iterũ suscepit, neque eam regulare potuit, ex quo rupto apostemate, factum fuit ulcus, & illud quidem profundum quoniam sanies diu detenta in eo sinũ ualde magnũ reddidit atq; labia seu parietes in durarunt; Ex dictis habes uir doctissime morbum esse solutionem continui, cum mala temperatura diuersa, est enim soluta continuitas profunda cum sanie a causis dictis, cum qua est mala temperies diuersa faciens ad saniei diuersitatem, estq; dolor, qui tam a soluta continuitate quàm à mala temperie prouenit, duricies uero ulceri annexa ex materia crassa in partibus imbibita est, motus autem uoluntarii difficultas & membri extensio, causam habent materiam eandem crassam in musculorum meatibus & neruis imbibitam ita ut nõ tantum membrum grauet, uerum etiam spiritus mouentes prohibeat ad membrum descendere; Et quoniam ut scribis plurima localia remedia ab expertissimo chirurgo facta fuere, & orificia ulceris dilatata, ea non possum nisi tanquam bene facta laudare, & ad residuum remanentis curæ sermonem dirigere; & est duricies ingens in musculo dicto, & ulceris profunditas, quæ transit per totam carnosam partem usque ad principium chordæ ipsius, in parte tamen inferiori, cum in potentia seu difficultate motus & perfectæ extensionis atque pedis flexionis, cum ambulare uult; primò causas horum inuestigabo, etenim ut habetur ex incisionis scientia, à genu multi descendunt musculi neruos habentes, qui a spina dorsi ortum habent, & dant sensum & motum tam naturalem quam uolũtarium; etenim musculi præter motum uoluntarium habent etiam motum naturalem, quare dicendum erit causam difficultatis motus & pedis flexionis præter dictas esse ex nocumento in musculo magno ubi ulcus magnum cum duricie magna est, nam ad hoc ut aliqua pars undequaque mobilis & flexibilis sit, necessariũ oportet ut mollis sit; quare dicendum erit primum impedimentum duriciem illam prohibentem extensionem esse, & non tantum uoluntarii motus

sed

ſed etiam naturalis cum duricies neruis per muſculum tranſeunti bus communicetur, doloris uero cauſam iam diximus malam eſſe temperiem & unitatis diſſolutionem, his itaque adnotatis, dico etiam ulcus poſſe ſanari ſed non breui tempore neq; ſine magno labore, quare reddere cauſas huius difficultatis ſtudebo, ut illis amotis ſanitas introducatur; Dixi ſuperius ex relatione in ſcriptis habita, materiæ nouæ defluxum in cauſa fuiſſe recidiui apoſtematis & ulceris, ideo primum quod in conſideratione tãquam cauſa antecedens uenit, quæ fouet morbum, eſt maſſa humoralis deprauata & a naturali calore regulata, ideo prima intẽtio in hoc caſu erit hanc materiam peccantem ſua quãtitate & qualitate euacuare, tanquam cauſam fouentem; modum uero eam euacuandi poſt regimen uniuerſale ſcribam, ſunt & aliæ cauſæ ſanationem ulceris impedientes, inter quas duricies primum conſideranda & amouenda uenit, quoniam impedit partium coitionem ſeu cõglutinationem cum res duræ ægrè ſimul congiungi poſſint; impedit etiam duricies conueniens nutrimentum ad membra uenire & etiam tranſitus ſpirituum facientium ad operationes naturales. Secunda uero cauſa quæ conſideranda & amouenda uenit eſt figura ulceris, quæ fiſtularis eſt, ſcilicet profunditas ulceris cum duricie dicta & orificiorum anguſtia, quæ impedit ne medicamẽta debite applicari poſſint, Tertia cauſa impediens, quæ conſideranda uenit eſt dolor; qui plurimum contrariatur ulceris conſolidationi, quoniam attrahit, uel eſt cauſa attractionis humiditatum ad ulcus, quæ contrariantur ulceris ſanationi. Quarta cauſa eſt ſaniei malitia, quæ ſanies ut audio uirulenta, & ſubtilis eſt, acris & corroſiua, ſiue illud per ſe ſit, ſiue per accidens nõ refert; Et tametſi multæ aliæ ſint cauſæ conſolidationem impedientes, iſtæ tamen, ut mihi ſignificatum fuit, ſunt illæ quæ manifeſtè in iam dicto ulcere ſunt impedientes de quibus amouendis erit poſtea ſermo, ut ad perfectam curam deuenire poſſit.

Et primo dimiſſa temperiei calidæ & ſiccæ conſideratione dimiſſaq; ætatis iuuentutis cum omnium uirtutum roboris probatione, quæ omnia indubitatam fidem futuræ ſanitatis promittũt, præſertim cum tempus curæ ſit uer omnes etiam difficiles morbos abbreuians, tametſi morbi longitudo & malitia reliquorum accidentium aliquo modo obſtent. Cura itaque plura in ſe capita continet, eam ego tamen in tribus à medicis dictis inſtrumen

tis perficiendis proponam, uidelicet in regimine & diæta, in medicinalibus potionibus, & in manuum operatione. Et cum aer in præsentia satis conueniens sit, & ueniente æstate melior pro ulcere erit, de eo nihil dicam & ad cibationis modũ orationẽ cõuertã.

Sint ergo in primis cibaria boni chymi & facilis concoctionis, quæ exiccans alimentum generare possint, quare panis in primis sit fermentatus salitus & optime coctus; Carnes sint uolatiliũ ut sunt pulli gallinacei, perdices, coturnices, turdi, hædi, lepores iuuenes & similes, quæ sint assæ, uel in sartagine coctæ cum aliquibus aromatibus, ut est cinnamomum, & similia; quod si elixæ comedantur bulliant cum eis semina uel radices fœniculi, & res similes. Et in iure eorum fiat ferculum ex farre uel ouo contuso, cibaria uero omnia crassa & humida interdicantur, & etiam legumina præter far cum amygdalis uel ex iure coctum & similiter quæ acres generant succos, ut sunt cæpe, allium, raphanus, & salita omnia, quoniam nocent ex illis quædam uel nimis humectando uel corrosionem causando; sunt præterea optima oua sorbilia & aperta decocta in aqua uel iure carnis aspersa succo uuæ acerbæ, uel pomi arancii, & cinnamomi portione, cætera aromata & salita dimittantur, fructus etiam omnes & olera nocent, uinũ præterea uinosum & meracum nocet. sit igitur paruum, boni odoris & saporis, non dulce, nec nigrum sed medii coloris clarum, diluaturq; si magnum fuerit cum aqua in qua coriandri grana bullierint. Quod si cum dicto ulcere aliquando inflammatio ex aliqua causa suboriatur à uino abstinendum erit, & loco uini fiat potus ex aqua decoctionis coriandrorum cum iuleb rosaceo & uino granatorum; Cæterum omnis repletio uitanda est præsertim horis uespertinis, quoniam nocturnis horis uirtus magis occupata, in reliquarum humorum cõcoctione, quare malum est ipsum plurimo cibo aggrauare; Diuersitas quoque cibariorum uitanda est cum bonam digestionem plurimum impediat. Præterea studendum erit ut sit excrementorum inferioris uentri quotidiana euacuatio, quæ si non fuerit utendum erit communi clystere. Et quoniam somnus omnes uirtutes recreat ideo dormiat ad libitũ nocte, die uero caueat a somno nisi sit longa consuetudo, uel si nocte non dormierit penitus.

Et quoniam membra quæ ægra sunt si curari debent ut quiescant necessarium est, quoniam motus humores agitat, qui ad lo-

cum læsum descendunt, præterquam quod & motus membri consolidationem prohibet quare situetur crus secundum membri longitudinem ut non decliue maneat, & quiescat sine deambulatione, sed cum sit assuetus se exercere loco exercitii fiant fricationes brachiis, uel ludat ludo tabularum; Dimittat etiam uenereos amplexus quoniam plurimum sua agitatione ulceribus nocent, sitque hilaris & iucundus.

Et quoniam ex superius dictis præter cæteras causas conseruantes hoc ulcus, & consolidationem impedientes, erat malitia & plenitudo quædam humoris, qui in uentriculo & iecinore generantur; ideo ut omnis causa tollatur, primum quod ad intentionem curatiuam uenit est ut una dierum, post quam hæc acta fuerint hora matutina præmisso clystere leniente uena iecoraria dexteri brachii aperiatur & dimittatur sanguis exire usq; ad sex uel octo uncias, & plus si uirtus tolerat. Signum uero quod sanguis abūdet est uenarum amplitudo & uniuersi corporis grauitas præter temperiem & ætatem; sequenti uero mane reliquos humores sic præparare oportet hos scilicet syrupos accipiendo, Recipe syrupi de endiuia, rosati, de lupulis an. ℥.s. Aquarum boraginis, cichoreæ an. ℥ i. misce denturque quatuor aut quinque horis ante cibum & per aliquot dies puta sex aut septem ita ut in urinis aliqua humorum præparatio appareat. Deinde exhibeatur hæc medicina, Recipe electuarii lenitiui diacatholiconis an. ℥.vi. agarici præparati ℥.i. succi rosarum puri ℥.i. Aquarum cichoreæ lupulorum an. q.s. misce & fiat potio, post cuius assumptionem quinque horis maneat antequam comedat, sequenti uero mane accipiat dimidiam scutellam iuris pulli cū portione sacchari & quiescat ab exhibitione medicinæ per aliquot dies, deinde iterum accipiat suprascriptos syrupos per quinq; uel sex dies, post quos syrupos sumat etiam suprascriptam medicinam cum supradicto regimine, sicque remouebitur causa materialis morbi, si uero ulterius euacuare opus fuerit, optimum erit addere drachmam unam rhabarbari infusi in aqua cichorei & boraginis & hoc quoniam rhabarbarum ualet ulceribus exterioribus & intrinsecis præsertim uentriculi & iecinoris.

Secunda causa quæ prohibet consolidationem, quam amouere operæprecium est, est duricies: quoniam dura non possunt simul coire, quare studere oportet in huius duritiei mollitione, ta-

mecsi mollia sint ulceri in quantum ulceri contraria; procuretur igitur mollire primo cum hoc fomento, Recipe radicis altheae minutim incisae ℥.vi.foliorum maluae m.ii.s.lini, foenugraeci ana ℥.v.florum chamaemillae meliloti an.m.i.bulliāt in aqua communi & cum spongia in dicto decocto infusa locus foueatur, & post fomentationem unge duritiem cum hoc linimento, Recipe as-sungiae porcinae,ursi,gallinae,anseris an.ʒ.s. medullae crurium uaccae ℥.i.hyssopi humidae ℥.s.olei liliorum ℥.ii. misce & fiat linimentum & unge mane & sero. Notabis tamen quod quando ponitur fomentum cum spongia locum ulceratum debet muniri cum aliquo unguento,ne ulcus ab illa humiditate laedatur; Vnguentū sit puta illud de palma solum uel cum diachilone mistum,in ulcere uero dum durities praeparatur ut mollis reddatur procedatur hoc modo, Recipe unguenti cerafeos domini Mesuae ℥.ii. bdellii,masticis an.ʒ.i.misce & pone super penicillis ex filis factis & tētis ponendis in orificia ulcerum deinde extendatur super pannū lini & super uniuersam duritiem, quod si istis factis durities non poterit remoueri, ego ad fortiora remedia ascenderem uidelicet uellem uniuersam duritiem instrumento incidente nouacula scilicet amouere,uel aliquo medicamento carnem illam duram rodente,ut uerbi gratia dissoluendo unguentum aegyptiacum cum uino & cum syringa intus iniiciendo & foramina seu orificia ulceris dilatando impositia tenta ex radice gentianae, uel medulla sambuci,uel medulla cannae surgi aut ponendo super tentam ex panno lini unguentum corrosiuum ex calce uiua & sapone saracenico factum;uel fiat hoc unguentum, Recipe unguenti populeonis ℥.s.lapidis emathitis,lythargirii sublimati an.ʒ.ii. opii thebaici misce & fiat unguentum. Modus administrandi dicta unguenta est iste,pone de uno dictorū unguentorum super filamenta panni lini carminata ad quantitatem carnis remouendae & maneat per octo horas:quod si istis factis caro dura non poterit amoueri ultimum remedium securum & singulare est eam remouere candēti cauterio actuali scilicet ferro ignito; Et post applicationē unguentorum uel post factam cocturam cum cauterio ignito pone super locum bis aut ter & quater in die butyrum ut escara seu crusta ab unguentis uel cauterio facta mollescat & cadat; Deinde post casum escarae,ea medicamenta applicanda erunt quae ulcus a sorde uel alia sanie mundificent & carnem generare adiuuent

hoc modo, Recipe terebinthinæ, mellis rosati ana ℥.i. farinæ hordei,orobi,sarcocollæ an.ʒ.i.s.misce & fiat unguentum, & ipso utere super penicilla & exterius etiam,deinde utere unguento basilicone,& si maiorem siccitatem desideras utere unguento damasceno quod fit hoc modo. Recipe unguenti citrini ℥.ii.uiridis æris ʒ.ii.misce ad ignem & utere ipso. supra scriptum etiam unguentum cerasceum in casu plurimum ualet. Et quoniam ulcus est in loco in quo sunt & uenæ & arteriæ & nerui disseminati, ideo animaduertendum erit in carnis duræ amotione siue id fiat cum nouacula,siue cum unguentis rodentibus siue cum igne, ne aliqua uena, uel arteria aut neruus incidatur aut cum cauterio comburatur,ne,si neruus fuerit,operatio & motus illius deperdatur læso instrumento.

Tertia causa difficilem faciens & retardantem cõsolidationem est figura fistularis ipsius ulceris, quod ex relatione excellentissimi chirurgici habet foramen in parte inferiori, ita, ut sanies liberé egrediatur, quare hoc foramen adapertum semper cum tentis teneatur,ut sanies egrediatur liberé, & medicamina intus imponi possint.

Quarta causa quæ ulcerum consolidationem prohibet & tardat est dolor quem remouere oportet cum inunctione facta ex oleo rosaceo,si cum loci dolore rubedo ad sensum uisus apparuerit uel caliditas ad tactum, si uero nulla mutatio coloris in membro apparuerit aut inflammationis, locus inũgatur cum oleo chamæmelino,uel fiat emplastrum hoc modo. Recipe florum chamæmillæ,farinæ fœnugræci,seminum lini,hordei,an.℥.i.sapæ seu uini dulcis q.s.Misce & fiat emplastrum in bona forma & impinguetur cum oleis chamæmillæ & rosati,& pone super locũ,quod si dolor fuerit cum maxima inflammatione, fiat inunctio cũ oleo rosaceo completo & fiat emplastrum ex farina hordei & aqua decoctionis rosarum foliorum uiolarum & maluæ,& parum uini dulcis,& in fine adde oleum rosatũ & pone super locũ doloris.

Quinta causa impediens consolidationem est diuersitas & malitia saniei,quare hoc erit in optimo iudicio excellentis chirurgici uidelicet si subtilis erit ingrossare, & si crassa ad optimam consistentiam eam reducere;incrassatur subtilis cum unguentis & emplastris,hoc modo si sanies fuerit subtilis uirulenta, Recipe unguenti de thucia,citrini,an.℥.ii.s.lythargirii puluerizati ℥.i. misce

& incorporentur in mortario: quod si sanies fuerit corrosiua addendum erit ℥.s. succi solatri, & utere tam super lichinia quam super pannum lini, sed si sanies crassa & sordes fuerit utere calidioribus unguentis ut est iam dictum superius unguentum ceraseos uel isto sic composito, Recipe unguenti citrini ℥.i. apostolorum ʒ.ii. ireos, myrrhae, olibani, sarcocollae an. ℈.i. misce & utere ut dictum est. Rectificata itaque ulceris sanie procedendum erit cum illis, quae carnem generant superius scriptis, & illis, quae antiqua ulcera & fraudulenta sanant ut est saepe dictum unguentum ceraseos Mesuae super tentas positum, & quoque cũ unguento de palma solo uel cum diachilone permisto super pannum lini extenso ita ut tota durities cooperta sit, sicq; procedatur usque ad perfectam nouae cutis regenerationem. Quod si dum dicta incarnantia applicantur caro nimis augeatur ex humiditate eam in tumorem maiorem eleuante exiccetur uel remoueatur cum alumine rochino combusto desuper pulverizato, & facta consolidatione, procurare oportet membri ex diuturno malo imbecillis facti roborationem, quod fiet primum per mediocrem quietem deinde per applicita auxilia hoc modo, Recipe saluiae, stoechados, iuae, betonicae, absinthii, chamaemillae an. m. i. bulliant in aqua communi, & uino rubro an. p. aequa. cum qua decoctione lauetur crus per aliquot dies mane & uesperi, deinde ungatur isto linimento.

Recipe olei chamaemelini, liliorum alborum, de lumbricis, de costo, an. ℥.ii. medullae crurium uituli pinguedinis anatis an. ℥.i. misce & fiat linimẽtum, cum quo unge ut dictum est. foueaturq; mẽbrum hoc cerotario. Recipe diachilonis cum gummis ℥.s. oxicroci ʒ.iii. misce & extendatur super corium cum quo crus cooperiatur, & gestetur saltem per mensem, sed mane & uesperi fiant supradictae fomentationes & inunctiones. Haec sunt quae in difficillimo casu rationabiliter scribere uolui, quae omnia si diligẽter administrata fuerint, facient ad curam aegritudinis per amotionem causarum tam antecedentium quam coniunctarum ac etiam accidentium correctionem & remotionem. Deus optimus Maximusq; qui uere languores sanat ille sit qui omnia foeliciter disponat, ut pristinam sanitatem recuperes. Vale uir doctissime.

DE GENERATIONE HOMINIS, ET EIVS nobilitate ad Bernardinum Fœlicianum.

EPIST. XXIX. ET VLTIMA.



VM per tot annos antea à doctissimo uiro Ioanne Bernardo Fœliciano patruo tuo (Bernardine) literas græcas addiscerem, assidua consuetudo similitudoq; studiorum tantum amorem inter nos conciliauit, ut nullus esset dies quo aut ego domũ uestram non uenirem, aut ille meam, ubi sæpissime & de philosophia, & de aliis optimis artibus multum simul sermonem habebamus. Quare nõ ita multo antequam mortem obiret, dum unà essemus colloqueremurq; inter nos: quæstionem mihi dubitando proposuit. Quamobrem Aristoteles (octauo de Physico auditu) hominem exiguum mundum dixerit, maiori mundo eum comparando. Quod illi ut exponerem me etiam atque etiam rogabat: At ego, ad te id pertinet inquam Fœliciane, tuaq; est hæc prouincia, quippe cum multi iam sint anni quibus te præceptorem habui; sed ille qui modestissimus & humanissimus semper fuit: a te quidem hoc iure peto, inquit, qui senior me es, & philosophiã iam diu profiteris. Ego uero cum obscurum inquam, hoc ipsum est per se se:tũ mihi perdifficile erit, qui medicinæ studiis, & exercitationibus ut scis operam nauando me pro maiori parte à librorum Aristotelis lectione abdicaui; Et quanquam eosdem Aristotelis libros sæpe antea legerim aliisq; interpretatus fuerim, non propterea omnes in præsentia sententias & rationes ipsius ad manus habere profiteor; Verum quanquam illud etiam modestiæ tuæ condonarem ut tibi auditoris partes concederem neque omnino recusarem ipse de hac re dicere; postquam ita tibi uidetur; non ignores uelim si ad dicendum me compellere uis, hoc non nisi per magnum ocium me posse facere; quapropter abs te peto, ut potius sententiam tuam dicere mihi uelis, & animum meum oblectari sermonibus tuis: Nam & sententiæ tuæ (ut discipulum decet) subscribam ipse libẽter, & de hoc tibi gratias habebo immortales. Age uero, inquit, ille, posteaquam me præceptorem appellas, & habes; fac ut hoc præceptor tuus, a te possit impetrare. Ego uero, qui Fœlicianum semper obseruaui & ei obtemperare quã-

tum potui ſtudui,ſic quæſiti declarationem exorſus, longa quadam præfatione præmiſſa, atque uenia digrediendi parumper primum a uiro doctiſsimo petita. Viſi ſunt ſapientes ferè omnes, tam antiqui,quam recentiores(præſertim Ariſtoteles octauo de Phyſico auditu)hominem exiguum mundum appellare,& cœleſtis ordinis imitatorem in tota in primis eſſentiali fabrica, & etiã in membrorum ordine & ſuis operationibus: qua uero ratione moti id dixerint in orationis proceſſu tibi explicare conabor. Et ut ex ordine quæſiti declaratio procedat, operæprecium eſt (ut mihi uidetur)ab eiuſdem libri ſententia principium haurire, & primum ſenſum ſeu intentionem proceſſus,octaui de Phyſico auditu compendioſe explicare:citra tamẽ noſtræ catholicæ fidei offenſionem.Fuit igitur Ariſtotelis ſententia, ſeu mens in dicto libro,ex lumine naturali,& diſcurſu,a ſenſibus accepto. Motorem & motum æternum eſſe probare, ac etiam aliquas ipſius æterni motoris conditiones,uidelicet,perpetuitatem,unitatem, indiuiſibilitatem,ſiue indiuiduitatem,& infinitatem; ad quarum rerũ declinationem,primum hanc quæſtionem proponit, & quærit, an motus perpetuus ſit,& tandem perpetuum eſſe multis rationibus probare contendit,tametſi primo Topicorum hoc eſſe problema neutrum affirmet,ut unam & alteram partem (ſcilicet negatiuam & affirmatiuam)diſputator dialecticè diſceptando ueram eſſe & ſubſtinere poſſit.Ad quam dictam primam intentionem probandam Ariſtoteles auctoritate omnium antiquorum illuſtrium ſapientum,qui de mundi principio & æternitate diſputarunt, ſupponit & tanquam uerum & nulli ſapienti dubium, Motum eſſe affirmat.deinde de motoris & moti quæſtione: quatuor antiquorum opiniones enumerat.quarum prima eſt eorum,qui mundos infinitos generari,& corrumpi affirmabant, quod ſine motu fieri non poteſt;ex quibus quidam continuè generabantur,& quidam ſucceſsiue occidebant, etenim generatio & corruptio ſine motu eſſe non poteſt; Secunda opinio illorum fuit, qui unum tantum mundum,& illum quidem perpetuum aſſerebant; Tertia uero illorum erat,qui mũdum genitum fuiſſe aiebant ita ut motum aliquando incœpiſſe confirmarent: nec propterea in futurum mundum aut motum deſinere poſſe: ſed perpetuo duraturos aſſerebant.aiebant enim omnia in chaos latuiſſe,quæ poſtea, à Deo ſeparata fuerunt, ex quo mundus & motus primordium habuerunt.

runt.

runt. Quarta & ultima opinio illorum fuit qui mundum plu-ries reuocari pluriesq; corrumpi dicunt, duabus potissimis causis assignatis, uidelicet, lite, & amicitia, lis enim separando unitatem dissoluit, amicitia uero congregando ex multis unum constituit. sed quando nec amicitia, nec lis operantur, omnia quiescunt, cessantq; generationes & corruptiones, quas enumeratas quatuor opiniones Arist. in prima libri parte destruere & annihilare intē-dit. Ad quod faciendum probatam in aliis libris, diffinitionē motus præponit, quæ talis est; Motus est actus mobilis ut mobilis est. mitto rationes destruētes antiquorum opiniones, ne nimis oratio protrahatur, plurimæ quidē sunt: ex quibus duas ponit cōclusio-nes: prima quarum hæc est, Motus non incœpit ita ut ante ipsum non fuerit motus. Posterior uero hæc est, Motus quoniam non factus nec incipit, ideo etiam nunquam desinet. siquidem nec Ana-xagoras, nec Empedocles qui mundum factū esse crediderunt: ra-tionibus factū esse probarunt. Etenim cū in naturæ declaratione omnia rationibus aperire operæpreciū sit, & etiam causas, quæ ueræ sint causæ, sumere, & Anaxagoras hoc minime fecerit, nec Empedocles, utiq; ambo errauerūt, quippe cū figmenta quædā Ana-xagoras posuerit, nullāq; tandem causam moræ creationis mūdi assignauerit. Similiter & Empedocles, qui litem & amicitiā gene-rationis & corruptionis mūdi causam esse (nullam reddens ratio-nem affirmat) deceptus est, nimirum quod nesciebat in uniuersa natura nihil esse quod ratione, uel ordine careret. Quare cōcludit & dicit quod cum Anaxagoras res per infinitum tempus quieuisse credidit: deinde moueri cœpisse, destruxit ordinem infinitæ quietis ad infinitum motum futurum. eodem modo & Empedo-clis exorbitantia uerba reprobat, tametsi non ex omni parte sine ratione enunciata fuerint; cum ponat mundum generari deinde corrumpi, atq; intermediis positis spatiis quiescere. siquidem talis processus non caret ordine quamuis suæ positionis nullam ratio-nem assignauerit. His omnibus examinatis Aristot. delet & remouet tres rationes asserentes motū non esse perpetuum, quas ne sim tibi fastidio qui omnia melius me intelligis quantum potero cō-pēdiose enarrabo. Prima dictarum rationum hæc fuit, Motus qui de uno ad aliud contrarium est, infinitum minime esse potest. Se-cunda talis est, quæ nunquam mota fuere, uel secundum totū uel secūdum partes (qualiacunq; fuerint uel animata uel inanimata)

possunt aliquando moueri incipere; eodem modo & in mundo fieri potuit, ut scilicet, post quietem mundi motus incœperit. Tertia uero ratio illa est in qua titulus nostri quæsiti continetur, quā, ut clarius intelligatur, longiori sermone declarare studebo. Dicebat nanq; Anaxagoras referente Arist. (ut suam persuaderet opinionē ueram esse) si animalia quæ mouentur post longam quietē ex se nullo exteriori motore impellente, quoniam non eget motore extrinseco, de facto mouentur ex se, quid prohibet ut mundus post longam quietem motum incipere nō possit, si hoc in pusillo uel minori mūdo esse credimus? & per minorem seu pusillū mundum hominem intellexit, cum ex omniū illustrium sapientū sententia, cætera animalia hominibus inferiora sint. Est.n. homo perfectio & complementum animalium. Et quanquam ratio hæc rhetorica & apparens sit, & plurimum persuadeat, nihilominus Aristoteles eam rationibus pulcherrime diluit, & reprobat, cum animal nunquam sine naturali uel uoluntario motu sit, siquidem animali etiā dormiente multos interiores motus in eo esse cognoscimus. Quod facile probare poterit si quis omnes potentias, uirtutes, & operationes in animali enumerare uoluerit. Cū uero animal in se potētiam & motum animæ uegetatiuæ habeat, per quā alimentum primum attrahit deinde in substātiam aliti conuertit habeat etiam potentiam & uirtutem, per quam assiduæ & continuè cor agitetur, ita ut uiuente animali sine aliqua intermissione uel notabili quiete moueatur, habeatq; reliquos exteriores & interiores motus naturales & uoluntarios inde facile cognoscere poterimus animal habere in se id quod moueri possit sine exteriori motore. Et tametsi uirtutes & operationes cæteris animantibus communes sint, in homine tamē nobiliores existunt, ita ut homo ex se quiescat, & etiam ex se moueatur, sine aliquo exteriori motore. & ea ratione antiqui sapientes illustres & Arist. in hoc libro hominem exiguum mundum esse dixerunt; nec propterea rationes Empedoclis dicentis mūdum factum de nouo fuisse, & posse dissolui, & iterum fieri, aliquid in hoc probant, siquis Arist. rationes recte intelligat. Sed quoniam satis in enarrando intentionem primæ partis octaui libri de physico auditu uagatus sum, dicta satis erunt. primæ partis dico quoniam totius libri intentio fuit probare unum primum motorem æternum & immobilē esse, ac etiā probare primi motus & mobilis æternitatem, sed cum (ut dixi)

ſatis noſtra uagata ſit oratio, me ad primum inſtitutum conuertā; Quærebamus itaq; qua ratione homo ab antiquis exiguus mundus dicebatur: & ex paulo ante dictis illum ſic nominare placuit quoniam hominis partes eſſentiales & operationes & motus cū cœli partibus & motu cōparabant, ut clarius nunc & in calce orationis & in proceſſu oſtendam. Sed ad hoc confirmandum altius diſcurramus, ut uidere poſſimus & nos quomodo ad maiorē mūdum comparare hominem debeamus: qui utiq; & ex eius in primis mirabili compoſitione partium, & uirtutum & functionum præſtantia, uniuerſalia intelligendo diuinam quandam a ſummo opifice datam naturam poſſidet. Sed antequam diuinam hanc ipſam hominis naturam declarem operæprecium mihi uidetur generationis eiuſdem, modum & ordinem enarrare. Hominis enim cōceptus ſeu generatio admirabili quodam ordine procedit; Etenim primum maris ſemen conceptioni aptum in amplexu ab utero auide attrahitur, poſt quam attractionem uterus in ſe totus circum ipſum colligitur clauſo uteri ore ultima conſtrictione, ita ut nec ſubtiliſſimi radii acumen ingredi poſſit, ibiq; cum muliebri ſemine commiſcetur, & inter ſe agunt ſuis caloribus, ſiue per ſpiritum ſibi connatum & calorem in ambobus ſeminibus a uirtute informatiua directum coadiuuante uel fouente etiam uteri calore ſeu temperie conſeruante temperamentum amborum ſeminū. quæ uirtus in uiri ſemine excellentior & prima eſt, quæ ſic permixta & inter ſe agentia per dictos ſpiritus & ſuos calores (qui ſunt uirtutis informatiuæ inſtrumentū ad animalis generationē) in ſex dierum ſpatio plus minuſve parum materiā ſeminum ad lactis ſeu (ut quibuſdam placet) albuminis oui ſimilitudinem conſiſtentiam mutant: ex qua mutatione ſubſtantia, quam fœtum medici uocant, efficitur; & eſt uelamine admodum ſubtili contecta. in quo etiam tempore ex dicta permiſtione & actione generantur & ſeparantur tres ſpiritus neceſſarii ad animalis futuri eſſentiam, augmentum, & conſeruationem, & ſunt ſpiritus uitalis, animalis, & naturalis. Deinde poſt iam enumeratos ſex dies, quoniā calor in materiam ſeminis ſeu fœtus manifeſte agit per tres ſequētes dies etiam aliquo modo eam exiccare incipit, ideo uirtus attractiua quæ in calore innato, & in materia fœtus eſt, incipit partes puriores ſanguinis menſtrui ex uicinis uenis attrahere, unde materia fœtus in his tribus diebus mutatur in colorem ad ruborem

quendam,& incipiunt tria loca membrorum principalium appa rere,ac si essent tria pũcta,siue tres bullæ, uel paruæ ampullæ præ se ferentes splendorem quendam,& sunt(ut dixi) tria dictorum membrorum loca in quibus spiritus & primus calor congenitus in semine,qui etiam complãtatus dicitur,fundatur, & semper manet usque ad interitum. Cuius caloris subiectum & fundamẽtum est iam dictus spiritus,qui sic fundatus & collocatus dat omnibus partibus uitam & operationes: sed cor primum illas habet. quæ prioritas non temporis(mea quidem sentẽtia)sed naturæ est. Materia igitur fœtus & loca trium membrorum principalium sic in nouem peractis diebus parata,in sex sequentibus aliis,illa quæ aliquo modo ruborem acceperat,mutatur,& alteratur,ita ut sanguinis colorem omnimodè habeat.quo in tempore uena umbilicalis manifeste formata apparet, per quam uirtus attractiua fœtus sanguinem puriorem ex menstruo sanguine attrahit, ita ut circa quintumdecimum diem materia fœtus sanguinis colorem & substantiam ostendat.Procedente itaq; actione caloris & uirtutis informatiuæ in duodecim sequentibus diebus, mutatur materia & carnis confusæ substantiam & similitudinem habet, atque etiam in spina dorsi seu spondilibus lineamenta manifeste apparent,& loca trium mẽbrorum primariorum clarè cognoscuntur. Et hæc omnes mutationes per diuersa tempora seu dierum spacia, dies enumerando,fiunt per dies uigintiseptem; in quo termino fœtus sic præparatus embrio a medicis dicitur,& uiuit uita plantæ: deinde nouem uel decem sequentibus diebus partes distinctæ cernuntur,uidelicet,caput,brachia,humeri, crura, & reliquæ partes, quæ omnes dearticulantur & distenduntur.sicq; embrio post quã ad hunc terminum deuenit (ut antea dicebam) uiuit non solum uita plantæ,sed etiam uita sensitiua, qui sensus est non exquisitus & clarus,sed obtusus,& hoc quoniam nimia humiditas cum qua animal generatur sensum obtundit,atque etiam difficilem, & pigrum reddit membrorum motum.quidam tamen ex antiquis sapientibus dicunt embrionẽ transactis adhuc quatuor diebus post dictos nouem dies manifeste sentire, & manifeste moueri, quod tempus est quadraginta dierum spacium, in quo termino anima rationalis à Deo glorioso & benedicto creata infunditur,ut affirmant theologi omnes unà cum philosophis & medicis. Verum & si embrio sæpisſime & ut plurimum in quadraginta & qua-

dragintaquinque diebus sentiat & moueatur, nihilominus aliquando in trigintaquinque,& sentit,& mouetur,quanquam hoc rarum sit,quoniam(ut dixi)ut plurimum & in maiori parte sentire & moueri in quadraginta diebus incipit,atque etiam anima rationali informatur.Regitur itaq; & gubernatur embrio anima rationali informatus à iam dicta infusa anima.Posset tamen quis dubitando me interrogare, & quærere qua in parte anima rationalis resideat,& quod primum subiectum membrum uel partẽ habeat,Respõdeo & cum Arist.dico;primo in corde & in parte cõtenta in ipso spiritali complantata seu cõgenita, quæ pars spiritus dicitur & est ex nobilissima & subtilissima parte sanguinis nutrientis genita,& in semine contenta, in hoc igitur subiecto spiritu primum residet,& tota ad uniuersum diffunditur cum iam dicto spiritu; nec propterea uelim te credere animam rationalem non esse totã in toto, & totã in qualibet parte, cum illa non pendeat à materia sed de foris eueniat,& tamen in corde primo est dans uitam,& alias operationes.nec etiam hoc opinioni dicentium sedẽ animæ esse cerebrum contrariatur:cum iam dixerim,eam in toto & in qualibet parte esse,habere nihilominus spiritum subiectum cum determinata,inquam quadam latitudine & uirtute temperamenti ipsius spiritus.Quod persuaderi facile potest, quoniã si cordis spiritus amoueatur,aut ille aliquo modo inficiatur uitieturq; ut à latitudine sui proprii temperamenti egrediatur,anima hominem relinquet,cum ei primum subiectum deficiat: per quod primum informat;at si quis cum medicis præsertim cum Galeno & aliis animam in cerebro sedem habere affirmare uoluerit, id ego non inficior ne contentiosus uidear: & quanquam sciã sensus omnes primo in cerebro manifestari tanquam in organo animæ deseruienti,non propterea affirmare possum ipsum sedem primam animæ esse;quare Aristot.opinio mihi magis arridet;Hæc de animæ subiecto hunc habeant terminum;at reliqua, quæ ad iam informatum embrionem ut in lucem ueniat pertinẽt,dicamus. Procedit igitur embrio sic informatus continuo in suis augendo membris,nutrimento per uenam umbilicalem sumpto, usque ad nonagesimum diem,si in quadragesimo quinto formatus fuerit, in quo tempore manifestissime sentit, manifestissimeq; mouetur. Quod si in trigesimo quinto formetur,sentit & mouetur manifeste in septuagesimo die. Si uero in quadragesimo(ut multi cre-

dunt) formetur in octogesimo manifeste sentit & mouetur. Verum si quis interroget cur in trigesimoquinto, quadragesimo, & quadragesimoquinto die embrio pigrè moueatur; Respondi ego paulo ante id esse, quoniam humidiora sunt membra omnia, præsertim nerui, qui sunt instrumenta sensus & motus. humiditas quidem impedit quo minus nerui probè sentire, & mouere se possint. Est etiã multa humiditas in qua nati sumus quæ aliquo mó do caliditatem spiritus natiui & sensitiui obtundit, unde eorum operatio pigra & imbecillis efficitur, sed aucto in processu embrione, uidelicet, post primum tempus informationis animæ rationalis, cum deuenit ad duplum temporis spaciũ dictæ informationis, in quo anteriori tempore & processu reliquó, quidam embrionem quiescere dixerunt, cum non omninó manifestè moueatur, quæ motus impotentia seu pigritia, nec somnus nec uigilia dici potest; cum somnus nil aliud sit quam uirtutis sensitiuæ ad interiores partes corporis contractio in animali, quod actu uigilando sensum exercet, unde factà reuocatione & collectione caloris naturalis ad intra, sequitur sensuum quies, & spiritus resoluti ex labore instauratio, quod in embrione in utero existente non est necessarium; cum ibi nullus sit labor nullaq; causa caloris, siue spiritus dissolutionis: porró in eó quies perpetua est, & nulla defatigatio, sed cõtinua per uenam umbilicalem alimenti attractio, spiritus generatio & corporis uniuersi nutritio. igitur quiescit embrio, & ex dictis quies ita minime somnus dici potest: non enim spargitur calor ex aliqua causa dum embrio sibi sanus est ut minuatur, & egeat caloris reuersione ad intra; & sic deperditum instauret & augeat: neque uigilia quidem est, cum uigilia solutio & remissio sensus sit, ut dixit Aristot. in libro de Sensu & sensibili. Si quidem in uigilia anima sensibus & eorum uirtutibus exterioribus imperat. Quiescit itaque embrio nec dormit, nec uigilat, ad præscriptos sensus & rationes. Non desunt quoque qui negent animam rationalem informare embrionem ante manifestum sensum & motũ, qui non in minori septuaginta dierum spacio, & ultra nonaginta apparent, quæ tamen opinio ab omnibus ferè reprobatur, præsertim cum sensatæ plurimæ mulieres cognoscant, & sentiant embrionẽ in utero moueri in trigesimoquinto, & quadragesimo, quod frequentissimum est, & etiam in quadragesimoquinto sæpissime. Sed de his satis dictum esse uolo, & ad embrio-

nis complementum reuertat oratio. Dicebã equidem embrionē post primum illum imbecillum sensum & motum, in quo spacio scilicet dierum septuaginta, usque ad nonaginta augendo procedere mediante alimento per uenam umbilicalem attracto, quod maximum spacium est trium mensium solarium, & minus est septuaginta dierum, in quo tempore (ut dixi) manifestissime sentit & mouetur. Verum enimuero ueritas ab omnibus sapiẽtibus approbata & á prægnantibus & bene sanis mulieribus confirmata est, quod mas in minori, & fœmella in maiori tẽporis spacio formatur, tametsi fœmellæ egressus ab utero festinet, & est quoniam non ita natura in eius complementum perfectum tanto laborat tempore, sed parum minus, hinc est quod fœmina á sapientibus mas occasionatus dicitur. Formatur igitur embrio aliquando trigesimoquinto die si uirtus seminis fortis & temperatura, & ætas, & regio calida adiuuans fuerit; & fœmella similiter in quadraginta diebus; quanquam hoc raro & non frequenter fit. quæ dicta abortus sæpe uisi, tam maris quam fœmellæ comprobant, si embriones abortiui in aqua frigida apponantur lauenturq́: etenim in tali aquæ impositione apparent membra omnia distincta & partes reliquæ corporis, apparentq́, & sensus & motus, nimirum cum moueantur quando aquæ frigiditatem sentiunt ad quem tristem frigiditatis sensum embrio in se contrahitur, ut rem sibi contrariam fugiat. Hæc omnia & si ab antiquis & a nobis uisa sint, uariatur tamen præparationis tempus, ita ut aliquando citius aliquãdo tardius formam recipiat. Sed post embrionis informationem membra omnia, partes, & uniuersum corpus augendo in utero procedit ad lineationum & figuræ uel formationis perfectionem usque ad terminum trium mensium quod tempus informationis diuersum & non in omnibus idem præcisum est, cum aliquando in trigesimo, & aliquando trigesimoquinto, uel sexto, siue quadragesimo aut quadragesimosecundo, uel quadragesimoquinto, uel sexto, uel etiam quinquagesimo ut quidam affirmant de formatione fœmellæ quæ formatio procul omnidubio tardior est in quo trium mensium tempore manifestissime embrio mouetur, cũ meliorem membrorum figuram & robur habeat; & ut ingenue tecum agam, nemo quidem (mea sententia) est qui punctuale tempus (ut ita dixerim) perfectionis præparationis uel formationis affirmare possit, quippe cum in omni conceptione detur latitudo

quædam maioris uel minoris spacii temporis, ad id faciendum, cum qua latitudine potest sentire,& se mouere,& informari. Sed distincta cognitio,& punctuale complementum nos latet. At ego inquam ponam embrionem formari trigesimo die: Hic igitur sic formatus distinctam membrorum separationem & manifestam eorum cognitionem sexagesimo habebit die, Cum autem complementum & embrionis membrorum distinctionis perfectio triplicato primæ informationis tempore fiat, tunc & in tali casu partus pueri centesimo octuagesimo die erit, & est sex mensium solarium seu uulgarium spacium, in quo natus potest naturaliter nasci,& in lucem uenire, quoniam completa & perfecta sunt eius membra, sed hic natus raro apud nos uiuit. Verum si in trigesimo quinto formetur distincta membrorum cognitio septuagesimo erit die,& ducentesimo decimo complementum habebit, & est septem mensium spacium; quo in tempore plurimi nascũtur, & uiuunt; si uero in quadragesimo formetur utique in octuagesimo die completam habebit membrorum figuram, & in ducentesimo quadragesimo complementum, & est octo mensium spacium, in quo octauo mense in nostro hoc climate ut plurimum & pro maiori parte pereunt, sed in regionibus calidis orientalibus, puta in Aegypto partus octimestres uiuunt, causa uero cur in hac nostra regione moriantur, à sapientibus diuersimode assignatur. Siquidem Astronomi in peragratione Lunæ & reliquorum syderum eam ponunt, dicunt namque Lunam cum dominio saturni, qui sua qualitate frigida & sicca semper uitæ contrarius est, embrionem seu natum suo influxu & qualitatibus ita disponere ut minime uiuere diu possit post eius ortum. Philosophi uero qui sensibus & ratione cognoscunt, id fieri dicunt quoniam embrio septimo mense completus exire tẽtat, quo in tempore aliquo modo nutrimentum subtractum fuit, cum natura ut eum in lucẽ ederet studeret, at quoniam eum ab utero pellere non potuit eum ita imbecillum relinquit ut non possit sequenti mense qui octauus est instaurari,& ideo si octauo nascitur mense, cum imbecillus sit raro aut nunquam uiuere diu in nostro climate potest, sed moritur; At cum hoc omnimode ab antiquis determinatum non fuerit,& lis adhuc sub iudice sit, reliquum inceptæ orationis prosequar. Dicamque quod si quadragesimo quinto die embrio complementum habuerit, nonagesimo perfectionem & manifestã partium

tium dearticulationem & formationem habebit,nasceturq; circa ducentesimum & septuagesimum diem; Et est communis terminus parturientium mulierum. qui dierum numerus nouem menses solares constituit.Quod si in quinquagesimo die membra perficiantur,& formam suscipiant;embrionis distincta membrorum & clara figuratio centesimo die erit, & nascetur tricentesimo ferè die,& est decem mensium spacium.Sunt quidem & alia tempora formationis longiora, quæ omnia eodem ordine mensurantur; hoc scilicet modo;Primum si tempus prioris informationis duplicauerimus erit tempus optimæ lineationis,& membrorum distinctionis,quæ cognitio in abortiuis embrionibus facile haberi potest.Poterit etiam scire quæ sit ratio quod pueri sæpe decimo oriantur mense,si quæ ante dicebam quis rectè examinauerit, & quoque sciet rationem si ad undecimum mensem partus tardabitur,& est quoniam prima præparatio & embrionis formatio tardior fuit,ex superius dictis causis. Eodem modo dicendum erit de natis in duodecimo, tertiodecimo & quartodecimo mense. Quos tardiores partus sapientissimi & illustres medici antiqui uisisse affirmant.Verum enimuero & si,ut dixi,ut plurimum tempus conceptionis & formationis sic se habeat, mutantur sæpe isti termini,cum in aliquibus in minori & in aliquibus in maiori tēporis spacio uirtus informatiua operetur; minus tamen spacium (ut dicebam)in quo ex illustrium quorundam uirorum sententia embrio seu conceptus sentit & mouetur,est trigintaquinque uel trigintasex dierum spacium, & maius est quadragintaquinq; uel quadragintasex. Sed uideor uidere ex paulo ante à me dictis non ex omni parte tibi satisfecisse, ideo ut me clarius intelligas, quædam in genere à me dicta distincta magis narrabo: Maioris igitur,uel minoris temporis formationis & partus, plurimas causas esse dico;nam sæpe temperamentum seu qualitas seminum in causa & breuitatis,& tarditatis est; etenim si semen à gradu optimi temperamenti per refrigerationem declinet, conceptus informatio tardabitur utique, at si per caliditatem temperies seminis exuberet,citius conceptus formabitur. Similiter & hominum tēperatura tam maris,quam fœmellæ plurimum facit, quippe cum in frigida hominis temperie conceptus formatio necessario tardetur,cum frigiditas actionem caliditatis pigriorem faciat,ut contingit in pituitosis & melancholicis temperaturis, habent enim se-

men remissæ caliditatis & minus (ut ita dixerim) spirituosum, & contra uero in calida hominis temperatura, ut sunt sanguinei & biliosi in quibus abundat spiritus, atque etiam actiones actiuiores sunt: accelerabitur conceptionis & perfectionis informationis tempus. Præterea illa iam dicta humiditas aliquo modo caliditatem spiritus sensitiui & motiui obtundit, ex quo pigra & imbecillis uirtus efficitur, sicq; tardabitur embrionis informatio. Pari modo de ætatibus dicendum erit. Nam senum, qui decursu ætatiuo refrigerati & exiccati sunt semen frigidius est, sicq; ad generationis uel conceptionis opus agendo pigrescit, quare senum conceptus & formationes tardiores sunt, iuuenum quidem breuiores, cum calidiores sint, etenim qui crescunt plurimum caloris innati habent, & ex consequenti semen eorum maiorem possidet uirtutem, ita ut in minori tempore conceptus perficere possint. Regiones etiam plurimum ad hoc faciunt, nam in calidis regionibus, (ut in Aegypto & aliis calidioribus prouinciis) partus octimestres uiuunt, & septimestres plurimi nascuntur incolumes & robusti, quod non euenit in frigidis; Porrò cœlum, & ambiens aer calidus uirtutes omnes roborāt, præsertim naturales, facitq;, quod spiritus qui est uirtutis informatiuæ instrumentum, cum calidior sit ex ambiente, & inspirato aere, & melius & citius conceptum perficere cum suo temperamento ualeat. In frigidioribus uero regionibus contrarium euenire solet, cum corpora ibi degentia frigidiores spiritus habeant, qui non ualent ita cito materiam fœtus probe præparare, & conceptum, ut formam recipiat perficere, sed prorogatur aliquando parturiendi tempus, ad decimum, undecimum, duodecimum, tertiumdecimum, & quartumdecimum mensem. Vidi ego in hac nobilissima Vrbe dum essem iuuenis, nobilissimam Matronam sexaginta ferè annos natam concepisse cum eius clarissimo uiro coniuge, qui & ipse senex ferè septuaginta annorum erat, cui clarissime mulieri ipse medelam præstabam, iudicaueramq; eam aqua inter cutem, seu hydrope asclite laborare. Iacebat quidem in lectulo tumido admodum uētre, cum deiectione appetitus, siti, & aliis stomachi accidentibus. cumq; ita in secundo senio esset, nemo ex consanguineis nec ego suspicabar ipsam concepisse, tandem quintodecimo mense puellam peperit, orbatam oculis, & truncam manibus, quæ uixit quinque mensibus. Et quoniā res mirabilis erat, quæsitum fuit de tempore quo simul,

In amplexu & coitu fuerant, erantq́ quindecim menses. Quare cæteri seniores medici & ego, illam per totum illud tempus gestasse in utero diximus, quia uirtus seminum, in senibus, cum sint ipsi frigidi, imbecillis existit; itemq́ uterus ex senio refrigeratus non potuisset in minori tempore conceptum perficere, & perfectum seu completum edere; immo nec materiæ membrorum quātitatem subministrare: quippe cum (ut dixi) orbata erat oculis, & manibus trunca. Sed de his satis: & unde digressus sum reuertat oratio. Puer itaque sic auctus & formatus, septem mensium spacio completo si fortis fuerit & robustus, egredi & in lucem prodire tentat. & causa est quia nutrimentum iam imminuitur proportione quantitatis suæ molis; ex quo languescere aliquo modo incipit, in quo languore quærit egressum, secundo quoniam aer per arterias embrionis in utero non potest probe cor euentare; non enim mater prægnans tantam aeris frigidi quantitatem inspirare potest ut ad embrionis caloris in corde temperamentum sit conueniens. Adde & aliam rationem, & est quia cum embrio maior factus sit, maiori eget loco uel spacio, quare quærit spacium maiorem, & tunc si robustus est egreditur, quod si languens fuerit in utero manens usque ad nonum mensem, à uirtute informatiua regulatus cum aliis sibi ministris uirtutibus, ut est nutritiua, & reliquæ egressum expectat. quæ uirtus procedit dando nutrimentū, augmentum & robur ad nonum usque dictum mensem, in quo (ut sæpe dixi) mulieres fœliciter pariunt. Progreditur tamen partus ad decimum sæpe & plus (ut audisti) ex causis dictis. Puer itaque completus & robustus ex narratis causis, & ex iussu Dei benedicti naturaliter mouetur, & secundum propriam uirtutem ab intelligentia non errante ab eodem summo Deo benedicto data, in quo motu & impetu membranas, corium, & elanconideam dictam, rumpit, quæ elanconidea membrana aquosum excrementū embrionis detinet; Relaxantur etiam cotilidones ex eisdem causis ad quam relaxationem motu & pōdere uterus aggrauatus descendit, sicq́ os eius aperitur, & dilatatur, tanta quidem dilatatione ut incredibilis ferè sit. relaxatur etiam os sacrum posterius, & cedit embrioni, ut facilius egrediatur, & hoc modo Deo maximo optimoq́ cooperante nascitur homo, uel puer ut dixi in utero cōceptus auctus & anima rationali à Deo creata & infusa informatus. Cumq́ homo sit animantium omnium complementum &

perfectio, erit ueluti quoddam uniuersum, uirtualiter in se continens omnes conditiones, quæ in uniuerso seu in magno mundo continentur. Porrò puer sic natus & primum in utero genitus atque anima rationali deforis eueniente (ut credidit etiam Arist. secundo de generatione animalium) informatus, complementum & perfectio rerum creatarum erit, testimonio etiam doctissimi Auerrois qui animam rationalem despicatissimam intelligentiarum esse affirmauit; Verum enimuero cum ex iam dictis homo perfectio omnium animalium sit, quippe cum anima cœlitus sibi data perfectissima sit, & in eo quoque sit motuum omnium principium, & mundus seu cœlum, (teste Aristo. & sapientibus aliis) sit animal magnum. Erit itaque cœlum animal magis perfectum quocunque uis alio animali, cum sit informatum intelligentia à Deo creata, per quam uiuit & mouetur, atque diuersa animalia in hac inferiori parte passim ex se generat, suis superioribus uirtutibus simillima, & per animam ipsam cæteras operationes tam nobis notas quam abditas impartitur. Similiter & in homine uidere est: etenim & si per se anima quiescat, est tamẽ prima causa omnium operationum mediantibus instrumentis, quæ sunt spiritus & membra, per quæ generat uel generare sibi simile potest: quod si mouetur id fit per accidens scilicet, ad sui corporis motum. Huiusque humani corporis formationem, & ortum breuiori modo quo potui, atq; etiam, cœlo siue magno mũdo per formã & quasdam operationes comparaui, dixiq; hominem complementũ diuinarum operationum & finem esse, postquam hominis creationem (quod diuinum sane opus est) cessauit Deus gloriosus a mũdi & omnium, quæ in eo sunt creatione, ut dixit legifer Moses primo Geneseos, cum iam ultimum intentum finem perfecisset. Siquidem primum cœlum & terram creauit ac etiam lumẽ. Vltimum hominem ad similitudinẽ suã fecit: & eum mundi dominũ & rerum omnium creatarum constituit, qui cum sit in forma (ut dixi & uirtutibus) cœlo, seu sui maiori mundo simillimus mundum exiguum sapientes eum uocarunt. Sed ut antiquorum hanc denominationem magis comprobemus, plurimas alias hominis ad cœlum comparationes superioribus dictis subiungam: dicãq;, illud quod principalissimum in maiori mundo cognoscimus, esse Deum, qui est causa causarum & conseruans omnia quæ in eo sunt, motu sempiterno, ut philosophi dicũt, deinde est homo qui

ab ipso æterno creatore factus & anima rationali informatus mũ di æmulus existit. Quæ anima est prima causa omnium humanorum motuum & operationum. Etenim quemadmodũ in uniuerso & magno mundo diuersæ sunt partes, diuersæq; operationes & effectus: ita quoque in homine, qui exiguus mundus dicitur, sunt partes maioris mũdi partibus proportionales & similes, & ut paulo ante dicebã in eo est primum anima rationalis dans esse & operationes, quæ similis est intelligentiæ danti esse & motum cœlo. porrò tam intelligentia informãs cœlum, q̃ anima informans hominem a primo opifice dirigitur & regulatur per se primum, uel per medium aliud: & sicut partes reliquæ maioris mundi sunt instrumenta suarum operationum, ita etiã partes hominis sunt operationum humanarum instrumenta; igitur iure optimo conuenit ut homo ex rationali anima cum maiori mundo uel cœlo ex sua intelligentia informato comparetur. Etenim ea, quæ ignobiliora sunt semper gratia nobilioris esse dicũtur in ordine naturæ: nam quemadmodum inferiores cœlorum intelligentiæ gratia primæ existunt, & illi subiectæ sunt, ita cæteræ animantium formæ rationali animæ inferiores existunt, atq; etiam (ut ita dixerim) naturaliter ei famulari debẽt & subiectæ esse. Habet præterea maior mũdus partes essentiales quibus constat, & sunt cœli informati propriis intelligentiis cum suis uirtutibus & operationibus. quæ Dei gloriosi & intelligentiarũ sedes & tabernacula sunt. Proinde etiã in homine partes nobiliores existunt in quibus anima rationalis primo, deinde sensitiua, & ultimo uegetatiua rationali deseruientes existunt, in quibus uirtutes & operationes fundantur. habetq; dictæ animæ subiectum spiritum tum naturalem, tum animalem, tum etiam uitalem: qui spiritus sunt informati calore connato, uel naturali contracto ex actione & mistione seminum, ut antea dicebam, in quibus spiritibus unaquæq; anima cum suis uirtutibus residet. Præterea mundi maioris figura sensata cognitione rotunda est: pariter & homo circulo cõmodissime continetur. siquidem si hoc experiri uoluerimus, facile hanc rotundam figuram homini accõmodabimus; si una pars circini in loco ossis suminis tanquam in puncto uel centro posuerimus, & alteram circini partem circũducemus brachiis aliqualiter extensis: Videbis etenim eum figura circulari perbellè contineri posse. Deinceps quemadmodum in maiori mundo nihil est quod non ex omni parte pulcherrime

collocatum sit,& etiam non præstet commodum,utilitatem,& ornatum,ita etiam in homine nulla pars est tam uilis, tamq; ignobilis,quæ nõ sit utilitati,cõmodo,& ornamento toti corpori, quod facile comprobare poteris,si ea,quæ in libro de usu partium a Galeno scripta legisti in memoriam reuocare uolueris. Præterea mẽbra & partes omnes proportiones & qualitates ad motum habent,quæ motibus cœlestium corporum cum suis commodis & utilitatibus simillimæ sunt. Nam sicuti sphæræ inferiores a superioribus uirtutem recipiunt,ita quoque in pusillo mundo , ignobiliores partes à nobilioribus uirtutem recipiunt, uerbi gratia uitam à corde,nutritionem à iecinore,sensus & motus a cerebro,accipiunt.Quamobrem si dicta omnia perpendamus,hominis cum cœlo seu maiori mũdo similitudinem maximã , atq; homogeneã naturam cognoscemus;ita ut si per artem moralem a uitiis,& eis, quæ dissimilia cœlo existunt se ipsum expurgauerit , facile cœlestis euadet,cum sic à uitiis dimotus ad illum animi candorem ,& puritatem deuenerit, ut possit etiam super mũdana & cœlestia intelligere,&(ut scripsit Auerroes in præfatione de physico auditu)cum Deo glorioso coniungi,& uniri,atq; etiam eum intelligere.Et hac ratione beatitudine & fœlicitate cœlesti in hac uita frui. sicq; cœlo seu maiori mundo sine controuersia comparari . Sunt præterea & alia plurima in cœlo cum his quæ in homine sunt simillima,quæ a nobis inspiciuntur,ut Sol & reliqua sydera , & sicut Sol utiq; lumen omnibus reliquis tribuit, & etiam rerum cognitionem præstat,ita quoq; hominis oculi solis officio in pusillo mundo funguntur: Sunt.n.in superiori parte collocati nempe ut nobis lumen ad rerum cognitionem præstent;ut per eos quid sequi quid'ue fugere necessum sit cernamus. Et quemadmodum in maiori mundo quatuor sunt elemẽta;uidelicet,ignis,aer, aqua, & terra,ex quibus omnia quæ in inferiori parte sunt constant, siquidem natura ex eis tanquam ex subiecta materia cætera composita generat,ita quoq; in pusillo mundo quatuor sunt humores, scilicet,bilis,sanguis,pituita,& atra bilis, ex quibus omnes partes nostri corporis cõstant. hi uero humores proportionantur quatuor dictis elementis.porrò cholera seu flaua bilis igni simillima existit,cum subtilis,leuis,calida,& sicca sit, sanguis autẽ aeri proportionatur,cum mediam inter reliquos humores substantiã habeat, & illam quidem calidam & humidam, pituita uero aquæ similis

existit,substãtia enim eius,insigniter mollis est,atq; frigida & humida;continens candorem quendam. Atra postremo bilis,seu melancholia,in substantia & suis qualitatibus terræ substantiæ respõdet,cum materialior,grauior,frigidior,& siccior aliis humoribus sit. Vẽter præterea inferior & reliquæ cauitates cum mari & aliis lacubus & stagnis similitudinem habet,nimirum quoniam ibi totius corporis excrementosæ humiditates & aliæ etiam pro maiori parte continentur,& illæ quidẽ ad eas ingressum;& ab eis egressum habeant,ad quas superfluitates omnes truduntur,ut sunt egestiones,sputamina, destillationes & similia reliqua excrementa; quæ cum maioris mundi pluuiis meteorologicisq;, & aliis imperfectis mistis comparari possunt. Quid multa? quemadmodum in cœlo siue in maiori mundo mirabilis partiũ ordo extat,& omnium compositio;quæ admirabilem Dei omnipotẽtiam, & sapiẽtiam ostendunt,ut nihil ultra,uel melius accommodari, uel operari possit,est sane ultima & plurimum similis hominis ad mundi machinam comparatio. Quam obseruationem & mensuram antiqui Architectores plurimum obseruarunt, præsertim in diuinorum templorum fabricis. Nam quemadmodum Deus æternus & benedictus princeps & rector omnium,quæ in mundo sunt, existit,ita quoque intellectus in nobis princeps existit;qui dat esse,& omnibus partibus imperat. Cæterum quoniam hora iam tarda est,non te diutius morabor, alias si dabitur occasio de his rebus sermonem longiorem habebimus. Hæc Bernardine cum doctissimo,& non satis laudato patruo tuo illa die colloquutus sum: ac ne laudabile colloquium sopitum maneret; quæ in ipso dicta fuere ad te in præsentia scribere uolui. Quod erit quasi quoddam testimonium posteris, tam cari amici amoris erga me singularis, meæq; in illum obseruantiæ. Satis igitur in præsentia dicta sint. tuum erit imitari sanctissimos mores uitam & doctrinam. Vale & me ut facis ama, M D LVI. Mensis Ianuarii.

FINIS.

VENETIIS, Ioan. Gryphius excudebat
M D LVIII.





